UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebvs Divinis

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

urn:nbn:de:hbz:466:1-59608

Visual Library



Th. 4458.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTRVCTIO

R. P. BARTHOLOMÆI RICCII SOCIETATIS IESV THEOLOGI

DE MODO RECTE MEDITANDI DE REBVS DIVINIS,

Optimis quibusq; præceptis, documentis, & exemplis, è SS. Patrum monumentis excerptis, illustrata.

Lib. Coll. Soc.ti Iesu Paderborn. a.o 1610

NVNC *recens ex Italico idiomate in latinam linguam traducta,*

A

R. P. IOANNE BVSÆO SOCIETATIS IESV.

ACCESSIT

R. P. FRANCISCI ARIAS EXERcitium de Præsentia DEI.

MOGVNTIÆ.
EX TYPOGRAPHEO BALTHAZARIS LIPPII.
ANNO M.DC V.

CLAVDIVS AQVAVIVA SOCIETATIS IESV præpositus generalis.

CVM opus hoc de Meditatione Italica lingua à P. Bartholomæo Riccio nostræ societatis Theologo compositum, tres eiusdem societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mãdetur, si ita placuerit Reuer. D. Vicegerenti. ac P. Mag. Sacri Palatii. Datum Romę, 14. Sept. M. DC.

Claudius Aquauiua.

Imprimatur.

P. Episcopus Iserniens. Vicesgerens.

Ex commissione & mandato R. P. & Domini mei Magistri Sacri Palatii. Ego Nicolaus Cassianus vidi & perlegi totum hunc tractatum R. P. Bartholomæi Riccii Societatis IESV, nec aliquid in eo reperi, quod fidei, aut bonis moribus repugnet, imò opus vtile promeditan. ac piis viris, & dignum esse censeo, quod typis mandetur. Ac in fidem me subscripsi hac die 12. Octobr. M. D C.

Nicol. Cass.

Imprimatur.

Fr. Paulus de Francis de Neapoli
Socius R. P. Magistri Palatij.

PRÆFATIO AVCTORIS AD PIVM LECTOREM.

INITIVM *huic meo de* MEDITATIONE *Opuſculo,* PIE LECTOR, *iuuante Spiritus ſancti gratia dabo, vbi ad tria, quæ mihi forte obijcere poſſes, reſpondero. Primum ſit, cur ego hoc ſcribendi argumentum delegerim, cum ante me permulti, tam veteres, quam recentiores eruditè & copiosè illud ſint perſecuti. Secundum eſt, quamobrem nouo more hãc tractationem, artium inſtar, ad præcepta & regulas reuocarim, cum tamen S. Apoſtolus Paulus ſanctam hanc exercitationem totam conſignet auctori Spiritu ſancto, dum in epiſtola ad Ro-*

Rom. 8. *manos ita ſcribit.* Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitib. inenarrabilibus, *id eſt, poſtulare nos facit, vt exponit B.*

2. Cor. 3. *Auguſtinus. Et in altera epiſtola ad Corinthios.* Non ſumus ſufficientes cogitare ali-

aliquid ex nobis, quasi ex nobis. *Tertium & postremum est, cur præter aliorum scriptorum consuetudinem me demiserim ad explicãda quædam minutula & passim obuia. Verum nauabo operam vt tribus his quæstiunculis, propitio cœlesti numine, iam iam faciam satis. Ac principio facto à prima, fateor equidem multos de hoc argumento piè, doctè & copiosè scripsisse, sed eorum nonnulli tantum occupati fuerunt in congerenda ampla Meditationum (insigni sanè fructu) materia, alij verò, etiamsi de ratione meditandi quædam commentati sunt, tamen generalia tantum monita & documenta attigerunt. Nec diffiteor quosdam etiam longius se demisisse ad varias meditationes, spe bona, exspectationeq; fultos, fore tyrones aliquos qui paulatim rationem rectè meditandi imbiberent: tamen nec illi videntur mihi institutum suum assecuti, eo quod nulla specialia de modo meditandi documenta tradiderint. Hoc vt ego quondam animaduerti,*

cœpi nonnullis in hoc genere tyronibus huius instructionis documenta quædã tradere, & quia ex voto succeßit, in hoc qualecunq; opuſculũ omnia, vt dicam in tertio reſponſo, redigere. VENIO ad alteram quæſtionem; affirmoq; me non ignorare quoſdam in ea opinione eſſe vt arbitrentur, non tam à multiplici præparatione, quam à Spiritus ſancti ope hoc piè meditandi munus vel donum pendere, conuenienter dicto Chriſti apud B. Ioannem. Spiritus, vbi vult, ſpirat: & neſcis, vnde veniat, aut quo vadat. Conferunt illi meditandi gratiam nauigationi in mari, quæ irrito inſtituitur conatu, niſi nauis vi ventorum impellatur. Ego tamen ſemper à contraria opinione ſteti aſſerentium ad comparandum hunc ſanctum commentandi de rebus diuinis habitum, præter auxilium cœleſte, lege ordinaria, opus eſſe noſtra præparatione, eaq; minime vulgari, ſed ſedula & ſolerti. Probe ſiquidem ſcio non paucis ſanctis, ſed extraor-

Ioan. 1.

traordinarie, nulla antegressa institutione vel studio singulari, diuinitus communicatam fuisse contemplandi gratiam. Quod autem ordinariè via tenenda sit, quam dixi, omnia illa sacrarum litterarum testimonia persuadent, quibus orandi, meditandiue studium nobis commendatur. Ac forte hanc laboriosam nostram præparationem Deus mysticè insinuare voluit modo illo loquendi ad Adamum primum parentem, quando, vt est in Genesi, dixit. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, *nempe Orationis.* Gen. 3.

Neque idcirco existimes me probare eorum morem, qui, vbi semel ex sententia successerit Meditatio, extollendo se dicere solent. Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit: *Sed conspiro cum Apostolo sancto in priore epistola ad Corinthios ita loquente.* Gratia Dei sum, id quod sum, *sed cũ additamento sequenti.* Sed gratia eius in me vacua non fuit. 1. Cor. 15.

atq; si dixisset. Ingenuè confiteor, quicquid boni habeo, me diuinæ gratiæ beneficio accepisse, sed illud quoq; fateri cogor, mihi gratiam illam frustra non esse collatam, quia pro virili mea illi sum cooperatus ad instar fidorum illorum seruorum qui pro talento à Domino accepto negotiati sunt, & non, vt nequam ille, defoderunt in terram.

Ergo id fixum exploratumq; noris ad actionem meditandi & Deum & nos confluere, sed hoc discrimine, quod partes Dei, semper sint in ea potiores, melioresq;, nostræ autem inferiores, & si quid valent id ex auxilij diuini vi habere, sufficientia enim nostra, vt loquitur Apostolus, ex Deo est. Auxilium autem Dei, de quo loquor, non est illud generale, quo concurrit cum omnibus creaturis in earum actionibus, vt cum igne in calefaciendo, cum lumine hominis naturali in intelligendis rebus sublunaribus, sed est lumen multo sublimius, & peculiari nomine appellatur

2. Cor. 3.

AVXI-

AVXILIVM SPECIALE. *Etenim cum Meditatio, vt paulo post dicemus, sit participata quasi beatitudo: quemadmodum pro perfecta & totali beatitudine, quæ sursum in cœlis est datur sublime lumē, quod dicitur* GLORIÆ: *sic pro Meditatione datur medium quoddam inter vtraque lumen, fidei scilicet, & duorum Spiritus sancti donorum, intelligentiæ & sapientiæ, Intelligentiæ quidem, vt intimè fidei mysteria penetrentur, quod idem munus incumbit, vt dicemus, Meditationi. Sapientiæ verò, vt cum voluptatis quodam sensu expendantur. Quanquam & alia sunt spiritalia charismata, & illustrationes, quibus S. D. M. succurrere solet in similibus actionibus.*

NEQVE *animum despondere debes, aut tergiuersari, dum animaduertis præsidium diuinum tibi omnino in actione Meditandi esse necessarium, quia B. Iacobus initio suæ epistolæ affirmat nemini cum fiducia postulanti id negari.* Si quis in Iac. 1.

Iac. 1. diget, *inquit*, sapiẽtia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: postulet autem in fide. *Dicam amplius. Deo promptiorem inesse voluntatem nos adiuuandi, quam nobis insit, vt adiuuemur. sicut ipse indicauit,* Matt. 7. *quando apud* B. *Matthæum nos cohortatus est ad illud petendum, dicens.* Petite & accipietis. *Et quasi exprobrans nobis nostrã in petendo tarditatem, subiungit.* Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quãto magis pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se. *Hæc responsio sufficit, nisi fallor, pro testimoniis* B. *Pauli.*

Eiusdem sententiæ est Richardus de S. Victore, qui in libro primo de Contemplatione, conferens Meditationem cum Arca testamẽti, scribit exemplar arcæ primum in visione demonstratum à Deo Moysi, Beseleelem autem, vt eam videret, debuisse sua manu fabricare. Aaronem deinde vidisse iam fabricatam. Subiicit præterea hic

ea hic sanctus, Moysen fuisse typum sanctorum, quibus à Deo infusa est gratia contemplationis, Beseleelem verò & Aaronem eorum, qui studio & labore eam comparârunt, siue id fecerint sua industria, vt Beseleel, siue aliorum institutione, vt Aaron. Quod autem Deus voluerit ipsum Beseleel, à Moyse edisseere formam & magnitudinem Arcæ fabricandæ, eo docere nos voluit, hoc sanctum recte contemplandi exercitium posse ab homine comprehendi magisterio alieno, siue fiat sermone, vti didicit Beseleel à Moyse, siue exemplo, præceptis, vel libris scriptis, sicut Aaron, dum vidit arcam à Beseleel fabrefactam.

Conferamus nos quoq;, & forte conuenientius Meditationem nauigationi triremis, ita appellatæ, quod remis impellatur, dum venti absunt, at exortis ventis inhibentur remi, & vela panduntur. etsi nonnunquam remigium ventis adiungitur, vt citius in portum perueniatur.

Ipsa

Ipsa autem nauigatio videtur proprie posse comparari Contemplationi secundum descriptiones illi à dicto Richardo attributas, dum liberam agitationem in hanc illamue partem, quasi volatum, ei permittit. Contemplatio, *inquit* est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. *Et paulo infra.* Contemplatio, est perspicax & liber animi contuitus in res perspiciendas vsquequaque diffusus. *Cæterum hic commonefaciendum te arbitror de re vna, quam aduersarij oderunt; nempe, licet multas in hoc opusculo adferamus definitiones, diuisiones, & documenta ad rectè meditandum idonea, non tamen idcirco nos promittere, eum qui omnia à nobis præscripta obseruarit ad tantam perfectionem peruenturum, vt semper rectè meditationes suas instituat. Meminisse siquidē debemus dicti Apostoli.*

1. Cor. 3. Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus,

RESTAT

RESTAT *nunc, vt extremæ quæstioni satisfaciamus, quæ erat, quamobrem præter aliorum auctorum morem, minuta quædam & leuia scribendo persecuti fuerimus. Ad quam respondeo à me stare B. Thomam Aquinatem in secundæ partis Theologicæ proœmio, cum docet,* Sermones vniuersales in rebus moralibus minus esse vtiles. In 2. 2. *Experientia quoque annorum multorum me in hac doctrina confirmauit, nam cum, voluntate Maiorum, instituendis, iuuandisq; aliis, maximè tyronibus diu fuerim addictus, reipsa probaui, parum commodi ad bene meditandum haustum esse ex libellis, qui generalia tantum quædam præcepta & documenta præscribunt. Et quoniam postea variis euolutis scriptoribus piis deprehendi omnes fere eandem rationem & viam tenuisse in suis sermonibus vel commentariis, visum est mihi hæc mea documenta, quo maiorem apud Lectorem fidem obtinerent, S. Patrum communire*

testimoniis, tãto amplius placitura, quanto rudia illa & imperfecta olim in libellulo quodã congesta, meq; inscio in Firmana vrbe typis mandata, magis displicuerunt. Quãrem, meo iudicio, merito omnes calculo suo probare debent, qui profectus spiritualis sunt cupidi, cum certo persuadere sibi debeant modum Meditandi hic traditum doctrinæ sanctorum Patrum, hoc est, priscorum orationis, omnisq; sanctitatis magistrorum, esse imprimis cõsentaneum.

Huctenus, quoad potui, syncere & diligenter respondisse me arbitror omnibus quæstionibus, vel dubitationibus, quæ in hoc institutionis nostræ vestibulo occurrere alicui potuerunt.

Superest, vt subiiciam aliqua monita salutaria, quo hic labor noster vberiorem tibi conciliet vtilitatem. Primum est, vt si optato fructu cito perfrui velis, totum librum legendo percurras; alteram vero partem conueniet perlegere sæpius, vt tenacissimè in memoria documenta hæreant,

reant, & velut tua vsurpentur. Sic enim continget vt inter meditandum sponte nunc hoc, nunc illud in mẽtem veniat cum maxima tua voluptate & fructu.

Alterum est, vt si cito ea memoriæ imprimere velis, magno mentis sensu & affectu ea perlegas: Quemadmodũ enim mollities efficit vt in ceram facile imprimatur sigillum sic amor, vel affectus mentis facit, vt res amatæ facile menti insculpantur, & vbi insculptæ semel fuerint, diutius in in ea retineantur. Facio finem, te vnicè obtestans, si fructum aliquem spiritualem lectione huius libelli collegeris, gloriam omnem attribuas auctori omnium bonorum Deo, à quo, vt loquitur B. Iacobus, est Iac. 1. omne datum optimum, & omne donum perfectum, descendens à patre luminum. *ac præterea in sanctis tuis precationum ardoribus aliquando meminisse mei non dedigneris.*

ELENC.

ELENCHVS CAPITVM IN HOC LIBRO comprehensorum

PARS PRIMA.

De rebus actionem Meditandi præcedentibus.

TRACTATVS I.

De natura & effectis Meditationis.

CAP. I ORATIONEM *vitæ spiritali esse necessariam, & ideo cum cura & studio instituendam.*

2 De causis incuriæ spiritualis, eiusque remediis.
3 Quid vocabulo Meditationis intelligatur.
4 Sitné actus intellectus in meditatione potior actione voluntatis.
5 De Meditationis excellentia.
6 De binis præstantibus Meditationis effectibus.
7 Quis finis propositus esse debeat in Meditatione.
8 Modi excitandi voluntatem ad bonum.

TRACTATVS II.

1 Ad rectè meditandum necessariam esse præparationem.
2 De collectione animi.

3 De Tranquillitate mentis.
4 De tribus reliquis passionibus.
5 De variis præparationibus ad Meditationem.
6 De præparationibus immediatis.
7 De Compositione loci.
8 De Compositione corporis.

PARS SECVNDA.

DE MEDITANDI ACTV.

TRACTATVS I.

1 QVid sit divinæ scripturæ sensus, & quotuplex.
2 De sensu litterali proprio.

3 De

3 De sensu litterali figurato.
4 De nonnullis diuinæ Scripturæ figuris.
5 Quanam iuuent ad Scripturarum intelligentiam.
6 De monitis circa metaphoras obseruandis.
7 Quibus de causis diuina Scriptura vtatur figuratis locutionibus.
8 De obseruationibus quibusdam S. Patrum ad rectè meditandum ea Scripturis.
9 De documentis ex superiori sanctorum doctrina haustis.

TRACTATVS II.

De Actione intellectus circa Personas.

1 DE actione intellectus circa ea, quæ personæ conueniunt, vt est compositum.

2 De actione eiusdem circa ea, quæ conueniunt personæ ratione animæ.

3 De actione eiusdem circa ea, quæ conueniũt personæ ratione corporis.

4 De actione eiusdem circa ea, quæ conueniunt personæ ratione bonorum externorum.

5 De actione intellectus circa ea, quæ conueniunt personæ ratione bonorum gratuitorum.

TRA-

TRACTATVS III.

De modo exercẽdi intellectum circa verba.

1 *DE variis generib. verborum in meditatione expendendis.*
2 *De exercitio intellectus circa nomina.*
3 *De exercitio Intellect° circa verba.*
4 *De exercitio Intellectus circa voces indeclinabiles.*

TRACTATVS IV.

De exercitio Intellectus circa Actiones.

1 *DE exercitio intellectus circa ea quæ Personæ conueniunt, qua Agens est.*

2 De exercitio intellectus circa actiones.
3 De exercitio intellectus circa actionum circumstantias.

TRACTATVS V.

Vt memoria exercenda sit in Meditatione.

1 DE modo fructuosè legendi libros spirituales.
2 De exercitio memoriæ circa Personas.
3 De vsu memoriæ circa verba.
4 De vsu memoriæ circa facta.

TRA-

TRACTATVS VI.

De exercitio voluntatis in Meditatione.

1 *Quales sint actus Voluntatis.*

2 *De modo excitandi actus voluntatis versantes circa bonum.*

3 *De modo excitandi actus voluntatis versantes circa malum.*

4 *Qui horum affectuum conueniãt cuiq; statui vitæ spiritualis.*

TRACTATVS VII.

De modo Meditandi iuxta 5. sensus corporis.

1 *In quo consistat modus meditandi secundum sensus externos.*

2 Quibus de causis in hoc modo meditandi nonnullis obrepant absurdæ imaginationes. 4
3 De applicatione sensuum ad obiecta propria. 6
4 De applicatione sensuum ad sensibilia communia. 7
5 De applicatione sensuum ad sensibilia communia secundaria. 8
6 De Colloquiis.

TRACTATVS VIII.

De variis Meditationum formulis.

1 EXemplum meditãdi circa personas.
2 Formula meditandi in Verba.
3 Exemplum meditandi in Actiones.

4 *Formula meditandi in Puncta.*
5 *Formula meditandi in solum scripturæ textum.*
6 *Paradigma meditationis in pũcta simul & textum.*
7 *Exemplum meditationis secundũ applicationem sensuum.*
8 *Formula meditandi circa orationes Vocales.*

PARS TERTIA.

DE IIS QVÆ MEDITATIONEM CONSEQUUNTUR.

TRACTATVS I.

De Distractionibus.

1 *Quid sit Distractio.*

Q

2 De

2 De causis Distractionum in nobis, vel internis.
3 De causis distractionum externis.
4 De remediis contra causas Distractionum internas.
5 De remediis contra causas externas.

TRACTATVS II.

De ariditate spirituali.

1 DE causis internis aridităţis spiritualis.
2 De causis externis eiusdem.
3 De remediis præseruatiuis ab aridităte spirituali.
4 De remediis contra causas externas aridităţis spiritualis.
5 Exercitia vsurpanda tempore aridităţis.

TRA-

TRACTATVS III.

De Consolationibus spiritualibus.

1 TRactationem de Consolationibus esse difficilem.

2 Quid sit Consolatio spiritualis.

3 De consolationum spiritualiũ causis, & quomodo se homo in illis se gerere debeat.

4 De modo discernendi bonas cogitationes à malis.

5 De lachrymis spiritualibus.

6 De causis Desolationis.

7 De Desolationis effectis.

8 De remediis contra Desolationem.

TRA-

TRACTATVS IV.

De modo Examinandi conscientiam.

1 *DE examinis conscientiæ vtilitate.*
2 *Declaratio primi puncti Examinis.*
3 *Declaratio secundi Puncti.*
4 *Declaratio tertii Puncti, & de distinctionibus ad recte faciendum Examen.*
5. *De Curiositate.*
6 *De Sensualitate.*
7 *De Malignitate.*
8 *De Vanitate.*
9 *De otiositate.*
10 *De aliis duobus Examinum generibus.*

FINIS ELENCHI.

PARS PRIMA

DE IIS, QVÆ MEDITATIONEM ANTECEDVNT.

TRACTATVS PRIMVS

De natura & effectis Meditationis.

Orationem vitæ ſpiritali eſſe neceſſariam, ac ideo cum cura & ſtudio inſtituendam.

CAPVT I.

EX multis & variis omnium ſanctorum Patrum ſententiis, quibus orationis neceſſitatem ſpiritalis vitæ cultoribus cõmendant, vnam tãtum vſurpabo B. CHRYSOST. qui in libro *De orando Deum*, affirmat Orationem ſanctam haud ſecus animam impertire vitæ ſpiritali, quam anima ipſa naturalem vitã ſubminiſtrat corpori. ac proinde orandi ſtudium homini Chriſtiano

non minus esse necessarium ad traducendam vitam spiritualem, quam necessaria est corpori anima ad agendam vitam naturalem. Vnde porrò consequens est, sicut anima quamdiu corpori coniuncta est, eidem vitam, sensum, motumque exhibet naturalem, secus verò si ab eo diuulsa sit: sic orationem, quamdiu ea ab homine Christiano vsurpatur, eidem omnem vitam, sensum, motumq; præbere spiritualem, cõtra verò nullum, si non vsurpetur. Sic ergo liquet orandi necessitas ad vitam piam & sanctam traducendam.

Vt verò hoc animę exemplo, quâ in corpore, vel extra corpus est, patefacta est Orationis necessitas: sic corporis exemplo luculenter ostendi potest, eandem orationem non incuriosè & languide, sed cum cura & studio instituendam. Poscebat quidem sermonis consequentia, vt in animæ potius, quam corporis similitudine hæreremus, tamen quia Orandi virtus in eo habituum genere censetur, qui incrementum, decrementúmue suscipere queunt, cuiusmodi non potest anima natura sua indiuisibilis, corporis potius, quod augeri minuiq; potest, exemplo vtemur. Accedit quod corporis actiones in oculorum sen-

sum

sum incurrunt, ac ideo etiam plebæis & imperitis eius similitudine persuaderi poterit, exercitium Meditandi non esse incuriosè instituendum.

Asserimus ergo: quemadmodum, si paruulus puer perperam à parentibus educetur, hoc est, vel nimis tenui, vel parum salutari cibo alatur, fit, vt venientibus annis corpori nec valetudo, nec robur accedat, quod par sit sustinendis grandium oneribus: ita si quis Christianæ pietatis fundamenta iacturus incuriosus sit in pascenda anima spirituali cibo sanctæ meditationis. Ea siquidem naturalis habituum proprietas est, vt ex actionibus suis gignantur & producantur, conuenienter Aristoteleo dicto. *Ex iisdem nutrimur, quibus constamus.* Cum ergo orandi habitus in Incipientibus ordinariè sit perexiguus & tenellus, deberet frequentibus ipsius Orationis actibus, velut natiuo suo alimento, augescere. At si actus illi vel æquò rariores sint, aut vitio obnoxii, vel quia ad eos rectè exercendos frigidè nos comparamus, vel quia reipsa nulla cura vel studio eos exercemus, vel certe, quia morbos obrepentes oppositis antidotis sanare negligimus, accidit nobis quod puero malè ab ineunte ætate educa-

to, hoc est, vt animam (sic appellare liceat) ab oratione semper pusillam, & parum robustam referamus. Et, sicut, si anima quoq; nostra, ex earum formarum numero, quod non est, existeret, quæ augeri minuiue possunt, in dicto puerulo ad magnam pusillitatem vna cum corpusculo redigeretur, exiguamque spirandi, sentiendi, mouendique vim suppeditaret; ita prorsus eueniret nostro, de quo agimus, incurioso oratori, vt nempe languida existente eius anima, frigida quoque consequantur in meditando exercitia, sensus deuotionis aliarumque virtutum pertenuis, exile quoque veræ sanctitatis, perfectionisque assequendæ desiderium. Hæc eo dixi, vt incipiens non se facile dedat ignauiæ, & sanctum hoc exercitium turbet. Addamus duo verba pro longius prouectis.

Nam & his per incuriam procliuis potest esse lapsus, vt pusilli fiant viribusque deficiant, & orandi habitum cum magno vitæ spiritualis detrimento imminuant. Quod quidem naturaliter non euenit corporibus. nemini enim quicquam de corporis longitudine, quam semel assecutus est, nisi fortè inflexione, quæ fit in decrepitis, detrahi solet. Etsi alia quædam affectio nostro

ſtro inſtituto congruens eis euenire poſſit; vt nempe ſicut homo adultus ſano & robuſto corpore præditus, vel inſalubri victu, vel nimiis laboribus valetudinem offendere poteſt, quo minus conſuetis operam dare poſſit functionibus: ſic homo ſpiritualis, ſitādem poſt annos multos priſtino meditationum pabulo deſinat animam paſcere, ſua incuria faciet, vt nullos quoque fructus ſpirituales, de quibus infra agemus, producere queat.

De cauſis incuriæ ſpiritualis, eiuſq; remediis.

CAPVT II.

QVAMVIS autem tanta ſit, vt diximus, orationis mentalis, vel meditationum ſacrarum neceſſitas iuxta ac vtilitas, tamen non deſunt, qui vel crebriore tædio, vel laboris, quem in præparatione, vel attentione obtinenda experti ſunt, metu deterriti, omnino illas abiiciant. Quorum in gratiam antidota quædam ſanando huic morbo idonea ſubiungam, ne tu quoque in hoc incuriæ barathrum te præcipitem agas.

Remed. I. Principio itaque certo persuadere tibi debes, si semel aliquid de studio, curaque præparationis, attentionisue, ob fastidium Meditationi, orationiue subinde interueniens, detraxeris, fore, vt longius progressus, in magnum animi mœrorem incidas, & pœnitudine ductus, de te ipso dicas cum Propheta. *Factus sum mihimetipsi grauis.* *Iob. 7.* Quod grauamen omnes miseri isti incuriosi, & tepidi spontè confitentur. nec iniuria. quia si negarent, reuinci possent experientia variarum corporis agitationum, quas tempore orationis in iis cernimus; nec dissimiles sunt iis, quas *Cass. l. 12. instit. c. 27.* CASSIANVS superbo, dum collationibus spiritalibus interest, attribuit, sequentibus verbis. *Vno*, inquiens, *in loco stare nescit eius obtutus, sed huc atq; illuc stupidus circumfertur intuitus: aliorsum, & in obliquum, quam moris est, oculi defiguntur. Pro suspiriis enim salutaribus, sputa de sicco gutture contrahuntur, excreationes etiam sine vlla interpellatione phlegmatis prouocantur. Digiti ludunt, & in modum quodammodo scribentis volitant, atque depingunt & ita huc atque illuc vniuersa membra corporis commouentur, vt totum se, vel scatentibus vermi-*

vermibus, vel acutissimis fudibus credat infidere. His signis addi possunt & ista. Nunc in hoc latus nunc in illud se conuertunt: nunc flectunt genua, nunc sedent. vbi consederint, nunc contrahunt pedes, nunc porrigunt, nunc caput attollunt, nunc deprimunt, vel in manum quieris capiendæ causa reclinant, varias corporis partes, aut scabunt pruritu prouocati vel concutiunt. Aliquando etiam procumbunt, vel quietis victi tædio deambulant, nempe quia mentis aciem defigere in meditationis argumentum nolunt.

DEINDE & illa consideratio ad sanandum incuriæ morbum iuuare potest, si in memoriam reuoces, Orationem nostram debere esse perpetuam, secundum illud dictum Christi. *Oportet semper orare, & non deficere.* Cum enim illud verè exponi non possit de omni hora, minimum de vniuersa vita nostra exponetur, vt affirmat S. Iohannes Chrysostomus, cum ait, cætera negotia pia Christiani hominis, vt docendi, prædicandi, aliaque id genus certo tempore finiri, nec quauis hominis ætate exerceri posse, solum orandi officium cum vita terminari. II. Luc. 18.

ITAQVE hic locum non habet illud. *Dabit Deus his quoq; finem.* Quæ spes futuri finis nonnunquam hominem inducit, vt se totum dedere nolit alicui fructuosæ exercitationi, etiamsi cernat ex incuria sua indies difficultatem augeri, prorsusque similis est scholastico, qui perosus litteras, soli venationi, armisque deditus, licet creberrimè à magistro ob errores, & lapsus suos vapulet, tamen ex vno dicto, *Dabit Deus hu quoq; finem*; leuamen capit, certus ludum litterarium cum adolescentiæ decursu finem habiturum. Secus res se habet in exercitatione sanctæ orationis, quæ nullis ætatis terminis circumscribitur. Vnde & B. AVGVSTINVS in altera monachorum suorum regula, neminem, licet grandæuum, ab orandi necessitate excepit. *Ideo*, inquit, *volumus & in Christi nomine ordinamus, vt & ipsi, qui centum annorum sunt, & amplius, sedendo*, Pater noster, *in lectulo dicant. Et diligenter eis sine murmuratione inseruiatur: vt & ipsi pro nobis intercedãt in cœlis, quorum habitatio iam ibi est.* Ac meritò sanè tales habitationem in cœlo habent: nam quemadmodum ætas longæuos illos reddit fælicitati æternæ viciniores, ita iure de ea perpetua eorum cogitatio

cogitatio

gitatio est, sibiq; cum B. PAVLO persuadere possunt, & dicere. *Conuersatio nostra in cœlis est.* Phil. 3.

EGO sane eiusmodi aliquot longæuos in nostra Religione, maxime autem in Domo Professa Romana obseruaui. vti fuit P. IACOBVS Miona, qui B. Patris nostri IGNATII ante institutam societatem Parisiis fuerat Confessarius: quemq, post eam institutam Pater literis scriptis ad exercitia spiritalia inuitauit, causa adiecta, quod nesciret qua re alia compensare possit beneficium confessionis sibi quondam præstitum. Quo tempore consilio paruit, decreuitque deinceps eius esse filius, cuius aliquando Pater fuisset. Peruenit is ad ætatem decrepitam: in qua cum pristinos societatis labores amplius sustinere non posset, totos quasi dies atque etiam magnam noctis partem precationibus in Ecclesia, quoniam dormire non valebat, impendebat Fuit & alter sacerdos, P. Iacobus Miron qui in extrema senecta sic assuefactus erat orationi, vt in media etiam hominum turba mente facile abstrahi potuerit, nisi vehementi excussione sinistræ manus, quam alias sub veste reconditam tenebat, extasin auertisset. Addam duos fratres laicos, quos

appellamus coadiutores temporales. alteri nomen erat, *Iohannes Baptista Cocus*, eo quod à primo ingressu in societatem vsque ad ætatem decrepitam illo ministerio magna cum humilitate & caritate functus esset. Hic cum ætatis viriumq, vitio, non posset amplius operam suam domesticæ rei curandæ locare, totum se orationi vocali, mentalique ita dedebat, ac si à Deo eam didicisset: maximè autem delectabatur meditatione mysteriorum Rosarii Beatiss. Virginis, in qua semper magno deuotionis sensu afficiebatur. Vnde quoties Nouitius aliquis ei submittebatur ad culinariam rem agendam, eum ad meditationem mysteriorum Rosarii cohortabatur, ac vt particeps fieret indulgentiarũ Rosarii, ad Mineruam, hoc est, ad S. Dominici ædem, & nomen daret Confraternitati Rosarii, deducebat Alter fuit *Iohannes Paulus Borelli*, qui iam annis plenus, recitandis psalmis, peruoluendaque corona totos dies consumebat. Quem orandi affectum iam inde à primis annis, quibus ætate florens B. P. N. Ignatio socius adiunctus fuit, retinuerat.

DENIQ. ad fugiendam, execrandamque in meditando incuriositatem iuuare non

parum poteſt terribilis illa maledictionis diuinæ cõminatio, quæ eſt apud Ieremiam prophetam, dum ait. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter* maximè cum eiuſmodi maledictioni multæ aliæ pœnæ ſint coniunctæ, vt liquet in CAIN, cui cum DEVS dixiſſet. *Maledictus eris ſuper terram.* mox ſubiunxit. *eamq; cum operatus fueris, non dabit tibi fructus ſuos. Vagus & profugus eris ſuper tertam* Quas pœnas probè intelligens, totus perterrefactus & tremens dixit. *Ecce eiicis me hodie à facie terra, & à facie tua abſcondar. Et ero vagus, & profugus in terra. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me* De quibus Dei caſtigationibus, quoniam agendum eſt, cum de diſtractione & ariditate cauenda ſermo erit, concludã hoc caput ſequenti commonefactione.

Ieren. 4.

Gen. 2.

Gen. 4.

SI vſquam in vitio aliquo expugnando, monitione illa opus eſt. *Principiis obſta, ſero medicina paratur*, maximè opus eſt in hac incurioſitate cauenda, nam vbi inueterauerit, & quaſi callum obduxerit, quod ei cum aliis vitiis commune eſt, redditur incurabilis: contra verò primis initiis perfacile ſanatur. Exemplo ſit recens ocrea, quæ in rugas contracta, ſi ſtatim veteri formulę imponatur, facilè in priſtinam ſpeciem

speciem redigitur, si verò secus fiat, ægerrimè. Cui similitudini congruenter loquitur Ier. 13. scriptura diuina. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis male.*

Quanquam non ideò pro depositis & desperatis habemus eos, qui fortè in hac pernicioſa incuria quasi obduruisse videntur. Sicut enim peruetus licet, sicca & rugosa ocrea magistri industria sæpe ita emollitur, vt vsui esse queat: sic incuriosus ille maxime sperare debet, se adiuante diuina gratia, suaque & aliorum industria prauam illam orandi consuetudinem depulsurum. Tamen, ne eum verbis circumuenire videar, disertè moneo, non modico labore & impensa opus fore. Quemadmodum enim ad extricandas dictæ veteris ocreæ rugas, necesse est primum tum aquis diu subigere, tum è formula sutoria suspensam extendere, contundere vnguineque calenti, & subinde terro illinere, & in omnes partes versare, & adstrictam soli exponere: sic incuriosus iste, si pœnitentiæ lacrymis se affatim immergat, si mortificationis vnguento quantumuis graui & aspero, mentis duritiem tollat,

tollat, si ciliciis, flagrisque asinum suum egregiè coerceat, & ad vigilantiam excitet, prorsus sperare poterit se donum rectè meditandi consecuturum.

Quod autem Ieremiæ locus ante citatus non de impossibilitate, sed magna rei difficultate sit intelligendus, annotauit alicubi B. Bernardus, & confirmauit exemplo Mariæ Magdalenæ, quæ emersa ex tanta improbitate, ad tantam sanctitatem peruenit: & in eundem sensum allegauit versiculum Hymni, qui in festo eius decantatur. *Fit ex lebete phialæ.* Si verò de vera impossibilitate rectius exponatur, cogitandum est, impossibile id esse homini, si solæ naturæ vires spectentur, hoc est, vt à voragine prauæ consuetudinis emergat, at non, si spectentur vires diuinæ gratiæ.

Quid vocabulo Meditationis intelligatur.

Cap. III.

Initium facio à significatione vocabuli, vt natura & essentia Meditationis rectius intelligatur. Vox ergo *Meditationis* ori-

nis originem habet à verbo *Meditor*, quod non modo latino, verumetiam græco, & Hebræo idiomate, vt in Psalmum primum annotauit GENEBRARDVS, significat sedulam & assiduam alicuius rei considerationem, vt perfecte intelligatur, & opere expleatur. Atque idcirco ait vocem Hebraicam HAGA includere *agitationem quandam mentis, & quasi curam ac solicitudinem, qua sæpe erumpat aduersis motum, & submissam vocem*, iuxta illud Dauidicum, *Os iusti meditabitur sapientiam*, id est, inquit ille, *loquetur, resonabit*. vt distinguatur ab alia voce, itē Hebraica TSAHÁ, quæ tantum designat simplicem cogitationem, nudamque contemplationem intellectus. Et præterea subiungit (quod instituto nostro conuenit) *& dum opus est, etiam ad opus erumpit*. Similiter græco vocabulo μελετὴ significatur *vehemens animi cogitatio, & diuturna, quæ frequenter exeat in oris murmur*: quemadmodum in primo Regum libro de ANNA legitur. *Loquebatur in corde suo*, tantumq; *labia eius mouebantur*. Ac subiicit Genebrardus hic quoque verba illa huius loci propria. *atque adeo in opus exiat.*

Psal. 36.

1. Reg. 1.

VENIO

VENIO nunc ad declarandam naturam Meditationis, à RICHARDO de S. Victore duabus definitionibus libro primo de contemplatione explicatam. Prior est *Meditatio est studiosa intentio mentis circa aliquid inuestigandum diligenter insistens.* Posterior est. *Meditatio est prouidus animi obtutus, in veritatis inquisitione vehementer occupatus.* S. BERNARDVS in libro de Scala claustrali adsignat aliam. *Meditatio,* inquiens, *est studiosa mentis actio, occulta veritatis notitiam propriæ rationis ductu inuestigans.* Et quia Richardus loco citato nonnullas alias meditationis proprietates attingit, quæ coniunctæ cum dictis definitionibus iuuare nos queunt, vt perfectè comprehendamus, quid propriè sit MEDITATIO, idcirco decreui hic tradere descriptionem quandam longiorem, quæ si particulatim explicetur, perspicuè diuina adiuuante gratia, nobis ob oculos ponet totam Meditationis essentiam, eamque à contemplatione, alteraque actione mentali, (quam Richardus appellat cogitationem, nos autem transcursum vocabimus) accuratè distinctam. *Lib. 2. c. 4.*

SIT igitur hæc Descriptio. MEDITATIO *est studiosa intentio mentis, & prouidus obtutus*

tutus animi vehementer occupatus, & diligenter insistens circa aliquid inuestigandum: qua per inquisitionem incedit, &, vt multum currit, rimatur, est cum labore, sed cum fructu: nam per arduaquaq; , sape & aspera ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Eius enim officium est, quouis industriæ labore, qualibet animi difficultate arduaquaq; apprehendere, occulta penetrare, abtrusa irrumpere, & circa vnum aliquid perseueranter intendere, donec veritatem diu quæsitam inueniat.

Ad explanãdas autem descriptionis hũius partes, monemus Meditationem pertinere ad tertiam operationem intellectus, quæ ab eruditis vocatur DISCVRSVS, & est ea notitia, qua ex re incognita, naturalis connexionis illationísue vi, venitur in alterius rei cognitionem: vt distinguatur à COGITATIONE, qua saltuatim, nullo seruato ordine vel cognitione, ex vnius rei notitia, in aliam transitur, atque ideo merito vocari potest TRANSCVRSVS, eo quod ab vna re vix percepta dilabatur in aliam, & ab hac rursum in alias, donec vno momento omnes percurrerit. Dicimus ergo DISCVRSVM, si propriè loquamur, esse operationem rationis. vnde B. Bernardus dixit,

dixit. *Ductu propriæ rationis* Addo, hunc Discursum debere esse accuratum, hoc est, summo studio, attentioneque institui, & ideo Richardus dicit *Studiosa inuentio* Debet etiam esse præcogitatus, & Meditanti intentus, & qui non fortuito tunc inciderit, & ideo conuenienter adiungitur. *Prouidus obtutus* Et quoniam materia Meditationis sunt ordinarie tam res naturales, quam supernaturales, vt ipse Richardus affirmat. *Meditatio*, inquiens, *in studiis sapientiæ, & scientiæ frequenter, imo assidue versatur*, in quibus sæpe multæ sunt intellectu perdifficiles, meditans nullam siue corporis, sine animi laborem refugit; sed quamlibet materiam fidenter amplectitur, & idcirco dicitur. *Eius officium est, quouis industriæ labore, qualibet animi difficultate ardua quæq; apprehendere*: Deinde, quia in rerum atduarum notitia magnus fieri progressus nequit, sed lento gradu proceditur, ideo Richardus ait *Meditatio incidit*. Adiungit deinde, quod si nonnunquam facilia occurrant, eum procurrere longius, hoc est, progredi quidem, sed celeriore passu, & ideo dicit, *Et multum curris*, quo distinguatur à contemplatione, quæ quasi sublimis per aera volitat. Quoniam vero materiæ

meditationis frequentius sunt obscuræ, & tempore indigent vt bene intelligantur, ideo subiicit. *Insistens.* Nunqnam enim terga vertit, etiamsi arduum aliquod argumentum se offerat, nec ab vno in alterum, difficultate deterritus, transfert, vt facit COGITATIO, sed tamdiu obtutum in illud defigit, donec penetret ad intimas medullas, totamq, rem perfecte comprehendat. Vnde addit Richardus: *Circa vnum aliquid perseueranter insistens* Ac quoniam intelligēdi difficultas, sicut & videndi oculorum, duabus ex causis oriri potest: Altera, si quis ingrediatur conclaue, apertum quidem, sed obscurum & luce omni destitutum, in quo tamen lucerna illata omnia videantur, & ideo Richardus dicit *Obscura penetrat.* Altera vero, si conclaue quidem luce illustratum sit, sed aditus ad illud obiectis catenis, vel trabibus ita sit præclusus, vt non nisi ingenti adhibita vi ingressus in illud patefieri queat. Atq, hoc est officium meditationis, quare subiungit *Obstrusa irrumpere.*

Atq; hic scíendum est, rem vnam quasi in alia reconditam & delitescentem, velut in conclaui clauso, à Cardinale Caietano reuocari ad sex capita, ex S. THOMÆ Aquinatis scriptis excerpta. Primum est rerum sub-

substantias latitare sub integumento suorum accidentium. vt verbi causa, sub candore & dulcedine lactis latitat lactis substantia. Secundum est, sub verbis latere significationem, vt sub voce *panis*, latet significatum humani alimenti, quod ex frumento conficitur. Tertium est, quod sub figuris lateant res figuratæ. Quo sensu Nu. 22. serpens æneus in deserto exaltatus continebat Christum in crucem sublatum. Quartum est, quod sub sensibilibus rebus contineantur inuisibilia, secundum illud B. Pauli ad Romanos. *Inuisibilia* DEI, *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quintum est, quod in causis lateant effectus. Quo sensu dicimus hyeme frondes & fructus inesse arborum radicibus, & vtero materno prolem. sextum & postremum est contrarium: vt quod causæ lateant in effectibus. Rom. 1.

Redeundo ergo ad definitionē, & clausi conclauis exemplum, dico, sicut quando in ianua conclauis patens aliqua rima est, per eam conspicua redduntur omnia quæ in eo continētur, sic meditationis beneficio, quæ minimam ēt rerum arcanissimarum rimam acie sua peruadit, omnia nobis patefiunt, vnde in descriptione merito dicitur. *Rimatur.* Dein q; quia Meditationis officium est

(vt diximus) perfecte totam rem, intus & foris, comprehendere, vt in progressu nulla se subducat, in ordinem omnia digerit, vt in propositum finem collimet, & ideo recte de ea dicitur. *Ad directionis finem cum magna animi industria nititur.* Nec finem rei indagandæ prius facit, quam assequatur, vnde concludit Richardus. *Circa vnum aliquid perseueranter intendit, donec veritatem diu quæsitum inueniat.* Sed nec illam Salomonis comminationem timet. *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria*, quæ in superbos prolata est; quia ad scrutationem illam hortatur nos Apostolus, dum ait in priore epistola ad Corinthios. *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda* DEI. Condolens deinde incipientium imbecillitati, postquam dixit, meditationem instituicum labore, ilico ad eos solandos adiunxit. *Sed cum fructu.* Quibus duabus rebus discrepat & à Contemplatione, & à Cogitatione. Ab illa quidem, quod laboris, non tamen fructus sit expers. Ab hac vero, quia & laboris & fructus expers est.

Prou. 25.

1. Cor. 2.

Sitne

Sitne actio intellectus in meditatione potior actione voluntatis.

CAP. IV.

HACTENVS tam ex nomine, quam ex natura meditationis facile intelligere potuisti, ad meditationem necessario concurrere duarum superiorum animi facultatum, intellectus scilicet & voluntatis actiones, quas B. AVGVSTINVS in libris de Trinitate, vno nomine MENTIS comprehendit. Nec ab ea sententia discedit B. Bernardus, & Richardus, etiam si in suis definitionibus videantur tantum intellexisse actionem intellectus: nam in libris eorum citatis omnia ad hominis interni externiq; reformationem dirigunt, quæ reformatio citra cooperationem fieri non pōt. Et forte ambo voce MENTIS vtramque facultatem cum Augustino intellexerunt. Quod si contendas eos de solo intellectu locutos, excipiam non de contemplatiuo, sed practico intellectu locutos, qui cogitationes suas semper dirigit ad operationes: quod pertinet ad voluntatem.

Quod si vero scisciterē, vtra duarum a-

ctionum præcipue ad Meditationem pertineat, intelligendi, an volendi. Respondeo, si præcipuam eam voces, quæ ordine in agendo prior est, & diuturnior, esse intelligendi, vti liquebit: si vero, quæ vtilior & efficacior, est volendi, quod perspicue constabit ex similitudine venationis hic subiicienda.

VENATOR vbi in campum venationi idoneum prodierit, primo odorum vel sagacem canem emittit, is hac illacque discurrit, in gyrum se agit, ac tandem reperta perdice eam attollit: qua conspecta accipiter eam mordicus apprehendit, & in sublime elatam mox cum impetu in solum eam reiicit, & afflictam terræ occidit. Ecce canis venationi dat initium, multumque temporis consumit, antequam offendat prædam, accipiter autem vno penè momento prædam conficit. Canis repræsentat intellectum, accipiter voluntatem. Intellectus enim inchoat nostram spiritualem Meditationis venationem, hinc inde discurrens, donec prædam aliquam, hoc est, salutare aliquod punctum reperiat, & repertum præsentet voluntati, quæ præsentatum statim adoritur. Vides ergo primas partes, & lon-

longiores tenere intellectum, ac secundum hunc sensum præcipuas: voluntatem vero, quia bonum oblatum apprehendit & possidet, tenere vtiliores. Hoc enim venatori vel aucupi maxime est propositum, vt nempe præda potiatur, maxime si sit pauper: neque contentus est, aut auis, aut leporis conspectu. Quare & cum nos in rebus spiritualibus inopes simus, pati minime debemus, vt intellectus duntaxat prolixos faciat discursus, verum vt voluntas bonorum desideriorum, sanctorumque propositorum, quibus vitam Spiritualem sartam tectam conseruamus, prædam ab intellectu præsentatam apprehendat.

ATQVE vt in similitudine venationis persistamus, scire debes, quemadmodum aliquando vsuuenit, vt campus multiplici præda abundet, & ideo venatorem vna verbi causa perdice capta, canem cohibere, ne æquo citius reliquas inuadat, & ita quasdam perdat, eundemque modum tenere, donec omnes ceperit: sic tibi quoque faciendum, quando fœcunda se offert meditationis materia, vt nempe non ante patiaris intellectum ad nouas res inuestigandas progredi, quam voluntas afficiatur ad

primam; & sic deinceps, donec omnia pervaserit Verum & aliud incidere in meditationem solet, sicut & in dictam venationem. Vt videlicet vno momento multa bona commentatione digna se intellectui obiiciant, sicut & in aucupio aliquando à cane multæ simul perdices attolluntur. Quo in casu voluntati imitandus est accipiter, qui in auem suæ fami subito explendæ commodiorem, hoc est, in viciniſſimam inuolat. Exempli causa intellectui eodem tempore obiiciunt se varia media ad consequendam veram humilitatem. Primum est, nunquam se laudare. Secundum, alios se laudantes interpellare. Tertio, illis lapsus suos patefacere. Quartum, vili amictu vti, & officia in speciem abiecta obire. Itaque si incidas in eos, qui diem in laudibus tuis consumunt, ad obtinendam humilitatem, non sunt tibi assumendæ laceræ vestes, sed medium opportunum tentationi illi repellendæ, nempe vel impediendo huiusmodi colloquia, vel eorum societas deserenda. Ac vt finem huius discursus faciamus, sicut venatori plene satisfactum non est, quando perdicem captam videt interemptam, nisi & in manus suas eam recipiat, sic nobis satis esse non debet, vel multas

tas res pias & salutares in meditatione nostra perpendisse, aut sancta aliqua desideria & proposita concepisse, sed praterea necesse est, vt manibus ea teneamus, id est, in executionem & opus deducamus.

De meditationis Excellentia.

CAP. V.

DECREVI hoc loco tantum huius modi Orandi excellentiam patefacere & naturæ eius nobilitatem; tum duos præstantiores eius effectus exponere, quos in meditatoribus solet producere. Ac de naturæ quidem præstantia disseram hoc capite: de effectibus proxime sequenti.

DICI solet Meditationem esse quandam quasi beatitudinem, licet imperfectam, ac proinde & illud dicitur, ea quodammodo in hac vita homines effici beatos, quod apertius declarabo, vbi duo posuerim fundamenta.

PRIMVM est, tam intellectum, quando rem aliquam perpendit, quam voluntatem dum eandem amat arctissimo inter se vinculo coniungi, licet dissimiliter Nã quãdo intellectus rem quampiam considerat, ei se coniungit, velut attrahendo eam ad se per

medium imaginis vel ſpeciei (vt ita loquamur, haud ſecus, quam dicitur coniungi ſpeculo is, qui illud inſpicit, nam imaginem ſuam ei imprimit. Sicut ergo ſpeculum certo quodam modo loquendi, eſt is, qui illud inſpicit, eo quod imaginem eius reddat: ſic intellectus quadantenus fit res intellecta, quia ſpeciem eius cõtinet. Vnde Ariſtoteles libro de anima tertio ait. *Intellectus eſt aptus omnia fieri.* Contra, voluntas, quando rem aliquam amat, coniungit ſe illi, tranſeundo ad illam. proprietas ſiquidem amoris eſt, amantem cum re amata coniungere: quod diuina Scriptura libro
1. *Reg* 18 primo Regum metaphora glutinis explicauit. CONGLVTINATA *eſt*, inquit, *anima Ionathæ animæ Dauid.*

ALTERVM fundamentum eſt, perfectam & totalem beatitudinem, vt qua fruuntur Sancti in cœlo, conſiſtere in dictis duabus vnionibus, vel coniunctionibus cum DEO. De intellectu id affirmat ipſe DEI filius a-
Ioan. 17. pud B. Ioannem, dicens. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti filium tuum.* vbi nota vocem COGNOSCANT, nam cognoſcere, eſt actio intellectus propria. Voluntatis autem a-
Pſal. 16. ctionem innuit Dauid propheta, cum dixit,

Satia-

Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Satiandi enim vis ad eandem facultatem, pertinet, ad quam *desiderandi*. Desiderare autem est proprium voluntatis.

NVNC superest, vt ostendamus, quo sensu verum sit, Sanctum Meditandi munus, esse quandam participatam Beatitudinem. Dicimus ergo meditationem, vt dictum est, complecti vtramque actionem, intellectus & voluntatis, quarum beneficio homo cum re cogitata & amata se vnit. Et quia materia ordinaria Meditationis est, vel DEVS, vel res diuinæ, consequens est, tam intellectum, quam voluntatem Meditantis coniungi Deo, & certo modo effici diuinam, atque hominem paruum quendam DEVM, sicut accidit ferro, quod vbi perfecte fuerit inflammatum totum videtur conuersum in ignem. Perspicue ergo liquet sacram meditationem esse quandam quasi beatitudinis particulã, qua homine, quo tempore meditatur, faciat quadantenus fœlicem & beatum.

HANC geminam vnionem indicauit S. Ioannes his verbis mysterio plenis. DEVS *charitas est, & qui manet in charitate, in* DEO *manet, &* DEVS *in eo.* mediante n. amore voluntatis anima commoratur in DEO, & 1. *Ioan.* 4.

media-

mediante notitia intellectus Deus commoratur in illa. Ac ne forte per incuriam parui facias dictas vniones, existimans non esse coniunctionem admodum astrictam & intimam, scias illam intellectus vnionem tantam esse, vt nonnulli in abominandum illum errorem lapsi sint, vt arbitrarentur DEVM nullam habere curam vel prouidentiam rerum in hoc sublunari mũdo conditarum, *Vilescere enim*, aiunt, *diuinus intellectus*, sed grauiter hallucinati sunt. Si enim diuina Maiestas Soli impertiuit eam vim, vt etiam si radiis suis loca fœdissima illustraret, nihil tamen ab iis inquinaretur, cur sibi eam subtraxisset? Imo quo amplius omni genere perfectionis DEVS Solem antecedit, hoc perfectius eadem virtus, hoc est, vt nullo rerum creatarum, quas cognoscit & dirigit, vitio afficiatur, in Deo inuenitur.

Similiter voluntatis vnio tam arcta est, vt longe superet rerum conglutinatarum connexionem. Hæc enim ita res duas coniungit, vt vnaquæque per se subsistat: at quoniam amor amantem quasi in rẽ amatam transfert, videtur amans non amplius esse in se, sed tantũ in re amata, atq; id prorsus est, q̃ B. DIONYSIVS Areopagita in libro

Diony. 5. 4.

de

de diuinis nominib. scribit, *Amorem facere extasin*, hoc est, vt homo sit extra se.

Diximus adhæc Meditationem esse quasi beatitudinem imperfectam, & merito. Primo, quia non possumus continenter meditari. Secundo, quia illam multis externis cogitationibus, & distractionibus inquinamus. Tertio quia sæpenumero fatigatur corpus, & mens fastidio obruitur. Beatis autem in cœlo horum omnium contraria eueniunt, siquidem supremam illam Maiestatem nulla interueniente interpellatione, perfectissima attentione, fatigatione & tædio nullo, imo summo cum gaudio & voluptate in æternitatẽ omnem contemplantur.

De binis præstantibus Meditationis effectibus.

CAP. VI.

B. DIONYSIVS asserit inter omnia bona opera, quæ ab homine præstari queunt, nullum esse præstantius, conuersione, vel sanctificatione animarum, imo adiungit hoc genere operis eum adiuuare quasi ipsum Deum auctorem effectoremq; primarium omnis sanctitatis. Dico itaque vtrumque Meditationis effectum esse ex

hoc

hoc operum genere. Nam primus in sui ipsius: secundus vero in proximi sanctificatione consistit. De priore in hunc modum demonstro.

EVANGELICA perfectio summatim duabus rebus continetur, nempe auulsione cordis ab amore rerum creatarum, & collocatione eiusdem in amore Creatoris. Quo spectat illud dictum Christi. *Vbi est* Matt. 6. *thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quod autem necesse sit cor nostrum ab amore rerum creatarum auelli, vt dictam perfectionem assequamur, ipse Christus clare Mar. 14. indicauit dum ait. *Qui non odit patrem suum, & matrem suam, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quam autē difficulter homo abduci possit ab amore rerum creatarum, varia in Euangelio exempla habemus. Vt de amore diuitiarum exemplum adolescentis apud B. Matthæum. Cui cum Matt. 19. Christus dixisset, *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, Subiungit textus. *Abiit tristis.* adiecta ratione. *Erat enim habens multas possessiones.*

De amore vero parentum exemplum habemus in alio, qui a Christo inuitatus

a

ad sequendum se, respondit. *Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum*, quem Dominus arguens, dixit. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Dolet procul dubio homini subita separatio, sicut subita emplastri diuulsio à vulnere. Quemadmodum autem emplastrum sine dolore facile abstrahitur, si prius oleo fuerit delibutum, sic cor nostrum si sanctæ meditationis vnguento prius fuerit emollitum, facile & sine mora ab amore creaturarum diuellitur.

ADVERTENDVM autem hic est, vnionem cordis nostri cum Deo, non malarum tantum rerum, sed etiam indifferentium amore impediri, immo & bonarum, si superuacaneæ sint, vel ægre, & cum mœrore deseruntur: quemadmodum LAVRENTIVS SVRIVS tomo 6. de vitis Sanctorum commemorat accidisse S. ELISABETHÆ Hungariæ Regis filiæ, cui cum Confessor sæpius indicaret, vt è gynecæo dimitteret Dominam quandam ob singulares virtutes, quas in ea obseruat, ei charissimam, diu tergiuersata est, quod permoleste ferret se à tam religiosæ fœminæ consuetudine diuelli: verum tandem SANCTI

Pagin. 497.

sacerdotis iussis parens eam dimisit, ac deinceps sentiens paulatim mœrorem animi diminui, aduertit se nimio amore quo fœminam illam sanctam complectebatur, retardatam fuisse à purissimo amore sui Creatoris. Neque raro hominibus spiritualibus hoc quoque tempore idem contingit, vt quando minus vigilanter obseruant quibus amoribus in corde suo locum præbeât, toti amoris carnalis vinculis pietatis specie contectis irretiantur. Et si forte in concione aliqua, vel exhortatione eiusmodi amores reprehendi audiant, compunguntur quidem ad tempus, & proponunt se nunciũ illis remissũros, sed reipsa postea ad pristinas sordes relabuntur. Idem contingit, vbi libellum spiritualem legerint de eiusmodi argumento tractantem, aut superiorem vel Patrem spiritualem aliquid de ea re insinuantem audierint.

QVOD si vero tales casu aliquo in locum similis argumenti incidant, & de eo meditentur, sæpenumero fit, vt tandem ab adulterino amore resipiscant. vt si incidant in verba illa Christi ad Apostolos apud B. Ioannem dicta *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim ego non abiero, paraclitus non veniet ad vos.* & intelligant eo sensu, quo B. BERNARDVS

Ioan. 16.

ARDVS sermone sexto de Ascensione ea exposuit. *Grande*, inquit, *mysterium fratres mei. Quid enim sibi vult.* NISI *ego abiero, paraclitus non veniet? itane invisa paraclito praesentia Christi, aut contuberniũ Dominica carnis horrebat, qua, sicut angelo pranuncianto cognouimus, nec concipi quidem nisi eo superueniente potuerit? Quid est ergo, nisi carnis praesentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratia plenitudinem occupata ment non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Quid vobis videtur fratres? Si haec ita sunt, imo quia ita sunt, audeat quis decatero phantasticis quibudam illecebris deditus, sectans lenocinia carnis sua, carnis vtique peccatricis, gentis in peccatis, assueta peccatis, in qua denique bonum non est, illum pariter expectare paracletum? Audeat, inquam, qui huic sterquilinio semper inharet, qui carnem fouet, qui in carne seminat, carnem sapit, illam nihilominus consolationem superna visitationis, torrentem voluptatis illam, illum sperare gratiam spiritus vehementis, quam, vt veritas ipsa testatur, ne cum ipsa quidem Verbi carne percipere vllatenus Apostoli potuerunt?* Hactenus ille. Quid enim his verbis lectis dicere potest bonus Meditator, quam, si amor, quo

Apostoli erga sanctissimam Christi humanitatem, quæ omnes res creatas, quotquot fuere, vel esse possunt, perfectione, sanctitate antecellit, flagrarunt, impediuit Spiritus sancti aduentum, quanto magis impediet me, si aliquo amore ferar in hanc illamve personam, aliasve res longe inferiores. Absit, absit à me omnis talis amor. Vtinam nec ad vnum momentum cordi meo infixus hæreat. Soli Deo deinceps pateat aditus in illud, & longe recedant omnia quæcunque purum in Deum amorem impediunt.

VNDE verò hic animi ardor profectus est? num à Concionatore, ab Exhortatore, à libri spiritalis lectione, ab admonitione superioris? Nequaquam. Sed à Meditatione, quia videlicet, emplastrum affectionum tuarum sanctæ meditationis oleo illiuisti, & ita citra dolorem à corde tuo diuulsisti, dicens. nolo illud bellum Rosarium (si forte plus æquo illud amaras) vel quicquid amorem diuinum in me retardauerit. O verè oleum sanctum, quo inuncti tam facile sancti efficiuntur. Si ergo ex fructibus, testante Domino Nostro, agnoscitur arbor, quam nobilis censenda est Meditationis arbor, ex qua tam excel-

excellens liquor, tam nobilis fructus nascitur?

IAM vero restat vt meditationis excellentiam demonstremus ex altero quoque eius effectu, qui erat, quod iuuaret ad sanctificandum proximum, quod fit verbis prædicando, factis operando, & perpessione incommodorum sustinendo. Ad hæc enim omnia Meditatio magnas suppeditat vires, & efficacitatem singularem, quemadmodum suo more præclare scribit S. BERNARDVS, nam cum probasset exemplum operum dare efficaciam verbis, adiungit vtramque efficaciam, verborum & operum impetrari oratione. *Sermo quidem*, inquit, *viuus & efficax exemplum est operis, facile faciens suadibile, quod dicitur, dum monstratur facilibile, quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis*, VERBI *scilicet, atque* EXEMPLI *summam tui efficij ad conscientiæ securitatem pendere intellige. Tu tamen, si sapis, iunges & tertium, studium videlicet Orationis, ad complementum vtique trinæ illius repetitionis in Euangelio de pascendis ouibus. In hoc noueris illius Trinitatis Sacramentum in nullo frustratum à te, si pascas* VERBO. Epist. 201

Ioan. 21.

pascas EXEMPLO, *pascas & sanctarum fructu Orationum. Manent itaque tria hæc. Verbum, exemplum, oratio. Maior autem horum est oratio. Nam etsi, vt dictum est, Vocis virtus sit opus, operi tamen & Voci gratiam efficaciamq; meretur Oratio.*

DEMONSTRAVIT in vtraque re Dominus noster, id quod dico, in horto, quando, vt humanæ naturæ declararet imbecillitatem, dixit *Tristis est anima mea, vsq; ad mortem.* Matt. 26. Cum qua imbecillitate ad orandum processit, sed orationis vi tantum accepit robur, vt animose ad discipulos diceret *Surgite eamus.* ac si diceret, quamuis ante inchoatam orationem ostenderim me mortis metu consternatum, nunc tamen adeo me inflammatum, roboratumque sentio, vt paratus sim obuiam procedere hostium cohorti. Quo facto, efficax exemplum reliquit Martyribus fortiter pro fide sua occumbendi, iuxta illud B. Petri. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* 1. Pet. 2. Verborum vero efficacitatem prodidit, quando ad perfidam gentem, à qua ad necem quærebatur, dixit. *Ego sum.* Matt. 26. eorum siquidem vi omnes retro in terram lapsi sunt. Quod Christus non sine mysterio post peractam Ora-

Orationem fecit ad institutionē nostram, etiamsi in se virtutem patrandi miracula haberet.

QVONIAM vero ad rectè iuuandum proximum opus est ingentes subire labores, multas persecutiones ac cruciatus perpeti, necessario debemus nos his Orationis armis communire, & diuina opitulante gratia fœlix exitus conatibus nostris respondebit. Multa nobis esse perpetienda non obscure innuit Christus, quando amandaturus Apostolos in Missionem quandam, hac bella similitudine vsus est. *Ecce,* Matt. 10. inquiens, *ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Præclare id expertus est vnus ex illis, dum scribit in secunda epistola ad Co 2. Cor. 11. rinthios. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate.*

DEBET ergo orationis studio se dedere, quicunque operam suam locare voluerit adiuuando proximo: erit enim illi armorum & offensiuorum & defensiuorum loco. Quæ orationis vis præfigurata est in paruis cornibus, quæ lucis instar eminuerunt ex fronte Moysis, postquam cum Exo. 14. Deo benedicto in monte collocutus esset, animalia enim cornigera, cornuum beneficio & suam salutem defendunt, & offendunt aduersarium.

NON prætermittam hoc loco incipientibus fraudem quādam patefacere, vt nempe in suis meditationibus non sint solliciti de salute aliorum promouenda, sed duntaxat de sua. Exemplum habent in natura ipsa, quę non ante ex arboribus fructus profundit, quam eas ad naturalem perfectionem, certamque magnitudinem perduxerit. Ac fere cōtingit, vt quæ æquo maturius effundunt fructus, citius exarescant & deficiant: quoniam humor in fructus intempestiuè elatus, radicibus ademptus est. Atque hoc est, quod S. BERNARDVS commemorat variis nouitiis suis euenisse.

CONCLVDAM demum hunc Discursum, hac commonitione, si factus sis tandem Operarius, vt arboribus grandibus & fructi-

feris

feris tanquã Magistris vtare: quę si aliquando nimium onerentur fructibus, in periculum veniunt, vt rami earum rumpantur, nisi subiectis fulcris sustententur. Volo dicere, ne tot occupationibus in aliorum gratiã te grauari sinas, vt inde tuę salutis iacturam facias. *Quid enim prodest homini, ait Christus* apud Matthæum, *si vniuersum mundum lucretur, anima vero sua detrimẽtum patiatur?* Matt. 16. Quod si vero vel tua incuria, vel aliorum voluntate iam oneratus sis, vt liberum tibi non sit iugum excutere, crebrioribus excita te orationibus iaculatoriis, maioreque studio, quam alias horarum Canonicarum pensum, diuinumq; Missæ officium persoluas, aliaq; id genus præsidia ad conseruandum Spiritum vsurpes.

IMPRIMIS vero oculos coniicias in eas arbores, quæ vbi anno vno onustæ fuerint fructibus, insequenti vel nullos proferunt, vel pauciſſimos. neque enim idcirco otiosæ sunt, sed temporis longioris interuallo vim ad generandum maiorẽ colligunt, vt postea vberiori copia pensum suum resarciant. Sic enim suadeo, vt arborũ illarum otiosarum instar, aliquãdo te intus colligas, & in locũ solitarium, à consuetudine hominum remotus secedas, ibiq; in amaritudine animæ

tuæ superioris vitæ delicta recogites, tum aliquot dies vel hebdomadas in commentatione rerum diuinarum feruentique oratione impendas, sic enim & iacturam in vita spiritali factam facile resarcies, & fructuosius alacriusque ad consueta exercitia proximis iuuandis destinata redibis.

Quis finis propositus esse debeat in Meditatione.

CAP. VII.

NON alius finis vltimus scopusve tibi in Meditatione propositus esse debet, quã diuinam maiestatem laudandi, quam *laudant astra matutina*, hoc est, angeli beati, *cum quibus & nostras voces*, vt Ecclesia canit, *vt admitti iubeat, deprecamur*. Proximus autem finis, in quẽ continenter oculi mentis dirigendi sunt, esse debet tua sanctificatio, quæ consistit primo in declinatione à
Rom. 5. malo quod B. Paulus ad Romanos scribens vocat, *exuere veterẽ hominem*. Secundo vero in operatione boni, quod idẽ vocat, *induere*
Col. 3. *hominem nouum*. Ad Colosſ enim scribens. *Induite*, inquit, *nouum hominem, qui secundum Deum creatus est*. Qua verborum forma innuisse videtur Apostolus, debere nos

non

non modo cogitationes, affectusq; nostros internos, sed actiones etiam externas, conformare actionibus Christi Domini nostri; haud secus, quam si totidem Christi videremur. Forte enim ideo in epistola ad Romanos dixit. *Induimini Dominum* IESVM *Christum*. Etenim, si quis alterius vestibus indutus, eundē incessu, gestu, cæteroq; corporis motu imitetur, à longe apparet ille ipse, sic Christianus perfectionis studiosus omnes actiones suas tam internas, quam externas apte debet conformare vitæ Christi, vt angelorum, hominumq; oculis appareat alter Christus. Poteris autem facile & citra errorem actiones tuas illis Christi accōmodare, si diuina iuuante gratia sedulo & attente, de vita, passioneque eius sacratissima mediteris: in ea enim omnes virtutum perfectiones tanquam in speculo teste B. Bernardo relucēt. Vnde ad fratres de monte Dei Carthusianos ita scribit. *Nouitiis ad excitanda eorum interiora, melius & tutius proponuntur meditanda redemptoris nostri exteriora. Nam ostenditur in eis exemplum humilitatis, prouocatio charitatis, & affectus pietatis.* Rom. 13.

INTELLIGES vero melius totum, quod de imitandis Christi Domini actionibus dixi, si prius duo posuerim fundamenta. Primum

est S. THOMÆ, in omni actione externa cõcurrere tres potentias actiuas, (nam quarta, quæ est intellectus cũ sua cognitione antecedit.) Prima est voluntas, quæ actionẽ eligit, & acceptat, & quod plus est, immediate potentiæ motrici commendat, quo eã exæquatur, quę est ordine tertia, aut per sensua litatem imperat, quæ est secunda. Exempli loco sit, voluntariè obiicere brachium vulnerãdum ferienti, vt saluum maneat caput. Hic primum intellectus considerat, si ictus ferientis capite excipiatur, in discrimen vocari vitã, eamq; brachii incolumitati prę ferendã, idq; repræsentat voluntati, quæ mox huic iudicio parens mãdat sentiendi facultati, vt brachio ictũ excipiat. acquiescit illa & rursum imperat Motrici, vt exequatur, qꝑ facit attollendo brachium vt seruet caput. ALTERVM fundamentum est Apostoli Pauli,

Rom. 7. qui ad Romanos scribens. *Sentio*, ait, *aliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* quod nõ est aliud, quam dicere, bellum quoddam geri inter

Gal. 6. Spiritum & carnem. *Caro, enim* (vt alibi ait) *concupiscit aduersus Spiritũ, & Spiritus aduersus carnẽ.* Hanc pugnam carnis & Spiritus omnes in exercitatione operum bonorum experimur & nonnunquam efficit, vt faciamus, quę nõ

Rom. 7. vellemus, vt & Paulus de se confitetur. *Non*

quod

quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo malum, hoc facio. Nonnunquam etiam facit, vt longius progrediamur, & succumbamus.

Dico ergo in Christi actionibus, omnes illas operatrices potentias cum summa cõcordia concurrisse. Imo & passionibus. nam cum aliquid aduersi ei perferendum esset in volũtate producebat actum acceptationis, imperabatq; sensualitati vt idẽ faceret, quæ ilico obsequebatur Atq; ex hoc Appetitus sensitiui consensu forte poterimus intelligere voluntatem Christi in Dauidicis verbis fuisse laudatã *Amicus meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos: & in domo Domini ambulauimus cum consensu.* Psal. 54. Atq; item, quod Dominus noster apud Lucam geminato verbo expressit. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Luc. 22 quasi diceret. Pascha illud vltimum meæ passionis non voluntatis modo, sed etiam appetitus sensitiui desiderio desideraui.

Vt finem deniq; faciamus, aio, quo crebrius, firmiusq; hi duo appetitus in actionibus, perpessionibusque tuis copulabuntur, quoq; viuacius intellectus iudicio suo præsto fuerit, & quo prõptius efficaciusq; motrix facultas omnia executa fuerit, hoc propius Christo in operationib, assimilaberis.

De Studio autem & industria, quæ à nobis vsurpanda est in perpendenda Christi vita sanctisq; eius operibus, dico, eam aptissime nos posse discere ab iis qui artem pingendi profitentur. Hi enim oculis obiecta re, cuius effigiem volunt exprimere, principio accurate contemplantur partem eam, à qua initium faciēdum est: eaq; aliquoties circumspecta, tandē in subiecta tabula primas incipiunt trahere lineas, sed in medio trahendi cursum subinde inhibent, vt videant, num recte trahantur, idemque iterant, cum finem trahendi fecerint, sic & in cæteris lineis ducendis sensim pergunt, donec totam effigiē expressérint. Haud secus nos debemus iterumq; iterumq; mentis oculos in vitam Christi Domini nostri defigere, ac deinde in tabula personæ nostræ operum Christi lineamenta adumbrare, seduloque expendere an prototypo respondeant.

Ceterum est hoc loco quiddam magni momenti notandum; nempe in hoc depingendi labore reperiri tres actiones trib. hominum statibus, hoc est, incipientium, proficientium & perfectorum non absimiles. Prima est, tantum extrema cuiusq; membri lineamēta gypso, vel alia materia exprimere, quę congruit incipientibus. Secunda est,

linea-

lineamenta tingere coloribus ſecundum cuiuſq; naturam. Et hæc eſt proficientium. Tertia eſt, expolire, & perfectionem extremam adiungere, quod fit colorib. optimis. Et hęc eſt propria perfectorum. Dico igitur in incipientibus, qui nondũ perfecte animi paſſiones domuerunt, nonnunquam intellectum & voluntatem ita à bonorum operũ exercitio retrahi, vt ea tm̃ exterius faciant, ac proinde Chriſti vitæ non niſi ſecundum externam ſpeciem ſeſe conformant, cuiuſmodi ſunt ii religioſi, qui boni aliquid faciunt, eo tantum, quia ita præſcribunt Regulæ, vel quia ita ſuperior mandauit, vel ob alium ſimilem humanum reſpectum, ſimiles pictori primas tantum lineas ducenti. Nec tamen id agendo delinquunt, ſed paulatim ſe ad maiorem perfectionem comparant, vt intellectum quoq; & voluntatem ad bene faciendum inflectant: nam ſicut imago colorib licet rudius, tincta, clarius repręſentat exemplar ſuum, quam quæ tantũ eſt primis ducta lineis, ſic etiam huius actiones ſimiliores ſunt actionibus Chriſti, eo q; vtrasq; & intellectus & voluntatis actiones habeãt coniunctas: voluntatis quidem vt libenter exerceat; intellectus vero vt iudicet conuenienter eas fieri, quantumuis aliquando appetitus ſenſitiuus repugnet. qui in perfectis

vel

vel tam raro, vel tã cunctabundè repugnat, vt ad primum rationis nutum fere pareat, &imperata exequatur, ac ideo illos comparauimus iis pictoribusqui extremã manum imagini apponunt Neque tibi videri debet nouum & incredibile, posse sentiendi facultatem eo pertingere, vt consentiat actioni naturaliter sibi repugnanti: id siquidem totum, non naturæ, sed gratiæ adscribendum est diuinæ, atq, virtutis indoli, quarum vim
Psal. 83. expertus Dauid dixit *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuũ.* Dixi Perfectos quoq; persentiscere eiusmodi pugnã carnis & Spiritus, sed id fit rarissime, languidissimeque: quia in hac vita non fiet, vt prorsus ab ea liberentur. Quanquam negari non potest continua eorũ mortificatione fieri, vt quotidie imminuatur, ac ideo ad viuam Christi similitudinem propius accedant cum B. A-
2. Cor 3. postolo Paulo ita loquente. *Nos autem in eandẽ imaginem transformamur à claritate in claritatẽ, tanquam à Domini Spiritu.* quasi diceret. Assidue in manibus voluntariæ, dulcisq; meditationis penicillum, tabellamq; exquisitis virtutum coloribus effigiatam tenemus, ac perpetuo magis magisque conamur imaginem perficere: neq; satis nobis est, vt qualicunq; modo Christum in ea repræsentemus, sed ad tantam similitudinem aspiramus, vt non modo

modo videamur esse quidam Christi, verum etiam omnino transformemur in ipsum, nec solum exprimamus eius effigiem, sed ipsissimam ēt formā obtineamus, vnde dicit *In eandem imaginem TRANSFORMAMVR.*

Ex dictis perspicuè liquet, Meditationem illam bonam & fructuosam censeri, cuius beneficio in notitiam alicuius virtutis Christi D. N. vel defectus illi oppositi venimus: vel certe quà magis, quam prius ea notitia fuerimus illustrati. Fructuosiorem vero, qua Dominus noster bonum propositū suggessit, aut passionem aliquā coercendi, aut virtutem aliquam complectendi, aut extirpandi vitium, aut prauam inclinationem, consuetudine expugnādi, aut deniq; si propositū simile ante in animo extiterat quidē, sed nunc magis sit efficax & inflāmatū. Idq; totum intelligendum est ēt de orationibus, vel meditationib. in quas multę animi distractiones (modo inuoluntariæ, ac proinde culpæ expertes sint) inciderint. Dixi, hoc secundum, id est, bonum propositū esse præstantius primo, si loquamur de bona cogitatione. Nam sicut melius est in venatione capere leporem, quam eundem currentem videre, sic melius est bene facere, cui proximum est propositum bene faciendi, quam bene cogitare. Atq; idcirco plurisfacere debes in tuis meditationibus illud, quam hoc.

Modi excitandi voluntatem ad bonum.

CAP. VIII.

AT occurres fortasse, te excitasse quidē voluntatem in Meditationibus tuis ad faciendū bonum propositum, & simul probasse cum S. Augustino non potuisse te obtinere, etiamsi intellectus hinc inde discurrens multa bona repererit, iuxta illud quod in Psalmum 118. scribit. *Præuolat intellectus, & tarde sequitur, & quandoque non sequitur humanus & infirmus affectus:* ac proinde optare te rescíscere causam, & remedium adhibere. Ego vero respondeo, id non modo tepidis, sed etiam feruentibus, licet dissimili de causa, solere contingere. Tepidis quidem, quando pariter carnis & spiritus frui volunt illecebris, & ita falluntur. Nam quando voluntas satiata est humanis deli-
Prou. 25. tiis, fiocci facit diuinas, iuxta illud Salomonis. *Anima saturata calcabit fauum.* Quod idē apparet in accipitre, qui dum satur est, non persequitur perdices, sed spaciatur sub arboribus. siquidem natura ei inditum est, prędas agere auium ad sustentandum suum corpus, & nō ad vtilitatem, vel voluptatem aliorum quærendam.

Quocir-

Quocirca & remedium ab aucupe venabimur. Solet is pridiana aucupii nocte escam accipitri subtrahere, vt fame adactus auium prædæ inhiet. Subtrahe ergo & tu ad tempus voluntati carnis illecebras. (nam secundum S. Bonauenturam caro ea conditione creata est, vt ne ad momẽtum quidem sine voluptate aliqua persistere queat) & mox vbi animaduerterit se destitutam externis, confugiet ad internas, illisq; vti famelica, se exsaturabit.

FERVENTIBVS quoque idem accidit, quãdo tempore abundantiæ indiscretè exercitia mentalia continuant, aut tempore ariditatis, vel desolationis nimium se vrgent, & vim capiti inferunt, vel pectori, atque ita corpori nocent, & animæ fastidium pariunt. Vnde quando se vident in iisdem periculis, tergiuersantur, & progredi non volunt, similes infantulis, qui degustata semel amaritie papillis maternis aspersa, quoties os admouent illico retrahunt. Remedium autem pro talibus erit, vt vtroque tempore discant vti moderatione.

DICES fortasse, tibi quidem videri opportuna hæc remedia, vt caueatur, ne voluntas labatur in dicta incommoda: Sed te quærere remedium ad excitandum ap-

petitum, quando iam lapsa est. Ad quod dico, remedium præsens esse, si ei quanta claritate poteris, demõstres rei propositæ præstantiam ac bonitatem. nam cum Bonum sit voluntatis obiectum, vbi ei repræsentatum fuerit tanquam tale, naturaliter illud amabit & complectetur. Obtinebis autem illud modis sequentibus.

PRIMO, si & ob oculos ponas honestatem & pulchritudinem virtutis, vel boni operis, quæ tanta est vt omnes homines trahat in admirationem, quemadmodum figillatim demonstrat Salomon in lib. Sapientiæ, de virtute castitatis *Quã pulchra est*, inquit, *casta generatio cum claritate*. Et Doctor quidam asserit animã virtute præditã tam esse venustam & splendidam, vt si quis eam intueri posset, eiq; cõiungi, & consuetudine eius perfrui, etiam propriũ corpus, si id aspectum impediret, sit discerpturus.

Sap. 4.

SECVNDO, si crebrius eundem cõceptum variis modis repetat, nunc per hũc versum, nunc per illum volutando; sic enim tempus datur voluntati, vt excitetur. Quos modos intelliges perlegendo S. Gregorium, B. Bernardum, &c.

TERTIO, si adiungas similitudines & exempla, non similium modo rerũ, sed etiam dissi-

dissimilium. nam & hæc intelligentiam iuuant secundum illud Aristotelis. *Oppositæ iuxta se posita magis eluceſcunt.* Quo in genere imitandi sunt mercatores pannorum, qui in officinis suis arte quadam colorem vnius panni, coniungunt colori alterius, vt omnibus explicatis homines ad emendum facilius alliciantur.

QVARTO, si declares quantã vtilitatẽ cãpere possit ex illa non solum in altera vita, sed etiam in præsenti. Poteris similiter & oculum intendere ad damna, afflictiones, aliaque incommoda, quibus expositi sunt homines flagitiosi, vt superbi, auari, &c. à quibus omnibus vna humilitate, vel paupertate liberari possint.

QVINTO, si exponas, quantam voluptatem ex virtutũ exercitatione homo capiat, etiam in materia pœnosa, vt norunt qui id probarunt, vt si quis funiculis acriter corpus diuerberet: quantum enim in ea diuerberatione augeſcit dolor carnis, hoc creſcit amplius delectatio spiritus vel voluntatis. Idem contingit in magno contemptu, vel humiliatione. Ac in quibusdam quidem tanta solet esse animi lætitia, vt etiam in corpus redundet, iuxta illud Dauidis. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Psal. 83.

SEXTO, si cogites, te gaudium conciliare angelis in cœlo, sicut Christus testatur
Luc. 10. apud S. Lucam. *Gaudium in cœlis coram angelis* DEI *super vno peccatore pœnitentiam agente.* Contra ergò mœrorem conciliabis dæmonibus in inferno.

SEPTIMO, si perpendas, quid à te reposcat status tui institutum, ac, si religiosus sis, Ordinis Regulæ, an scilicet aliquid tale in iis mandetur, vel commendetur. Quod si secularis es, vide num obliget te aliqua necessitas exercendæ huius vel illius virtutis, ne salute excidas, aut grauis tentatio expugnanda incumbat. Quo in casu imitandus tibi est S. Paulus, qui egregiè
1. Cor. 9. corpus suum exercebat, dicens. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, non quasi aerem verberans.*

OCTAVO, & vltimo, si Deum obsecres, vt impellat tuam voluntatem. Scriptum e-
Prov. 21. nim est in Prouerbiis. *Cor regis in manu Domini, quocunq; voluerit inclinabit illud.* Et spero te exauditum iri, maximè si de profundis vilitatis tuæ clamaueris cum Dauide.
Psal. 129. *De profundis clamaui ad te Domine. Domine exaudi vocem meam.*

TRA-

TRACTATVS II.

DE PRÆPARATIONIBVS.

Ad recte meditandum necessariam esse præparationem.

CAPVT I.

PRÆPARATIONEM ad meditãdum esse necessariam persuadet primo ipsa Orationis natura, secundo diuinæ scripturæ auctoritas, tertio doctrina sanctorum. Et vt à primo initiũ sumam. dico cum natura cuiusque rei cognoscatur ex eius definitione, naturam quoq; orationis ex definitione esse indagandam.

S. DAMASCENVS libro 1. de fide orthodoxa cap 14. definit eam in hunc modum. ORATIO *est ascensus mentis in Deum* & ANSELMVS. *Oratio est eleuatio mentis in* DEVM. In vtraq; vides orationem vocari eleuationem, vel ascẽsum animæ ad Deum. Vbi notandum est, etsi Deus animam no-

ſtram ea cõditione creauerit, vt naturaliter conſcendat ſurſum ad Deum, ſicut naturale eſt lapidi ferri deorſum, vt tradit B. Auguſtinus libro I Confeſſion cap. 1. *Domine*, inquiens, *creaſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* ac proinde tam facile ei deberet eſſe aſcenſus, quam lapidi facilis eſt deſcenſus, tamen manibus tangimus contrarium Licet enim aliquando conetur ſe in ſublime ſuſtollere, tamen ilico inſtar plumbi deorſum relabitur, corruptibilis huius corporis mole oppreſſa, vt queritur ſapiens. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Propter mutationem igitur vitio peccati originalis in anima noſtra factam, dum cogitat vacare orationi, & attollere ſe in Deum, opus habet variis præparationibus. Nam ſicut ad erigẽdum obeliſcum, vel columnam opus eſt multis ordinibus trabium, aliarumq; machinarum obingens earum pondus, ſic ad erigendum in precibus cor noſtrum in Deum, opus eſt variis mediis.

Sap. 9.

5. Scriptura eandem præparationum neceſſitatem non ſilet. *Ante orationem*, ait Eccleſiaſticus, *præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat* DEVM, quod perinde

Eccle. 8.

perinde est, ac si dicat. Antequam ad orandum te conferas, præpara te: si enim secus feceris, Deum tentabis, quod S. Thomas asserit esse peccatum. Nec mirum. quia non est aliud, quam probare potentiam diuinæ suæ maiestatis. Tentare quippe Deum, est velle Deum extraordinaria potentia efficere illud, quod semel decreuit ordinaria potentia facere per causas naturales. Tale fuit consilium dæmonis Christo Domino propositum, vt de pinnaculo templi se deiiceret. nam Christus apud S. Matthæum ei respondit *Non tentabis Dominum* DEVM *tuum*. innuens, cum scala sit ordinarium instrumentum, qua commodè ex sublimi loco descenditur, conueniens non esse expectare miraculum extraordinarium, vt deportaretur manibus angelorum, quemadmodum nequam ille suggerebat.

S. Tho. 22. q. 97. a. 3.

Matt. 4.

QVOD ad doctrinam sanctorum de eadem præparatione attinet, contentus ero iis, quæ noster B. P. IGNATIVS in suo Exercitiorum spiritualium libro præscribit, vbi satis perspicuè sententiam suam in Annotationibus exposuit. *Tradēs exercitia*, inquit, *si animaduertit ei, qui recipit, nullas inuidere spirituales animi commotiones, vt*

sunt consolationes, & el tristitiæ, neq; diuersorum spirituum agitationes, sedulo debet percunctari, an ipsa exercitia præscriptis agat temporibus, & quibus modis: an etiam obseruet diligenter cunctas additiones, & de singulis ratio postuletur. Vnde liquet, eum iudicasse omnes supradictos bonos Meditationis effectus pendere ex obseruatione additionum, quæ sane omnes pertinent ad præparationem. Adhæc legimus in eius vita, solitũ eum dicere, quamuis negotia etiam humana homo spiritualis debeat in precibus suis commendare DEO, prosperumque eorum exitum è diuina manu præstolari; nihilominus suam quoque debere in eo perficiendo locare industriam, ac tanto quidem studio ac cura, ac si ex illa vna felix successus penderet.

RATIO deniq; ipsa euincit præparationem ad rectè orandum requiri, haud secus, quàm causa requiritur ad producendum effectum. In omni siquidem productionis genere antegressæ dispositiones communiter appellantur causæ rei productæ. Exempli causa, comburitur lignũ huius combustionis efficiens causa non solum dicitur ignis, qui illud accendit, sed etiam sol, qui illud cum humidum vel viride esset, exsiccauit,

cauit. Dicitur enim causa, quia humiditatem vel viriditatem, quæ oberant inflāmationi, ligno subtraxit. Præparationes ergò quoniam animam nostram disponunt, remouenda impedimēta ad rectè orandum, merito dicuntur causa bonæ orationis.

HACTENVS, nisi fallor, satis tibi persuasi, vt credas præparationem oraturo vel meditaturo omnino esse necessariam: iam restat, vt Præparationes omnes diuidamus in tres classes. Prima sit earum, quæ dicuntur *Remotæ*, ita dictæ, quod longe ante orationem sint vsurpandæ, & quasi è longinquo. Secunda sit earum, quæ vocantur *Propinquæ*, vel Vicinæ, quia paululum antecedunt orandi tempus. Postrema, est earum quæ dicuntur Immediatæ, quia immediatè actum orandi præcedunt.

De collectione animi.

CAP. II.

ADVERTERE te cupio, me non agere hoc loco de omni collectionis genere, sed tantum de collectione animi: atque ideo suspicari non debes me ad rectè meditandum postulare, vt in eremum aliquam te abdas, aut cubiculo perpetuo includas. Quamuis enim corporalis solitudo multū

ad bene contemplandum profit, non est tamen ipsa per se sufficiens aut necessaria, quemadmodum his verbis pulcherrimis B. GREGORIVS exponit. QVID *enim prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. si prematur verò aliquis populariibus turbis, & tamen nullos curarum tumultus in corde patitur, non est in vrbe. Itaq; bene conuersantibus primum solitudo mētis tribuitur.* Lib. 3. moral. c. 12.

Gaudeant igitur qui ratione vocationis, officii, vel propositi conuersantur cum proximis, vt eos iuuent, si id faciāt eo modo quæ dictus sanctus indicauit, si enim cor collectum sit, omnia impedimēta remouentur.

COLLECTIONEM autem cordis, etsi multa vitia vel imminuere, vel etiam prorsus tollere possint, ego tamen duo tantum hic ob oculos ponam, quę sunt principalia, & quasi capita multorum aliorū. Alterum est *curiositas*. alterum verò appellabimus vitium superflue se occupandi in negotiis parui momenti. Incipiamus à curiositate, quæ non est aliud quàm vitiosa cupiditas, vel intellectus vel sensuum beneficio aliqua cognoscendi. Cuius noxia peruersitas

non

non solum cõsistit in ipsis rebus, sed etiam in modo earum cognoscendo. Vtrumque enim pernitiem afferre potest homini spirituali, eo quod prorsus orationis studio aduersentur. Oratio siquidem postulat, vt anima prorsus intra se sit collecta, sicut innuere videtur Christus Dominus noster, quando apud S. Matthæum dicit *Tu autem cum oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum.* Curiositas verò econtrario impellit animam, vt foras prodeat. nam, vt dictum est, ipsa est quidam appetitus vel cupiditas. Appetitus autem proprium est hominem transferre ad rem concupitam vel amatã, conuenienter dicto AVGVSTINI. *Animus magis est, vbi amat, quã vbi animat.* Matt. 6.

VNDE, sicut fieri non potest, vt vno eodemq; tempore, res aliqua tota permaneat intra se, & tota euagetur foris, sic fieri non potest vt homo curiosus recte queat vacare orationi: vel fieri homo orandi studiosus. Rogentur ipsi, num res ita se habeat, an secus, & meæ assertioni fidem facient, si parcere veritati nolint, & ingenuè fatebuntur se maiorem temporis partem rerum nouarum cognoscendarum studio impendere, vti prolixius declarabimus, cum de distractione agemus.

AT excipiet forte curiosus, sciendi cupiditatem homini esse naturalem, & ab ortu congenitam. Cui respondeo, quemadmodum conuenit hominem spiritualem moderari naturam suam in aliis excessibus, sic rationi cõsentaneum esse, vt faciat quoque in curiositate. Nam, vt verum dicam, quæ rogo conuentio est statui spirituali, cum cupiditate cognoscendi, rerum bellicarum euentus, statuum variorum conditiones, & id genus alia? Respondebit fortassis, notitiam illam sibi prodesse, vt in orationibus suis Deo impensius mundi necessitates commendet: sed miser non aduertit, suæ diuinæ maiestati multo amplius placere, vt illas generatim, & non speciatim anxia illa curiositate cognitas sibi commendet. Neque ad confirmandam opinionem suam niti potest illo Aristotelis dicto. *Naturâ nec laudabiles, nec vituperabiles sumus.* id enim intelligitur de rebus purè naturalibus à libero arbitrio non pendentibus, vt est appetitus edendi cum fame; & bibendi, cum siti laboramus. At sciendi appetitus ita naturalis est, vt totus tamen sit rationi & libero arbitrio subiectus, ac proinde vitiosus, quoties cum ratione non consentit. Proripe te ergò quamprimum ex huius vi-

tii ba-

tii barathro, si ingredi illud cœpisti. Similis prorsus est hæc infirmitas spiritualis, hydropi corporali, qui in homine hoc auget magis cupiditatem bibendi, quo plus biberit, donec eum in sepulcrum protrudat.

SVPEREST vt ad aliorum vitiũ veniamus, nempe ad inordinatum affectum occupandi se in externis negotiis, maximè si ad statum meditatoris non pertineant, vt religiosi, si sint negotia secularia. *Nemo enim*, inquit Apostolus in secunda epistola ad Timotheum, *militans Deo implicat se negotiis secularibus*. 2. Tim. 2. Quod autem Deo non placeat, vt serui sui misceant se temporalibus negotiis, declaratum est tempore Machabæorum in conflictu sacerdotum, qui quoniam nullo adhibito Dei consilio bellicis rebus se miscuerunt, morte occubuerunt. *In die illa*, inquit textus, *ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeũt in prælium*. 1. Mac. 5. Sine consilio ait, quia perpendere debebant, in bello Sacerdotum esse orare, & belligerandi partes relinquere militibus. Potest igitur error committi in hoc genere, vel in qualitate negotiorum, quæ homo contra sui status rationes suscipit, vel in modo negotia etiam proprii status tractandi, vt cum in

iis tra-

iis tractandis nimis immoderatus affectus, siue internus, siue externus interuenit, nulla habita ratione personarum, locorum & temporum Quod si quis purgandi sui causa obiiciat Christi Domini exemplum, qui totos dies iuuandis proximis impendebat, is scire debet, illas occupationes non fuisse huius generis id est, seculares. nam cum aliquando quidam de turba, vt est apud Lucã, rogarent Christum, *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, respondit. *Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Deinde scire debet, quod crebro post diurnos labòres totas noctes in oratione pernoctarit. Denique fortassis isti occupationum superuacanearum amatores, quoniam difficeri nequeunt orationes suas sæpe vel omnino interrumpi, vel multitudine euagationum mentis, dum de suis negotiis solliciti sunt, plus æquo turbari, audebunt cum B. Paulo dicere illud quod est in altera epistola ad Corinthios. *Sobrii sumus vobis, Caritas enim Dei vrget nos.* Sed meminisse debent illius sententiæ Christi apud Matthæum. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Luc. 12.

2. Cor. 5.

Mat. 6.

CÆTERVM glorificandus est DEVS O. M. quod

quod ii, qui pro ratione instituti sui salutis proximi procurandæ inuigilant, idq; conuenienter Regulæ suæ & voluntati superiorum, nullam iacturam animæ, & fructus spiritalis faciant, experianturq; quod apud S. Marcum Dominus noster promisit Apostolis. *Et mortiferum si quid biberint, non eis nocebit.*

De tranquillitate mentis.

CAPVT III.

QVANTA necessitas sit tranquillitatis mentis. demonstrat alicubi B. GREGORIVS hac eleganti similitudine. Sicut homo quando effigiem suam in vase aqua pleno intueri vult, perfecte eam intuetur, cum aqua est immota, nō autem si moueatur, imò si magno impetu vas concutiatur, nihil nisi monstruosum ob specierum cōfusionē apparet, sic mens nostra, quādo passionibus multis agitata est, in meditatione rerum diuinarum, aciem defigere non potest in earum pulchritudinem. Quamuis autem omnibus passionibus commune sit tranquillitatem mentis impedire, tamen crebrius, & fortius id faciunt quatuor earum. Amor, ira, timor & tristitia. Quibus vt facilius occurrere queas, mederique,

tria

tria præstabo. Primo, naturam earum declarabo Secundo ob oculos ponam cuiusque turbationem, eiusq; causam: tertio adiungam remedia ad eas sedandas, incipiendo ab Amore.

AMOR est affectio ad res quæ placent, vt quæ gustui nostro arrident, & cum natura nostra, eiusq; dispositione conueniunt. Amoris huius proprium est, hoc plus expetere, quo plus illi datur, non absimilis illi, qui teste S BERNARDO in declamatione quadam, semper solitus erat dicere, AFFER, affer. ac proinde recte confertur hydropi: sicut enim hic morbus hoc amplius adauget sitim, quo amplius bibitur, ita passio amoris hoc plus crescit, quo plus illi conceditur. quod Iuuenalis Ethnicus poeta de pecuniæ amore graphice expressit, dicens: *Sat.14.* *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

VENIO ad secundum, id est, ad perturbationes, quas solet Amor excitare. *Vnum scio*, ait Richardus Victorinus, *& dubitare non audeo, quod dum animus noster ad ima per amorem diuiditur, quietus esse non poterit, nec in mentis tranquillitate seruari.* Atque experiētia ipsa nostra culpa id quotidie experimur, dum incautè amore quodam in- *Lib. 1. Ester. c. vlt.*

ordinato

ordinato prosequimur res etiam natura sua bonas & honestas. Has turbationes & inquietudines indicauit CHRISTVS in parabola spinarum, in quas semen illapsum suffocatum fuit. Quemadmodum enim spinarum aculei pungunt corpus: sic rerum creatarum amor transfigit, laceratq; animam, vt docet S. GREGORIVS homilia in Euangelia 25 *Quis enim*, inquiens, *mihi vnquam crederet si spinas voluissem interpretari diuitias, maximè cum illa pungant, ista delectent, & tamen spinæ sunt, quia cogitationũ suarum punctionibus mentem lacerant.* Atq; nota eas non solum pungere cogitatione & desiderio, dum nondum possidentur, quod indicatum est apud Lucam verbo illo, *Solicitudinibus*. sicut Dominus ipse declarauit cap. 6 Matthæi, dicens. *Nolite soliciti esse, dicentes. Quid manducabimus, aut quid bibemus in futuro?* verum etiam dum iam possidentur. Subit enim cura ingens eas conseruandi, cumulandi, & exponendi, nec non timor eas amittendi; quod si euenire aliquando aduersante fortuna contingat, quid aliud sequitur nisi summa animi perturbatio cum extrema melancholia?

Matt. 13.

Luc. 8.

AGNOSCI possunt animi perturbationes in amantibus ex pallore vultus, corpo-

ris tenuitate, ſuſpiriisq; crebris & aſſiduis ex intimo corde tractis, aliisque ſimilibus quamplurimis indiciis.

VNICVM, ſed efficaciſſimum antidotum (quod tertium erat) ad hanc ægritudinem animi ſanandam eſt, rem plus nimio amatam amatori ſubtrahere, nullamq; amplius illi amandi materiam ſuppeditare: videmus enim hydropicum nullo alio antidoto efficacius ſanari, quam potus ſubtractione. Vocaui autem amorem hunc infirmitatem ſpiritualem abſolutè: quia, licet notum ſit non conuenire ei hanc nomenclaturam, niſi quando moderatio non obſeruatur, tamen M. T. Cicero omnes paſſiones ægritudinum nomine complectitur, eo quod homines raro moderato amore in creatas res ferantur. Quocirca & Doctor quidam notauit Chriſtum apud Lucam ſignatè ita locutum. *Qui non* ODIT *patrem ſuum* &c. Sciebat enim rarò modum in parentibus diligendis ſeruari.

Luc. 14.

De reliquis tribus Paſſionibus.

CAP. IV.

IRA ex parte formæ ſuæ, quatenus eſt animi motus, definitur eſſe *appetitus vindicandi iniurias illatas*: ex parte verò materiæ

teriæ, quæ est commotio corporalis, ab Aristotele libr. 1. de animo in hunc modum definitur. IRA *est inflammatio sanguinis circa cor*. Et quia inflammatio cordis in homine irato sic augescit, vt rationem eripiat, idcirco ab aliis sic describitur *Ira furor brevis est*. Ac sane non immerito confertur phrenesi, eo quod vtraq; ex nimio calore originem suum trahat, hæc in capite, illa verò (vt dictum est) in corde.

AGITATIONES, quas animus ab hac furiosa passione sustinet, facile coniici possunt ex alterationibus, quæ in corpore sequuntur. In iracundo enim oculi quasi ardentes scintillant, despumat os, dentes stridٍent & crepant, rugitus auditur leonum & mugitus boum, nares contrahuntur, vno momento mira colorum varietas in vultu cernitur, nũc pallescente instar niuis, nunc rubescente, & feruescente instar ignis.

RESTINGVITVR ira, velut ignis, intra pectus eam suffocando, ne prodeat foras, haud secus quam candela vel fax altaris extinguitur iniecto emunctorio. Neque idoneum remediũ est conprimere eam vociferãdo, vel comminando: licet enim tunc videatur extincta, tamen non est hoc aliud quam ipsius passionis actum exercere, ac

efficere, vt quando minime animaduertitur, facilius & acrius obrepat, sicut contingit igni, quãdo disiectis vndiq; lignis quasi dissipatur, sæpe enim fit, vt delitescens ad tempus, sæuius deinde erumpat, & grauius excitet incendium.

QVARE sensim procedendum est: vt primum indignationis verba cohibeas, tum inconditos gestus & motus minarum, ac denique accedes ad internos quoq; choleræ impetus coercendos: licet sancti, & vitæ spiritualis Magistri, sicut & Physici moneant, *à facilioribus & notioribus esse inchoandum:* quod intelligo maximè de externis, quia sensibus sunt manifestiora. Ac similis quidem est ratio medendæ choleræ, quæ est secundum Medicorum præcepta phreneſis, vt nimirum semper exhalatio calida & sicca sopiatur, ne ascendat in caput.

TIMOR est animi perturbatio, nata ex apprehensione mali impendẽtis, aut metu boni amittendi. Varia accidentia quæ in timidis apparent, declarant alterationem animi illorum. Sunt autem hæc fere, quæ sequuntur Colorum in vultu vicissitudo, tremor vocis & genuum, ac nonnunquã corporis totius, palpitatio item cordis, & similia. Quare non immerito comparatur paralysi,

ralysi, quæ est ægritudo corporis, ex solutione neruorum orta: vnde cum pro libito non possit mẽbra mouere, contremiscunt.

MEDEMVR autem timori, sicut paralysi. Medici enim ad eam curandam adhibent vnctiones & fomenta, quæ corroborent membra; & neruos in statum suum reducant. Tu quoq; certã timori medicinam facies, si rerum creatarum amorem corde tuo eximas, siquidem nihil formidamus amittere, nisi quod amamus. & aliud amor non est, quam solutio quædam animi erga rem amatã. Sublato ergo amore contrahet facile se cor ad iustum modum, atq; ita nõ timebit amplius, nec tremet tam facile, si quid aduersi inciderit.

RESTAT nunc, vt aliquid addamus de Melancholia, quæ est quędã animi inquietudo, nata ex re, quæ præter voluntatem acciderit; quamq; in imo pectoris quasi oppressam tenet. Vnde congruenter assimilari potest Lethargo, qui ex magna crassiorũ vaporum multitudine, frigidorumq; generari solet. qui cum non possint capitis calore consumi, opprimũt cerebrum & somnolentiam illam efficiunt. Inquietudines autem, quas in animo creat, sunt ferè hæ. Dolor intolerabilis ob malum quod euenit,

suſpiciones variæ, cogitationes in vnam illam rem habere defixas, hanc expendere, ruminareque diu noctuq;, vigilia, & somno, timere omnes, nulli fidere, imaginari varia, cor innumeris phantaſiis, haud ſecus quam ingentem pilam vento, adimplere, in ſolitaria loca & angulos ſe abdere & lucem omnem fugere.

ANTIDOTVM eſto. primum excutere omnes inanes phantaſias, etiamſi cum labore & moleſtia fiat, nam & lethargi morbus ſic curatur, ſi lethargicum trudendo, pungendoq; eo vſq; excrucies, vt dormitare non queat. Nam ſi id non fiat, & inchoatis phantaſiis curſus ſuus permittatur, non facile expugnabitur melancholia, ſicut lethargicus non facile reualeſcet, ſi ſopori in principio non reſiſtatur, quo enim diutius dormit, hoc ſomnus altiores radices agit, vt tandem nec excitari poſſit, etiamſi ignita galea capiti eius imponeretur. ALIVD remedium eſt. vt pila inflata, ſi vel minimo cultello pungatur, omnem expirat ventum & detumeſcit, ſic ſi melancholicus vel minimo confidentiæ cultello os aperiat citra dubium reualeſcet Nam experientia conſtat velut dicta pila quamdiu inflata eſt, dura videtur vt lapis, detumeſ-

cens verò non est nisi quædam mollis & tenuis pellis, ita melancholicus deprehendit omnes cogitationes suas fuisse vanas & q vento turgidas, simulatque eas Patri spirituali patefecerit.

NEQVE mirêre, quod primo loco posuerim remedia naturalia & humana, & non spiritualia ac diuina de recursu ad DEVM per orationes. videmus enim Christum Saluatorem non ante sedasse tempestatem maris, quam Apostoli aliquanto tempore in remigando laborassent, vt narrat S. MARCVS dicens. *Videns eos laborantes in remigando, venit ad eos, & ascendit in nauim, & cessauit ventus.* Mar. 6. Et verisimile est, idem alias accidisse, antequam eum in naui dormientem excitauissent, cum ei dicerent, vt habet B. Matthæus. *Domine, salua nos, perimus.* Matt. 8. Tunc enim exurgens, imperauit mari & ventis, & facta est tranquillitas magna. Adhibe ergo & industriam tuam in temperandis affectionibus prauis: maximè cum & hîc præsto habeas diuinum auxilium, ac vt aliquando illud desit, poteris cum Apostolis fidenter exclamare. Domine passionum venti vehemẽter ferociũt, magnamq;

in anima mea tempestatem excitarunt, quare & meditationis nauicula supra modum exagitetur, & est naufragio proxima. Precor itaque te supplex vt imperes huic mari, & his ventis, vt sequatur tranquillitas, egoque possim orationi commodè vacare. Inter materias, quas meditandas pro compressione passionum suscipere queas, S. THOMAS numerat considerationem rerum vniuersalium, vt v. c. nouissimorum, mortis, inferni, &c. Hac ratione passionem concupiscentiæ extinxit monachus ille, qui expendens pœnas inferni, probauit ignem ardentis candelæ. Alius verò repressit vanam consuetudinem ridendi, dicendo. *Sistendus es ante tribunal Dei, & rides?*

De variis Præparationibus ad meditationem.

CAPVT V.

QVo ars aliqua nobilior & præstantior est, hoc pluribus, & subtilioribus vtitur instrumentis, vt liquet in artificio aurificum, si comparetur cum opificio fabrorum ferrariorum. Cum ergo Meditatio sit exercitium vt dictum est supra, simile beatorum in cœlo, non debes mirari, si præter præparationes iam numeratas dicamus superesse

pereſſe alias, tam hoc quam inſequenti capite commemorandas.

PRIMA præparatio eſt, omnes materias contemplandas habere paratas, & in ordinem redactas; ne poſtea ab vna in aliam diuagandum ſit. *Faſtidientis eſt ſtomachi*, inquit B. Bonauentura in ſpeculo diſciplinæ, *multa degustare*. Nec ideo negamus præter ordinarias meditationes nonnunquam alias aſſumi poſſe, vt in feſtis Chriſti, Beatæque Virginis MARIÆ, aliiſque ſollemnioribus. imò laudamus, quia pium & ſanctum eſt affectũ noſtrum conformare cum Eccleſia ſancta, quæ tunc illorum feſtorum myſteria ob oculos ponit. Id tantum dico, non facile debere mutari ſtatas materias, etiamſi ſæpe ſpes fructus ſpiritualis ſe offerat: ſolet enim Sathanas transfigurare ſe in angelum lucis, & nonnunquam ad aliam materiam ſuſcipiendam impellere, vt tandem vtramque ſubripiat. ſimilesque reddamur cani, qui particula carnis verę mordicus apprehenſa, cum maiorem videret in aqua, priorem dimiſit, & ſic vtraq; deſtitutus eſt. *par. 2. c. 7.*

ALTERA eſt, vt veſperi, antequam cubitum cõcedas, perlegas puncta, vel hiſtoriam poſtera luce conſiderandam, etiamſi

putes quodammodo tibi perspectã, tum vt vsum inducas vesperi ea plegendi, tum quia recenti lectione manifestius imprimuntur memoriæ, & firmius: quod seruiet & præparationi sequenti.

TERTIA est, vt lectis punctis, cum qualicunq; licet leui eorundem recordatione somnum capessas. Sicut enim si in vnam ceram successiue multa sigilla imprimas, vltimum tandem suam tantum effigiem, prioribus inductis, in illa relinquit: sic in phantasia tua, in quam toto die variæ rerum species impressæ fuerunt, species dictorũ punctorum extremum locum, priorib. expunctis, retinere poterunt. Quod documẽtum proderit & pro sequenti præparatione.

QVARTA enim est, vt simulatq; mane euigilaueris, prima cogitatio tua sit de meditationis materia: id enim si feceris, non facile occurrent alia, quæ meditationem proximè futuram distrahant. Felicius etiam succedet, si pridie magno cum eius rei desiderio obdormias, ac intempesta nocte forte excitatus, leuiter saltem idem recogites. Experti siquidem sumus, non solum interdiu nos cogitare, quæ vehemẽter amamus, sed etiam noctu de iis somniare, imò excitatis primum ea in mentem venire. Cæterum

rum hic diligenter retinendum est, vespertinam illam cogitationem non debere esse seriam, sed leuem & superficialem, & similiter nocturnam De nocturna dico, si casu euigiles. nec enim opus est data opera, vel quærere, vel optare excitationem. Quod idcircò moneo, quia non expedit somnum necessarium sibi adimere, cum experientia probatum sit, quando caput adhuc vaporibus grauatum est, intellectum in discursu spiritali obtundi. Et dæmon, qui rem hanc exploratam habet, nonnũquam specie aliqua boni obiecta, meditatores in hoc genere egregiè fallit, vt in aliis deinde orationibus obruantur somno. Noui ego Patrem quondam eximia virtute, maximè autem orandi dono præditum, qui cum quodam diluculo diu multumque laborasset vt attentè, excussa omni somnolentia, meditari posset, tandem animaduertit se aliquot horas ordinario somno pridie detraxisse. Indulget igitur ad breue tempus naturæ somnum, & rursum meditationem aggressus consueta agilitate feliciter eam prosecutus est. Quando autem nihil tibi constat de tali defectu antegresso, & meditãti somnus, vel tædium obrepit, autor sum tibi; vt consilium

& ex-

& exemplum boni P. Sebastiani Romœi, viri cum virtutum omnium, tum imprimis mortificationis & contemptus sui studiosissimi, (quo nomine B. P. N. IGNATIO erat carissimus, qui crebrius in eo genere eum exercuerat,) imiteris. Hic enim solitus erat dicere. Si somnus tibi in meditatione obrepat, & post ordinaria, facilioraque remedia (de quibus postea agendum) non abscedat, fac vnam disciplinam. etsi nondum cedat, adde secundam: quod si nec sic recedat, etiam tertiam. Si verò nec tertia profuerit, securè somni aliquid capias, quia manifeste liquet naturam somno indigere. Quod autem dæmon somnum orantibus ingerat, inde credere possumus, quod legimus apud Cassianum, S. Macarium visibiliter spectasse dæmonem duobus digitis palpebras occludentem cuidam monacho, cum spiritali collationi cum aliis multis interesset.

QVINTA, atq; postrema præparatio est vicina, vt inter vestiendum & antequam ad meditandum procedatur, vel oratione aliqua vocali, quam menti infixeris, vtaris, vel pia aliqua cogitatione tempus transmittas, ne dæmoni locus detur inutiles vel noxias cogitationes in mentem tuam iniiciendi.

ciendi. Quamprimum enim animaduertit mentis noſtræ molendinum piarum cogitationum frumento vacare, mox ſuas paleas & quisquilias prauarum vel leuium cogitationum iniectat.

De Præparationibus immediatis.

CAP. VI.

AD intelligendam primam Præparationem, quam ſum allaturus, neceſſe eſt à me quoddā poni & exponi fundamentum, quod poſuere multi ſancti. nimirum, nos dum oramus, colloqui cum DEO, ſicut dum legimus libros ſpirituales, maximè autem diuinas ſcripturas, Deus loquitur nobiſcum. Vnde merito colligitur, nos, dum oramus, debere non modo intus in animo, ſed extrinſecus etiam corpore ſummam reuerentiam diuinæ maieſtati deferre. Etenim, qui vult cum ſummo Pontifice colloqui, ſimulatq; in conſpectum eius venit, in terram vſq; ſe inclinat, & rurſum cum ad medium aulæ venerit, ac tertio cum iam eſt proximus, & quod eo plus eſt, quamdiu cum eo ſermonem habet externo geſtu corporis eſt admodum compoſitus, interiuſq; ad verba & mandata Pontificis valde attentus, ob ſupremam Pontificii ſtatus dignitatem: Sic etiam ſumma reuerētia vti

debemus, quoties alloqui Deum in orationibus nostris volûerimus. Atq; hic diligenter notandum est, hos reuerentiæ actus non modo Pontifici deferri, ab iis, qui rarò eum alloquuntur, sed etiam qui loquuntur quotidie, vt ab intimis cubicularijs, secretarijs, & similibus. Accedit, quod vt ita faciãt, eos non solum sedis Apostolicæ sublimitas, verumetiam nobilitas animi illorũ impellat, quam ex maiorum suorũ sanguine traxerunt. Conuenit igitur & nos suã diuinam maiestatem obsecrare, vt nobilitatem cœlestem nobis impertiat, quo debita veneratione inter orandum cum illa conuersari possimus, quãdoquidem non sufficit mundana: vt ne similes efficiamur illis, qui ex infima hominum fece progeniti ex improuiso ad summa euadũt; & vbi tres, quatuorue dies familiares facti fuerint suo Principi, ilico incipiunt eum q. pedibus conculcare, consuetosq, reuerentiæ ritus prætermittere. at potius vestigiis insistamus nobilissimorum illorum hominum qui Papæ sunt à cubiculis, id est, angelis Seraphinis, quos
Isa. 6. scribit Isaias propheta, licet continẽter diuino conspectui assisterent, tamen ob summam reuerentiam quam eius Maiestati deferebant, binis alis faciẽ suam operuisse, vt

signi-

significarent, non audere se aperto vultu oculos in illum coniicere. Plura de hoc fundamẽto idcirco dixi, tum quia facile à quibusdam negligi solet, tum quia fundamentum humilitatis etiam secundum S. THOMAM vtilis est dispositio ad rectè meditandum. *Oratio enim humiliantis se, ait Eccles. c. 53. nubes penetrabit.* Imò & necessaria est dispositio, vt bene affirmat ISAIAS propheta. *Ad quem respiciam*, ait DEVS, *nisi ad pauperculum?* Isa. 66.

VENIO nunc ad primam Præparationem immediatam, hoc est, ad ea quæ facienda sunt proximè ante meditationis initium. vt scilicet, sanctæ crucis signo & aqua benedicta munitus, antequam genua flectas, ad spatium Dominicæ orationis salutationisque angelicæ, vnoq; passu à meditationis loco consistas, tibiq; quoad fieri potest, certissimè persuadeas, te coram diuinæ maiestatis throno, vt eam alloquaris, in omniũ Angelorũ, aliorumq; sanctorum præsentia, apparituru, omnesq; oculos in te continenter defixuros, vt obseruẽt, num omnib. animi corporisq; viribus contendas tuo officio facere satis, an vero contra, fis somnolentus & segnis Deinde attẽtissimè ad dicta tua auscultaturos, haud secus quàm Papa, Cardinales, omnisq; circumfusa hominum

turba, quæ sacello Pontificio continetur attentissimè perorantem, vel cõcionantem audire solent.

SECVNDA est, vt postquam in genua concideris, postules à Deo gratiam omnes vires, actionesq; animi ad honorem & gloriam suæ diuinæ maiestatis referendi. Et si deuotio suggerat adiungere aliquid aliud, posses petere à Patre cœlesti gratiam, vt optima quæque meditanti in mentem veniant, quo fælicior sit exitus. A Filio, vt intelligentiam illustret, quo diuina mysteria in Meditatione comprehensa facile penetres, & deniq; à Spiritu sancto, vt toto corde afficiaris ad dicta mysteria, & quod opere exequendum est, promptè exequaris. Potes quoq; B. Virginis auxilium implorare, S. Angeli custodis & eorum sanctorum ad quos singillatim afficeris.

TERTIA sit, breuiter percurrere puncta, vel mysteria meditanda. vt v. c. si meditandum sit mysterium Natiuitatis Domini, dices intra te. Mandauit Cæsar totum orbem describi, & ideo S. Ioseph, cum B. Virgine Maria concessit in Bethlehem, cumq; locus non esset in diuersorio, coactus est in stabulum diuertere, vbi peperit suum filium, pannisq; inuolutum deposuit in præ-

in præsepio. Neque existimare debes superuacaneam esse hanc repetitionem, etiamsi antegressa vespera historiam eandem perlegeris, cum ea obdormieris, & summo mane euigilaueris. Finis enim tam multiplicis studii est, vt attentionem inter meditandum consequare, quoad fieri potest, maximam. Consequeris autem hoc facilius, quo mentis facultates firmius & constātius materiam meditationis ad viuum impressam retinuerint. Qui effectus non aliunde sequitur, quā ex crebra ista repetitione, haud secus quam forma aliqua in cera perfectè exprimitur, si sigillum sæpius & fortius applicetur.

IVVANT quoque dictæ repetitiones, vt retineant, & quasi alligent mentis potentias ad hoc ministerium, ne aliò se conuertant. Exempli loco sit Papa. Is quando visere vult septem Ecclesias, pridie tubicen leuiorum Equitum inflat tubam circa eorum viciniam, vt omnibus constet esse comitandum, ac ideo posthabitis aliis negotiis se ad iter comparent. Deinde summo diluculo iterat eundem sonum, vt se in ordinem redigant, & tempestiuè præsto sint, ac Denique cum iam impendet discessus inflat tertio, vt quisq; conscendat equum,

& ad suum locum se conferat. Atque hæc eo modo idcirco fiunt, vt tanta hominum turba honesto & decoro ordine procedat: nam si secus fieret, magna sequeretur confusio, aliis alios anteuertentibus, aliis tardius, aliis celerius se in viam dantibus.

QVARTA & extrema præparatio est, postulare à sua diuina maiestate, vt intimis animi sensibus pium affectum Meditationi præcipue congruentem tibi impertire dignetur, quem patefacere debebas præcedenti vespera, dum historia, vel puncta meditationis præleguntur. Verbi causa. Si mediteris de flagellatione, vel coronatione Christi benedicti, petere, vt concedat affectum compassionis. Si de resurrectione, affectum gaudii, non solum, vt pareas consilio B. Pauli ad Romanos dicentis. *Flete cum flentibus, & gaudete cum gaudentibus,* sed etiam vt suppetant tibi considerationes ad illas materias accommodatæ. Naturale siquidem est, vt copia abundet cogitationum conspirantium cum dispositione, qua quis est affectus. Quod conuenit cum consilio à S BERNARDO fratribus de monte DEI suppeditato, cum ait. *Quo enim spiritu scriptura facta sunt, eo spiritu legi desiderant, & intelligenda sunt. Nunquam ingredieris in*

Rom. 12.

sensum

sensum Pauli, donec & tu bonæ intentionis in lectione eius, & studio assiduæ meditationis spiritum eius imbiberis. Nunquam intelliges Dauid, donec ipsa experientia ipsos Psalmorũ affectus indueris, & sic de reliquis. Quales autem, & quot sint eiusmodi affectus dicam postea.

De compositione loci.

CAP. VII.

DE vltima præparatione, h.e. Compositione loci, visum est, distinctum facere caput, quod æque difficile sit eam explicare, ac intelligere. Dicam autem de illa tria. Primo quid sit? cur fiat? quæ ad eam construẽdam sint necessaria. Auspicemur à primo. Componere locum, est imaginationis opera effingere locum, in quo peracta sunt, quæ in mysterio meditando continentur. vt in meditatione de Christi natiuitate, stabulum, in quo natus est: & de eiusdem crucifixione, mõs Caluariæ, in quo crucifixus. Hæc enim imaginatio, non solum habet vim repræsentandi intellectui imagines rerum à sensibus receptarum, verum etiam summa celeritate eas aptissimè colligendi, & suo loco disponendi, vt nec pictor longo tẽpore queat aptius: imo vno momento eas dissipat, & restaurat, ac centũ modis immutat.

VENIAMVS ad ſecundum. Duæ ſunt cauſæ illius Compoſitionis. Neceſſitas videlicet, & vtilitas. Neceſſitas in eo ſpeciatim conſiſtit, quod inter meditandum, vt dicemus, conſiderari debent perſonæ, quæ interueniunt, actionesque earum, quas exercent, quod commode fieri nequit, niſi menti obiectus ſit & locus in quo illæ perſonæ, dum quippiam agerent, verſatæ fuerunt. Et quoniam, teſte Ariſtotele, *oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari*, neceſſe eſt intellectui præſentes ſiſti earum rerum imagines, de quibus debet contemplari. Quod vt rectius capiatur, exēplo vtar corporeo verbi cauſa. Sit aliquis, qui cupiat diſcere, quæ hic ſcribo de loci imaginarii compoſitione, is proculdubio debet hunc librum, & quidem apertum, habere oculis obiectum, comparando eum cum multitudine & varietate ſua characterum, ad phanthaſiam, ſuis quoque imaginibus & phantaſiis plenam.

Lib. 3. de anima.

VTILITAS deinde in eo conſiſtit, quod cum Meditationis fœlix ſucceſſus maxime cōſiſtat in retinēda animi attentione, nulla re conſtantius & firmius ea retineatur quā loci compoſitione.

QVOD ad tertium attinet, primo obſeruandum

uandum est, quo accuratius compositionem loci formaueris, hoc facilius ad veros Meditationis fines peruenies. Verbi causa, si meditatio instituenda sit de Verbi æterni incarnatione, imaginari debes, domunculam B. Virginis tam longam, latam, & altam, quam tibi videtur fuisse, si non vidisti illam quæ est LAVRETI in Italia. Secundo obseruandum est, in loci compositione, eas circumstantias omittendas, quæ Meditationi non seruiunt, vel occasionem prębere possent distractioni. vt verbi causa, si quis imaginando hortũ Gethsemani, fingeret in eo varios exoriri fontes, decurrere lepores, aues nidificare, & id genus alia. Satis enim est concipere certam eius longitudinem, & latitudinem, accliuem locum vel decliuem viisq; distinctũ. Tertio, quando meditatio instituitur de profectione aliqua, vt B. Virginis ad S. Elisabeth, & fuga Domini in Ægyptũ, phantasia quoq, fingere debet vias cũ suis conditionibus, vt quod sint angustæ vel largæ, rectæ vel flexuosæ, asperæ vel planæ, siccæ vel lutulentæ, lignis, saxis, spinis refertæ, aut secus. Quarto, ad recte formanda loca etiam hæc iuuare queunt. Si reipsa cõspecta sint, vel imagine aliqua expressa, vel relatione aliorum, qui ea viderũt, cognita,

vel in libris inueniãtur descripta Quinto, si formentur tam loca, quam personæ eodem semper modo, vt caueatur turbatio & tædium. vt quando Christi Domini persona animo in fingẽda est semper eodem vultu, eadem magnitudine, vestimentis, gestibus & aliis similibus fingatur, nisi iusta de causa conueniat aliquando variari

QVOD si vero denique tibi accidat, quod multis aliis, vt ægre possis compositionem effingere, non contristêre, nec plus æquo te vrgeas, siue naturalis phantasiæ imbecillitas, siue fortuita aliqua capitis inualetudo, vel fatigatio, aut etiam cibi potusue excessus causa extiterit: potuerunt siquidem species phantasiæ turbari, & in vigilia præter morem ob multitudinem vaporum caput petentium exagitari, vti in somno contingere affirmat S THOMAS 1.p.q.84. art. 8. ad 2. argumen. siue denique accidat fraude dæmonum, qui teste eodem potest commouere phantasiam, vaporesque pro libito suo dirigere. Non, inquam, debes hisce de causis animo deiici, sed ilico transferre te ad contemplationem intellectus. Verbi causa, si non potes imaginari sanguineum sudorem Christi in horto, transi ad expendendas sudoris causas. Quare conue-

nit,

nit, vt in quauis Meditatione coneris locũ componere, & paulatim te ad id assuefacere cum documentis supra allatis, quippe cum manifesta sit rei vtilitas.

FINEM faciam huius de Præparatione Tractatus, si prius fecero satis Quæstioni, quæ non parum affligere solet Incipientes. Quantum, scilicet, tempus impendi in omnibus his Præparationibus debeat. Ad quam tres do responsiones. Prima est, non posse dari regulam generalem omni hominum generi congruẽtem. nam qui interdiu ordinarie est bene collectus iuxta illud Cassiani consilium: *quales orantes cupimus inueniri, tales oportet nos esse ante tempus orandi*, ei modicum tempus sufficiet. quemadmodum contingit in fidibus, quæ si paulo ante pulsatæ fuerint, & chordę in iis nonnihil remissæ, facile rursus accommodantur. Cui potest & alia illa collatio adiungi, quod recentes chordę plus temporis postulant ad accommodationem, exercitationeque ipsa longius extenduntur, sic, longiore tempore opus habent ordinarie, qui Meditandi exercitium primo aggressi sunt, quam qui iam in eo inueterarunt. Altera responsio sit, eos, apud quos creber vsus est orationum iaculatoriarũ, siue mentalium, siue vocaliũ,

facilius prosilire, deserta prę̃paratione longiore, ad Meditationem, quam eos, qui vsum illum vel non habent, vel raro. Sic videmus candelam paulo ante extinctam facile accendi, si alteri accensæ admoueatur, & si subito admoueatur, etiam accendi per aerem. Si vero diu extincta fuerit, difficulter accendi. Quilibet ergo debet tantum temporis in præparatione expendere, quantum iudicat secundum statum suum sibi esse necessarium. Addam & illud, nemini consultum esse, præparationi tam cito imponere finem, vt postea illi eueniat, q̃ festinanti fidicini, qui quoniam æquo citius fides suas concinnauit, postea in medio concentu ob dissonantiam, non sine pudore suo, & risu auditorum, cogitur pulsum inchoatum abrumpere, & iterato fides accommodare.

TERTIA & vltima responsio est, vt in particulari aliquid dicamus, si hora integra meditationi tribuenda sit, pro præparatione sufficere quartæ partis dimidiam, nisi iis naturæ donis quis instructus sit, vt citius eam absoluere possit.

De

De compositione & situ corporis.

CAP. VIII.

QVIA ad recte meditandum non parum iuuat corporis situs, membrorumque compositio, visum est non esse prætermittenda documenta sequentia.

PRIMVM, etiamsi rationi consentaneum sit, vnumquemque eum tenere situm, quo ad attentè meditandum magis iuuatur: tamen generatim loquendo primum locum tenet flexio genuum, quia eo situ, maior quam aliis reuerentia deferri videtur diuinæ Maiestati. Vnde seniores illi in Apocalypsi depositis è capite coronis prostrauerunt se ante agnum, vt eum adorarent. Atque hoc situ initio orationis suæ in horto factæ vsus est Christus Dominus, vt affirmat S. LVCAS, dicens. *Et positis genibus.* Eundem imitati sunt Apostoli. nam sigillatim de S. Bartholomæo legimus, eum centies per noctem inter orandum solitum genua flectere. De S. Iacobo quoque, fratre Domini scribitur, eius genua callum obduxisse instar cameli, ob crebrum vsum poplitibus flexis precandi. Excita ergo & te, vt eundem morem sequâre: nec dubita *Apoc. 4.*

rem feliciter ceſſuram. Noui ego multos adoleſcentes, ætate & viribus infirmos, qui breui tempore ſe aſſuefecerunt ad integræ horæ genuflexionē, idq; ter, quaterve quotidie, ſic vt nulli ſcamno inniterentur. Vidi & ætate affectos idem facientes, eo quod conſuetudinem illam à iuuentute vſurpaſſent. Quare ſi initio aliquantulum doleant genua, patienter fer ad breue tempus: ſi vero creſcat dolor, erige te paululum in pedes, & poſt ad genuflexionem reuertere. Si iterum doleant, iterum exurge, & ſi opus ſit, etiam nonnihil conſide, modo breui capta quiete, relabere in genua. Hac enim exercitatione paulatim conſequêre facilitatem diutius ea flectendi. Addendum hic cenſeo, quoties vis ſedere, quoniam colloquium cum DEO etiam hoc ſitu inſtituendum eſt, id facias magna corporis decentia & reuerentia. Prolixius de hoc ſitu idcirco locutus ſum quod ſciam ad pie orandum prodeſſe plurimum, eſſeq; ex ritibus externis præcipuum, quo Deo Opt. Max. debitus honor defertur. Vnde & videmus communiter omnes flexis genibus alloqui ſummum Pontificem, nempe, quia Chriſti Vicarium eſſe norunt in terra: & Eccleſiam ſanctam exercitatam cærimoniarum magiſtram,

stram, à Spiritu sancto edoctam, in officiis diuinis varias inclinationes genuum, totorumque corporum præscribere.

ALTER situs est, stare. quem item Eccle- *Cap. 12.*
sia sancta sæpe commendat; & exemplum exstat apud Tobiam angeli Raphaelis dicentis. EGO *enim sum Raphael angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.*

TERTIVS est, sedere, quem S. Augustinus in Regula sua concedit centenariis Quare non debet quilibet facile hunc situm vsurpare, nisi sit æger, vel corpore imbecillo. E quorum numero, vel non erat, vel se non esse credebat sanctus ille, qui dicebat. *Pudefierem vehementer, si sedens deprehensus essem orationi vacare.* Vbi aduertendum est, si necessitas te sedere cogat, vt honeste & modeste te ad sessionem componas ob Dei præsentiam, secundum consilium Apostoli dicentis. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* mox enim hanc caulam subiungit. *Dominus enim prope est.* *Phil.*

QVARTVS est, iacere humi, prono aut supino corpore. Nam de Christo domino prosequente orationem in horto Gethsemani ait S. Marcus, *Procedit super terram.* & *Marc. 14*
S. Matthæus adiungit, *in faciem suam.* *Matt. 26*

QVINTVS,

QVINTVS, & postremus situs est, ambulare, qui solet esse deterior cæteris, & idcirco vsurpandus non est, nisi somnus obrepens ita postulet, si modo ea facta sint, quæ præmitti solent, nempe, vt pexum sit caput, lotæ manus, brachia in modum crucis extensa, & lingua modicum commorsa prius fuerint. Quanquam hic alius cauendus error est, ne quid hic fiat sui mortificandi desiderio, plus quam necesse est: tempus siquidem illud orationi, non mortificationi, destinatum est. Potest & alia esse ambulandi necessitas, vt si quis eo tempore cogatur aliquo proficisci: sed tunc conueniet incedere oculis, quoad fieri potest, in terram dejectis, ne occasio detur distractioni, si liberè, nunc in hanc, nunc in illam partem cõiiciantur. Dixi videri mihi situm reliquis deteriorem, quia si progrediare oculis apertis, multa necessario cernenda sunt quæ animum distrahant: si occlusis, metu impingendi, vel cadendi non carebis. Hæc de totius corporis situ: nunc de quorundam mẽbrorum cõpositione aliquid subiiciamus.

DE Capite, scribit S. BONAVENTVRA in Theologia mystica, tempore meditationis consultum esse, vt vultus erigatur versus cœlum, eo q̃ anima ductum secuta oculorum

rum sic facile cogitet de cœlestibus. Quocunque vero situ vtare, caue sedulo, ne caput nimium propendeat: nam sanguis delapsus mox illud inflammat, & viuacitatem intellectus in discurrendo retardat.

De oculis, ait B.P.N. Ignatius, conducere, maxime cum oratio vocalis instituitur, vt figantur in aliquam imaginem, vel aliam quampiam partem, secus fore, vt variis rebus in eos incurrentibus, homo dum è memoria orationem recitat, distrahatur: nam si oratio legatur, constat oculos defigendos in librum. In oratione mentali, poteris, vt lubebit, vel clausos, vel apertos tenere oculos, moderatione ea semper seruata, vt aspectus ad pauciſſimas res contuendas feratur.

Manvs quoq; componendæ sunt, prout rationi consentaneum videbitur, aut deuotio postulabit, hoc est, vt iunctæ sint, vel extensis vel implicitis inter se digitis, aut in altum sublatæ.

Brachia item nunc in formam crucis porrecta, nunc in sublime elata esse queunt: aliquando etiam in tergum reflexa, maxime quando meditationis materia id exigerer, vt est illa de Peccatis, de Iudicio, & similes. magnopere enim hic ritus iuuat meditantem, dum imaginatur se esse quasi reum

reum Iudici ob crimina admissa sistendum, vt ab eo vel condemnetur, vel liberetur In mentem hoc loco venit monere Tyrones, ne quando manus complicatas tenent ante pectus, nimium eas constringant, maxime æstate, nam in debilioribus, & iuuenculis id gignere solet euersionem vel agitationē stomachi. Poterunt autem, vt dixi, variare, vel pro libito, vel vt Spiritus suggesserit. Loquor de oratione vel meditatione, quæ fit in cubiculo: nam in aliorum præsentia, non conuenit hæc varietas, tum vt caueatur vana gloria, tum ne videamur singulares.

DENIQVE moneo, nimium tum æstum tum frigus capiti in Meditatione esse noxium Quod cum contigerit, poterit operimento aliquo frigus arcere: quanquam generatim modicum frigus potius prodest, quam obest, eo quod vim naturalem intra caput cohibeat, & ideo actiones suas viuacius obeat. ATQVE hæc dicta sint de iis, quæ antecedere debent Meditationem; nunc restat vt aggrediamur secundam partem, quæ est de ipso Meditandi actu.

PARS

PARS SECVNDA,
DE MEDITANDI ACTV.

PROOEMIVM.

PERVENIMVS, *adiuuante Spiritus sancti gratia, ad ipsum Meditandi actum, in hac altera parte explicandum. Et quia mente, vt dictum est, exercetur, cuius duæ sunt partes, Intellectus & voluntas, iis nunc quoque adiungo Memoriam. Nam Augustinus libro 12. de Trinitate, capite 11. eam mentis potentiis annumerat. Et quoniam dictæ tres potentiæ vim suam exerunt, circa Personas, quæ Meditationi interuenunt, earundem verba, quæ loquun-*

loquuntur, & actiones quas exercent, Secunda hæc pars in varios Tractatus diuidetur. Cæterum, quoniam hæc, quæ dicta sunt in scripturis diuinis continentur: principio agemus de sensu eius litterali.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS.

DE DIVINÆ SCRIPTVRÆ SENSV.

Quid sit diuinæ scripturæ sensus, & quotuplex?

CAPVT I.

QVM diuina scriptura, vt dictum est, ordinaria debeat esse Meditationum nostrarum materia, & ideo, cognito eius sensu, ea documenta ex illa haurire debeamus, quę eius auctor Spiritus sanctus illi ad doctrinam nostram inclusit, vt affirmat S. GREGORIVS in moralibus his verbis. *Quasi quoddam speculum mentis oculis opponitur diuina scriptura, vt interna nostra facies in ipsa videatur, ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quantum proficimus; ibi docemur à profectu quam longe distemus. Dum narrat gesta Sanctorum, ad imitationem corda prouocantur infirmo-*

rum. Dum illorum victricia facta commemorat contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat, necessarium est explicare, quid sit sensus scripturæ, & quotuplex. Quod hoc capite præstabo, illudq; in duas distribuam partes. In prima docebo, quid vocabulo sensus diuinæ scripturæ intelligatur. In secunda quot sint sensuum genera.

PRÆTERMISSIS autem variis interpretationibus, vna tantum cæteris faciliore & clariore, quæ à quibusuis commodè percipi queat, ero contentus. Dico ergo, non esse aliud, quam conceptum, quem DEVS scripturæ auctor habet in suo intellectu. Itaq; assequi sensum alicuius scripturæ loci, est eandem eius habere intelligentiam, quam habet DEVS ipse. Sic loquitur Apostolus ad Corinthios scribens. *Nos sensum Christi habemus*. quasi diceret, scripturâ intelligimus, sicut intelligit Christus. Et S. Ioannnes Euangelista. *Dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum* DEVM. alludens forte ad illud, quod S. Lucas refert. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas*. Dixi sacræ scripturæ auctorem esse DEVM, quia ita asseuerat Apostolus in epist. 2. ad Timotheum dicens: *Omnis scriptura diuinitus inspirata*. & S. Petrus in 2. epistola. *Non enim voluntate humana allata*

1. Ioan. 5.
Luc. 24.
2. Tim. 2.
2. Pet. 1.

allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt S. DEI *homines.* Qui sancti tantum fuerunt Spiritus sancti scribæ, & Secretarii, imo minus vt ex parte sua de se testatur propheta Dauid, vocans se *calamum scribæ. Lingua mea* inquiens, *calamus scribæ velociter scribentis.* Psal. 44.

QVOD ad alteram partem attinet, sensum sic definitum, dico diuidi in Historicũ, vel literalem, & Mysticum, vel Spiritualem. Mysticus vero diuiditur in tres alios, Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum vel moralem. Verum de his non agam hoc loco: nam secundum illos meditationem instituere nimis arduum foret Tyronibus & Incipientibus. Litteralis rursus solet diuidi in Proprium, & Translatum. Proprius item in Primarium, & secundarium, de quibus omnibus disseremus in capitibus sequentib.

De sensu litterali Proprio.

CAP. II.

SCIENDVM est, ob vocabulorum inopiam, rerumque significandarum copiam, veteres vno eodemque vocabulo res varias propriè appellasse, significatu partim primario, partim secundario.

Primaria significatio fuit, qua res vocabulo aliquo primo loco appellata est, vt v. c. verbum *Colligo*, primo vsurpatum fuit, vt significaret actum res dispersas in vnũ locum congerendi. Secundaria vero est, qua res aliqua eodem vocabulo posterius appellata est, vt cum dicimus aliquem colligere alium, cum eum recipit hospitio. Vbi notandum est secundariam significationem habere affinitatem quãdam cum primaria, vt liquet ex allato exemplo, qui n. peregrinum hospitio recipit, quasi vagum & dispersum in domum suam congerit.

Cvm ergo Meditationem, verbi causa, instituis de illis Christi verbis apud Matth.
Matt. 25. *Hospes eram, & collegistis me*, mente in hunc modum ratiocinabere. Primariũ significatum verbi Colligendi, est res multas dispersas in vnum cogere, quo sensu apud B.
Ioan. 6. Ioannem dicitur. *Colligite, quæ superauerũt fragmenta, ne pereant.* Et subiungitur. *Collegerũt, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Vnde concludes secundario significato, Hospitio excipiẽdi, hanc subiectã sententiam, vt peregrinus recipiatur in propriam domum, & non ablegetur foras, vt comedat cum famulis: & sicut omnia fragmenta, tam parua quã magna collecta

sunt

sunt in cophinis, sic peregrinus suscipiatur ad propriam Domini mensam. Huic expositioni adiunges S. GREGORII Papę exemplum, quod hodieq; imitatur sanctissimus D.N. CLEMENS VIII. quotidie.n. tot pauperes in prandio mensæ adhibet, quot annos in Pontif. exegit, posteaquam singulorum manib. affudit, aliaq; ministeria exhibuit.

ILLVD quoque notandum, vnum eundemque scripturæ locum aliquando posse habere plures sensus Litterales, & proprios vt docet B. AVGVSTINVS libr. 12. Confession. cum ait prima verba Geneseos. *In principio creauit* DEVS *cœlum & terram:* tres litterales habere sensus. vt primus sit de principio tẽporis, secundus de principio operũ creatorum. tertius de filio DEI, per quẽ DEVS omnia condidit. In Apocalypsi enim se vocat Principium, dicẽs. *Ego sum alpha, & omega, principium & finis.* Quoties ergo vnum litteralem sensum loci alicuius inueneris, conaris extorquere & alterum. Sic quidam Doctor conatus est facere super Quæstione à B. Virgine posita angelo, apud B. LVCAM. *Quomodo fiet istud?* Qui præter communem verborum illorum sententiam, quod B. Virgo non de facto, sed modo tantum addubitarit, excogitauit & aliã, quod

Anno 1604. agebat 13. annum. Cap. 20.

Apoc. 1.

Luc. 1.

nimirum Beatiſſ. Virgo minime ignara Sathanam, ſe nonnunquam ſolere transfigurare in angelum lucis, voluerit expiſcari, eſſetné Spiritus bonus, an malus ? Nam cum verſata eſſet in diuinarum litterarũ lectione, probè norat ſatis in illis inſinuari, quis futurus eſſet incarnationis modus, & idcirco, inquit dictus Doctor, cogitabat illa ſecum, ſi mihi iſte modum prodat in diuina ſcriptura indicatum, iam pro Dei legato illum habebo.

De ſenſu Litterali figurato.

CAP. III.

SENSVS Litteralis figuratus eſt, quando voci tribuitur ſignificatio, quæ ex prima origine illi non competit. Exempli cauſa, nomen LEONIS à prima ſua origine vſurpatum eſt ad denotandum animal ferox & ſilueſtre. S. Ioannes verò in ſua Apocalypſi, cũ ait. *Vicit Leo de tribu Iuda*, vſurpauit in ſignificatione impropria ad denotandũ Chriſtũ reſuſcitatum. Itaq; ſenſus litteralis hic non eſt, qui prima inſtitutione vocis LEO ſignificatur, ſed qui metaphorica acceptione deſignatur, vt ſenſus ſit. VICIT CHRISTVS *de tribu Iuda.* Apoc. 5.

Neq; ad intelligendã ſacram ſcripturam parui

parui interest, posse discernere sermonem proprium à figurato, vt docuit nos suo exemplo Samaritana; quę ignara huius discriminis, simulatque Dominum audiuit dicentem, se posse ei porrigere aquam, quę sitim perpetuo restinguat, stupore defixa dixit. *Domine, neq; in quo haurias habes: & puteus altus est: vnde ergo habes aquam?* existimans Christum vocem AQVÆ in propria significatione vsurpasse. Ioan. 4.

IMO S. Augustinus alicubi asseuerat periculose errari in diuina scriptura, quando vox propria, accipitur pro translata, vel cõtra: vti faciebant hæretici, qui sensu proprio, non metaphorico exponebant illud dictum Christi apud B. Matthæum. *Et sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* & simul hæc documenta, ad cognoscendum discrimen, subiungit. *Quicquid neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem referri potest, accipiendum est figuratè.* Et paulo post. *Si præceptiua est scripturæ locutio, & videtur iubere flagitium, & virtutem vetare, figuratè accipiendum est. Si autem flagitium vetat, aut beneficentiam iubet, tunc proprie accipiẽda est.* Exẽpli autẽ loco adducit verba illa Prouerbiorũ Salomonis. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum:* Matt. 19. Prou. 25.

illum: & si sitierit, potum da illi. Sic enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Ac dicit, priora verba. *Si esurierit inimicus tuus, &c.* exponenda in sensu proprio: posteriora vero, *carbones ignis congeres super caput*, in translato. Nemo enim dubitare potest, peccaturū, qui carbones ignitos cōgereret in caput sui inimici. In translato autem sensu verba illa hāc habent subiectam sententiam. Si inimico tuo hoc beneficium præstiteris, vt cibum potumq́, necessarium ei subministres, ex vehementia doloris & compunctionis de suo peccato, tantos edet clamores, ac si igniti carbones in caput eius incidissent, & mox conciliabitur tibi, & tu eum lucrifacies Christo Saluatori.

De nonnullis diuinæ scripturæ Figuris.

CAP. IV.

ETIAMSI quamplurimæ in vtraque tam noui, quam veteris testamenti scriptura exstent figuræ, adeoque omnes quarum Rhetores in præceptis artis suæ meminerunt, vt allatis exemplis ostendit Ludouicus Carbo in sua Rhetorica diuina, ego tamen paucas tantum quasdā, idque ex Euangelio maxi-

maxime decerptas, (eo q̃ de illo fere meditari soleamus) producam. Si vnum prius te monuero, sacram scripturã non vti figuris ad res amplificandas, vel ad oblectandos Lectores, vti faciunt Scriptores prophani, vt obseruauit B. GREG. Nazianzenus in Apolog. dicens. *Neque nobis in mentem veniat inanem quandã scripturã rerum verborum q̃ turbam esse oblectandorum auditorum causa compositam, atque conflatam esse, aut velut quandam aurium illecebram, nequaquam vltra voluptatem seporrigentem. Sint hi sane fabularum, & prophanarum hominũ ludi, qui de veritate parum soliciti, figmentorum venustate, verborumque lenocinio, quasi prastigijs quibusdam aures, animosq̃ ludificantur.* Verum potius iis vtitur ad eam quodammodo deprimendã, & veste quasi sensibus obiecta vestiendã, vt facilius à nobis caperetur, sicut sigillatim de Parabolis. tomo primo Operũ suorum declarat R P. Alphonsus Salmeron.

PRIMA ergo sit, quæ vulgo dicitur HYPERBOLE, qua rem aliquam admodum sermone exaggeramꝰ, sic vt aliud intelligatur, quam verba sonent. Duo ponam exempla: alterum ex veteri, alterum ex nouo testamento. In Genesi cap. 11. quidam dicebant. *Faciamus turrim, cuius culmen pertingat ad*

cælum. Cui modo loquendi non hæc ſubeſt ſententia, *turrim illam vere debere contingere cælum*, ſed tãtum, quod in ſummam altitudinem educi debeat, vt exponit P. Benedictus Perèrius *Hyperbolen* quoq; Maldonatus eſſe arbitratur in verbis B. Ioannis c. vlt. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit* IESVS *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libri*. Hinc ergo liquet verba aliquãdo aliud ſignificare, quam præ ſe ferãt. Iam reſtat oſtendere, aliquãdo ea deſignare contrariũ.

SECVNDA enim figura dicitur IRONIA, qua contrarium ſignificatur, quã verba exprimũt. maximè ſi adiungatur iis nutus vel ſignũ quo contemptus, vel ludibriũ denotetur. Cuiuſmodi fuere, quæ DEVS Adamo poſt lapſum dixit, in Geneſi ECCE *Adã quaſi vnus ex nobis factus eſt*. Alludebat enim ad verba ſerpentis vel dæmonis *Eritis ſicut Dii*. Itaque ſenſus erat. Non eſt factus Adamus Deus, ſicut nos, quod ei promiſerat Sathan, ſed prorſus contrarium. Theophylactus ſimiliter notauit Ironiam in verbis Chriſti ad Apoſtolos in horto dicentis apud Marcum. *Dormite iam, & requieſcite*.

Gen. 3.

Marc. 14.

TERTIA ſit ANTIPHRASIS, quæ etiam ſignificat contrariũ, ſed nullo adiecto ſigno qualis fuit in ſermone vxoris Iob dicentis.

Bene-

Benedic Deo, & morere. id est, maledicilli. Ex quo modo loquendi colligere licet, quã abominanda res fuerit priscis illis temporibus maledicere DEO, vt nec voce maledicendi ausi fuerint homines vti, sed cõtraria. Sed quid mirum de hominib. cum nec ipse sathan ausus fuerit. Nam quodam die *Iob. 2.* loquens cum DEO Iobi virtutem laudante, respondit. *Tange os eius, & carnem, & tunc videbitis, quia in faciẽ benedicat tibi.* Quod autem hoc documentum valeat ad cauendam contra DEVM blasphemiam patet ex epistola B Iudæ Apostoli sic loquentis. *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus inferre iudicium blasphemiæ, sed dixit. Imperet tibi Dominus.* Videntur quoq; antiphrasin sapere verba Christi apud S. Matthæum de B. Ioanne Baptista dicentis *Quid existis* *Matt. 11.* *in desertum videre arundinẽ vento agitatam? sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Voluit enim contrarium significari. nam subiungit. *Ecce, qui mollibus vestiũtur, in domibus regum sunt.*

QVARTA est PERIPHRASIS, qua duobus verbis explicatur, vel pluribus, quod solet exprimi vnico. Et ideo vocatur quoq; *Circumlocutio.* Talis est formula loquendi sponsæ in Canticis. *Indica mihi, quem diligit* *Cant. 1.*

anima mea. id est, *diligo.* Vnde S. Bernardus sermone 33 colligit, quod dilexerit sponsum amore spirituali. *Non simpliciter dicit, quem diligo, sed inquit, Quem diligit anima mea, spiritualem designans dilectionem.* Periphrasis quoq. est, quod S. Matthæus refert
Matt. 5. de Christo, dicens. *Aperiens os suum, docebat eos.* Vnde Augustinus libro primo de sermone Domini in monte elicit binas explicationes perbellas, dicens. *Ista circumlocutio fortasse ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurũ sermonem: nisi non vacet, quod tunc dictum est,* APERIENS OS SVVM, *quod ipse in Lege aperire soleret ora prophetarum.*

QVINTA sit METAPHORA, qua voces à proprio significato ad aliud transferuntur. Qualis est in verbis Christi apud Matthæum ad Apostolos dictis. *Vos estis sal terræ.*
Matt. 5. Voluit enim dicere. Vt quemadmodum sal seruat carnes à corruptione, sic ipsi mundum præseruarent à corruptione peccati, vt exponit S. HILARIVS canone 4. *Hic igitur,* inquiens, *in omnem vsum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersus, impertit. Apostoli autem sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis velut satores immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit,*

con

conferentes. METAPHORA, quoque est in verbis prophetæ Amos cap. 5. dicentis. LEO *rugiet, quis non timebit?* Et S BERNARDVS sermone primo de resurrectione applicat ad Christum.

SEXTA est SIMILITVDO, qua vnares cum alia confertur, cuiusmodi est illa apud S. PETRVM. *Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam* LEO *rugiens circuit quærens quem deuoret.* Et in Psalmis *Sicut cervus desiderat ad fontes, aquarum, ita desiderat anima mea ad te* DEVS. Differt similitudo à metaphora, quod sensus litteralis eius sit, quem verba demonstrant. Itaque illa S. Petri similitudo hunc sensum habet. Dæmonem haud secus circuire hominem, quam Leo domicilia bestiarum. 1. cap. 5. Psal. 41.

SEPTIMA sit PARABOLA, & est sermo confictus, & longus. quæ duplici conditione discrepat à similitudine: quia hæc semper est de re vera. verum enim est ceruum desiderare aquas: & potest esse breuis, vti est hæc. *Fulgebunt iusti sicut scintillæ.* Sap. 3.

OCTAVA vocatur SYNECDOCHE, quando ex vna re alia significatur, siue maior, siue minor, hoc est, quando pars pro toto, vel contra accipitur. siue sit integrale, vt est

corpus

corpus ex membris compositum, siue essentiale, vt est homo constans anima & corpore, siue totum genericum diuisum in suas species, vt animal in hominem, & brutum, siue vniuersale, quod diuiditur in particularia. Demus exempla. Primi, sit hoc dictum vulgare. *Quot capita, tot sententiæ.* Secundi dictum B. Magdalenæ. *Tulerunt Dominum meum.* intelligebat enim corpus tantum, quod est pars essentialis hominis. Et illud S. Pauli. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Anima enim pro homine accipitur Et illud. *Gratia Domini* IESV CHRISTI *cum spiritu vestro.* Omnes autem hæ loquendi formulæ circa hominem, inquit ORIGENES, libro 9. in epist. ad Romanos, institutæ sunt ad designãdos varios eius status. *Interdum*, inquit, *per animam, interdum per carnem, interdum per Spiritum homo nominatur, sed cũ à parte nobiliori nominandus est, quasi qui spiritalis intelligi debeat,* SPIRITVS *dicitur quando ab inferiori,* ANIMA. *cum vero à deteriore nominatur,* CARO *dicitur.* Et allegat illud ex epistola ad Galatas. *Manifesta sunt opera carnis.* Et addit. *Fructus autem spiritus, id est, hominis spiritualis, & spiritu viuentis.* Eandem considerationem habet S. HIERONYMVS

Rom.13. Gal.6.

Gal.6.

Gal.5.

MVS lib. 3. com in epist. ad Galatas, in verba ex c. 6. ad Gal. paulo ante citata. *Fratres*, inquiens, *nequaquam cum carne, nequaquā cū anima, siue quia spirituales facti, caro & anima esse desistit, siue q̄ in principali ēt ea, quæ minora sunt, comprehenduntur. Anima. n. & caro subiecta sunt spiritui.* EXEMPLVM totius generici, quando p̄ specie accipitur, legitur Geneseos cap. 3. vbi EVA appellatur MATER *Viuentium*, quod est genus conueniens in omnes species, etiam animantium brutorum, plantarumq;, pro eo, quod diceremur. *Mater hominum.* Et contra accipi possunt verba illa 6. Geneseos. DELEBO *hominē, quem creaui.* pro, Delebo omnia animalia, nam paulo post subiicit. AB *homine vsq; ad animalia* EXEMPLVM deniq; totius vniuersalis, positum loco particularis legitur apud Zachariam. *Lanceis suis vulnerauerūt me.* Lanceis, pro lancea. vna enim tantum Christus fuit transfixus. Eodem modo loquitur & propheta in Psal. 2. *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum* iudicare volens solum Herodem, & Pilatum Prę̄sidem, qui occasione mortis Christi amici facti sunt, cum ante se mutuo odissent.

AD HANC synecdochen pertinet & illa loquēdi formula, qua antecedētia ponūtur

pro

Pro consequentibus. vt quando B. Petrus in Locum Iudæ alium Apostolum substitui voluit. *Oportet*, inquit, *ex his viris, qui nobiscum sunt, in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus* IESVS, *incipiens à baptismate Ioannis, vsq; in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* ac si dixisset. Conuenit aliquem eligi, qui fuerit Christo familiaris, est enim familiaris conuersationis signum & effectus.

Act. 1.

POSTREMA Figura vocatur METONYMIA, id est, nominum commutatio, quæ fit inter ea quæ habent aliquam inter se affinitatem, vt habet causa cum effectu, & continens cum contento. Solet enim scriptura effectum appellare nomine suæ causæ, vel efficientis, vel formalis, vel finalis, vel etiam materialis. Exemplum efficientis est in verbis illis Apostoli. *Spiritum nolite extinguere*, id est, gratiam, quæ est spiritus sancti effectus. Ex quo modo loquendi, potest homo colligere, quando homo peccando extinguit gratiam, eum non solum iniurium esse in illam qualitatem creatam supernaturalem: sed ēt, & pręcipuè in spiritū sanctum eius auctorem: haud secus quā Dauid fuit, qui cum in vitam Vriæ & honorem

1. Thess. c. 2.

Beth-

Bethsabee deliquisset, tamen veniam deprecando à Deo, dixit. *Tibi soli peccaui.* CAVSÆ Materialis exemplum est in dicto B. PETRI ad claudum in actis Apostolorum. *Argentum & aurum non est mihi.* pro, nulli mihi nummi sunt vel aurei vel argentei. VSVRPAT quoq; scriptura nomen effectus pro causa, vt apud Ieremiam. *Ascendit* MORS *per fenestras.* pro, ascendit peccatum. Mors enim est peccati effectus, vt docet B PAVLVS. *Et per peccatum mors.* Eiusdem generis est Simeonis dictum ad B. Virginem. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* vbi gladius ponitur pro dolore.

Act. 3. Ier. 9. Rom. 5. Luc. 2.

QVOD ad alterum membrum attinet, vt contentum nomine continentis appelletur, exemplum habemus in verbis Christi ad Pharisæos dictis. *Væ vobis, qui comeditis domos viduarum.* vbi domos accipit pro facultatibus in iis contentis, vt sensus sit Phariseos omnes earũ opes deuorasse. Sic intellige & illud dictum Domini ad S. Petrum. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* hoc est, dolores, pœnas, acerbissimos cruciatus quos desidero sustinere in sacratissima passione, nec secus quam calicem pretioso liquore repletum vsque

Mat. 23. Ioan. 18.

ad vltimam guttam ebibere: & quidem instar eorum, qui cum calicem ebiberint, ob nimiam qua premuntur sitim, lambere non cessant calicem. Denique vtitur quoque scriptura contento pro continente. vnde dicit S Ioannes. ET *mundus eum non cognouit*. hoc est, homines qui sunt in mundo.

Ioan. 1.

Quænam iuuent ad S. Scripturarum intelligentiam.

CAP. V.

BREVITER hic recensebo præsidia, quæ S. Patres ad percipiendum litteralem scripturæ sensum vel necessaria, vel admodum vtilia censuere Scribit B AVGVSTINVS libro 2. de doct Christ. cap. 31. ad cognoscendam verborum proprietatem imprimis iuuare peritiam Grammatices, non latinæ modo, sed etiam Græcæ & Hebrææ. Secundario verò & Rethoricæ, ad intelligendas figuras supra dictas. Addit prodesse quoque Philosophiam, cuius beneficio intelliguntur naturæ, rerumque naturalium proprietates, quæ cognitio necessaria est ad intelligendas metaphoras. Denique & Theologiam, quia fidei mysteria, in ipsa scriptura inclusa accuratè exponit.

NEQ.

NEQVE dictæ scientiæ cum suis subtilitatibus & illecebris ideo respuendæ sunt, quod occasionem aliquam distractionibus præbeant; nam dictus sanctus Pater autor fuit Christianis, vt libros gentilium, quantumuis erroribus plenos, perlegerent, adiuncta commonefactione, vt bona secernerent à noxiis: sic enim magnum adiumentum ad intelligẽdas Scripturas habituros Perutile quoque esse solet, teste S. BONAVENTVRA, si quis multa è Scripturis memoriæ mandet, vel crebrò cum attentione perlegat, & obscuriores earum sententias conferat cum clarioribus, idque vel totas, vel secundum aliquas partes. Hac enim ratione B. GREGORIVS homiliario in Ezechielem collegit, quid Christus significare voluerit, cum digitos immitteret in aurem surdi *Quid per digitos*, inquiens, *nisi dona Spiritus sancti designantur? Vnde, cum in alio loco eiecisset dæmonium dixit. Si in digito* DEI *eicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Quæ de re per Euangelistam alium dixisse describitur. Si ego in spiritu* DEI *eicio dæmonia. Ex quo vtroque loco colligitur, quia digitus* DEI *vocantur Spiritus sancti dona.* Et concludit. *Digitos autem in auriculam mittere est*

per dona ſpiritus ſancti mentem ſurdi ad obedientiam aperire.

NON parum etiam iuuat legere commentarios eorum, qui ad litteram ſcripturas exponunt, vt Hieronymum, Chryſoſtomum, atq; etiam P. Emmanuelem Sà, qui breuiſſimè clariſſimeq; tota Biblia expoſuit, & ad meditantium vſum valde accommodatè.

DEMVM plurimum iuuare puto, ſi in orationibus tuis pro earum intelligentia recurras ad DEVM, *qui dat omnibus affluenter*, teſte S Iacobo. Hoc enim donum Apoſtolis, hoc aliis multis conceſſum eſt. Sic legimus S. THOMAM Aquinatem plus oratione, quam ſtudio & continua lucubratione in earum intelligentia profeciſſe. Idem ergò & tu ſpera, maxime ſi, vt ille faciebat, orationibus ieiunia, diſciplinas, aliasq; mortificationes adiunxeris.

Iac. 1.

De monitis circa Metaphoras obſeruandis.

CAP. VI.

VENIO ad monita circa Metaphoram obſeruanda. Primum eſt, eam nõ vſurpari, niſi occaſione proprietatis alicuius, quam res inter ſe communem habent. Vel ſi cauſa,

bi causa, proprietas ob quam vocabulum Leonis transfertur ad Christum, est Fortitudo. Vt enim Leo animalium est fortissimus, sic Christus fortissimus est omnium hominum. Inter res item fortissimas numeratur mors. Secundum illud Cantici, *Fortis est, vt* Mors, *dilectio* De qua & Christus triumphauit. Hæc doctrina est S. HILARII. in illa verba D. Matthæi, *Vos estis sal terræ.* Sic enim loquitur. *Sal terra, vt arbitror, nullum est.* Sibique hanc obiectionem proponit *Quomodo ergo Apostolos sal nuncupauit?* Sibique respondet. *Sed proprietas est quærenda dictorum, quam & Apostolorum officium, & ipsius salis natura mõstrabit. Sal in omnem vsum humani generis effectus incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersus, impertit. Apostoli autem sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo fuerit aspersus, conferentes.* Quibus verbis ostendit proprietatem sali communem cum Apostolis fuisse vim conseruandi res à corruptione.

Cant. 8.

Hilar. can. 4. in Matt.

ALTERVM monitum est, quoniam quęuis creatura, etiam minima, à Deo conditore suo, multis variisq; proprietatibus dotata est, hinc fit, vnam eandemque rem ad

multa posse transferri cum significatione translata, nec modo ad diuersa & disparata, sed etiam contraria & pugnantia. Exemplum rerum disparatarum luculentum habemus in voce AQVÆ. quam S. Ioan-
Apoc. 4. nes in Apocalypsi transfert ad significandum populum. *Aquæ multæ*, inquiens, *populi multi* In Euangelio verò ad Gratiam,
Ioan. 4. dicens. *Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons* AQVÆ *salientis in vitam æternam.* Exemplum deinde contrariorum sit hęc vox FERMENTVM, quæ in bonam partem est v-
Matt. 13. surpata à Christo, quando apud B. Matthæum dixit. *Fermentum, quod abscondens mulier in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* In malam verò partem,
Marc. 8. quando admonuit Pharisæos. *Cauete à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.*

TERTIVM est, quod non solum sæpe numero in scriptura inuenitur vox in significato proprio, sed etiam translato, idque in eodem libro, imò in vno loco. vt liquet ex colloquio à Christo habito cum Sama-
Ioan. 4. ritana. Nam vocem AQVÆ primo vsurpauit in significatione propria, cum dixit, *Qui biberit ex hac aqua.* Deinde verò in metaphorico, cum ait. *Aqua, quam ego dabo ei,*

fiet

fiet in eo fons aquæ saliẽtis in vitam æternam. Adhæc vocem MESSIS ibidem prius vsurpauit in proprio significato *Nonne*, inquiens, *vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt & messis venit?* posterius in translatitio. quando paulo post subiecit. *Leuate oculos, & videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem.* Idem videre est in aliis multis S. scripturæ locis, si attentè eas expendas.

EXTREMVM est, quamuis sæpius metaphora in vna alteraue voce cõsistat, tamẽ aliquando integrum occupat sermonem, vt apud Ioannẽ, dum Christus ait. *Ego sum vitis, & vos palmites. Et pater meus agricola est.* Ioan. 15.

Deniq; adiungendum est hic documentum B. Chrysost. de Parabolis, vt non existimes omnia leuicula, quæ in parabola sunt, esse proposito accõmodanda, sed ea tãtum quæ sunt præcipua, & quasi substantialia, vt sunt ea, ob quæ significãda parabola est inducta. Exempli loco Christus adducit parabolam operariorũ in vineam cõductorum, quia in ea scopus is fuit, ostendere Deũ homines ad gloriam prædestinare ex gratia cooperante eorũ volũtate. Itaq; licet in eadem dicatur æqualem omnibus contigisse mercedem, contrarium verò scribatur ab Mat. 20.

1. Cor. 15. Apostolo, dum ait *Sicut stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum*, nihili, inquit ille, faciendum est, quia ad accommodationem parabolæ non pertinet.

Quibus de causis diuina scriptura vtatur figuratis locutionibus.

CAP. VII.

S. PATRES varias assignant causas, cur Dominus DEVS Veteris Nouique testamenti scriptoribus inspirarit, vt tot tropis, figurisue in scribendo vterentur. Quarum nonnullas nostro proposito congruentiores hic commemorabo.

Cap. 11. THEOPHYLACTVS in Lucam causam reddit, vt scriptura obscuritate sua quâ efficiunt metaphoræ, attentum & sedulum redderet Lectorem ad eruendū genuinum sensum.

S. CLEMENS Alexandrinus in 6. stromatum scribit spiritum sanctum voluisse hac nube obscuritatis, coercere superbiam nostram, vt dum eas obiter percurrendo intelligentiam non assequimur, humiliemus nos, & ingenii nostri stuporem agnoscamus.

S. HIERONYMVS ad caput 11. Isaiæ illam

lam aliam assignat rationem vt obscuritas earum nos adigat, ad implorandam diuinam opem, iuxta illud Lucæ *Petite & accipietis*. Quod confidēter præstare debemus. nam vt testatur S. Iacobus. *Si quis indiget sapientia* (qualis est ea quæ scripturis inclusa est) *postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*. Quod scimus multis sanctis contigisse, non solum in casibus particularibus, vti euenisse diximus S THOMÆ, sed generatim in tota scriptura indicatur. Nam sapientiæ 7. dicit sapiens. *Optaui, & datus est mihi sensus. inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ*. Ac Apostolis quidem Christus hanc sapientiam impertiuit etiam non petentibus, vt refert B LVCAS. *Et aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas*. Luc. 11. Iac. 1. Luc. 24.

S. IOAN. Chrysostomus homil. 38 in Matth. existimat causam esse, vt Euangelii mysteria & intellectu facilius apprehenderentur, & memoria retinerentur. Nec dubium est res diuinas & spiritales per rerum sensibilium metaphoras citius intelligi; cum naturale nobis sit beneficio rerum sensibilium in intelligibilium notitiam venire. Originem siquidem à sensib. habet omnis nostra cognitio. Quod conuenit cum illo S. Pauli ad Romanos. *Inuisibilia enim ipsius* Rom. 1.

Rom. 1. *à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quod ideo fit autore Cardinale CAIETANO in S. Thomam scribente, quia rerum sensibilium, species quas exhibet metaphora, supplent vicem specierum intelligibilium in spiritualibus, & diuinis. Quemadmodum pictura leonis ab oculo conspecta conducit ad intelligendam generatim animalis illius naturam.

1.p.q.8. art.9.

S GREG. homil. 10. in Ezech. arbitratur à Deo id factum, vt occasio præberetur variis, varias illius interpretationes excogitãdi, vt patuit in metaphora salis supra allata.

Matt. 5. *Vos estis sal terræ.* Vbi glossa, ex salis virtute quam habet ad exsiccando s humores, & seruandas à corruptione, & vermium generatione carnes, colligit doctrinam Euangelicam conseruare animam, non tantum à peccati actualis corruptione, sed etiam à vermiculatione prauarum cogitationum. S. AVGVSTINVS verò, quoniam omnes homines, magni æquè ac parui, opus habent sale ad condiendos cibos, inde colligit doctrinam Euangelicam omnibus ad salutem esse necessariam. S. CHRYSOST. quoq; exacrimonia & mordacitate salis vulneribus insperſi, colligit, Concionatores aliquãdo debere

debere vti acrioribus reprehẽsionibus peccatorum, etiamsi magna eorũ offensio inde oriatur. S REMIGIVS docet, sicut res tetrum odorẽ expirantes, si sale confricentur, tetrum odorem remittunt: sic diuinæ scripturæ sal dum corrigit fœdos hominũ mores, omnem conuersationũ scandalosarum prauum odorem è medio tollit CHROMATIVS Episcopus Aquilegiensis ait. Velut sal foris carnibus aspersus, internas quoq; eius partes penetrat & conseruat, sic verbum Dei auribus corporis externis exceptum intimas animi medullas penetrat, eumque conseruat Ex qua vi agendi elicit scriptor quidam: Quemadmodum necesse est salem liquescere, vt intimas carnes peruadat atque conseruet, sic operarium Apostolicum, ad iuuandum animas non debere modo sustinere omnia incommoda & molestias, verum etiam cum opus est, sanguinem pro iis profundere. Sic enim fecerunt Apostoli, & alii multi, vt nuper in Belgio bonus Pater noster Ioannes Ferdinandus, qui in conflictu nostrorum cum hæreticis, vulneratus ipse inter milites saucios morti proximos multis adrepebat, vt absolutionem confessis impertiri posset; quo ardore creditur multos

multos ad cœlum transmisisse. Denique S. HIERONYMVS annotauit. Sicut sal insè sapidum est, omnemque cibum insipidum sapidum reddit, sic de verbo Dei sentiendum esse iuxta illud Psalmi. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo.* Ecce vides, quam multos variosq; conceptus S. Patres ex metaphora salis hauserint, vt intelligas idem posse fieri ex reliquis.

Psal. 118.

De sententiis quibusdam S. Patrum ad rectè meditandum in scripturis.

CAPVT VII.

QVONIAM sequentia documenta haurienda sunt ex variis S. Patrum sententiis, vt dilucidior sit tractatio, primo dogmata eorum recensebo, deinde in altero capite documenta vel instructiones.

S. GREGORIVS Nyssenus de gen. hom. *Graue*, inquit, *nefas est, dicere, in scriptura verbum aliquod redundare.*

S. GREG Nazianzenus in Apolog. non contentus hac monitione, addit. *Neq; nobis in mentem veniat existimare, ea temerè litterarum monimentis commendata fuisse,* &c. *At nos, qui exquisitā spiritus doctrinam, vel vsq; ad leuissimum apicem & lineam trahimus,*

himus, nunquam (nec enim fas est) ne minimas quidem actiones ab iis, à quibus memoriæ prodita sunt, temerè præscriptas & elaboratas memoriaq; ad hæc vsq; tempora conseruatas esse fatebimur.

S. IOAN. Chrysost. quoq; hom. 18 in Genesin. *Nihil temere*, ait, *aut fortuito loquitur diuina scriptura: sed & syllaba, & apiculus reconditum habet thesaurum.*

ORIGENES item homilia 9. in Ezech. *Obseruandus*, inquit, *est diligenter omnis scriptura sermo, ordo, iunctura.*

S. BERNARDVS sermone primo considerans cur B. Lucas tot nomina propria, vt Gabrielis, Mariæ, Ioseph, Galilææ, & Nazareth, in mysterio incarnationis explicando, recenseat, ita scribit. *Putasne aliquid horum superuacuè positum sit? nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa: nec vnus ex passeribus sine Patre cœlesti cadit super terram: putem ego de ore sancti Euangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sacra historia verbi? non puto, plena quippe sunt omnia supernis mysteriis.*

De

De documentis ex superiori Sanctorum doctrina hauſtis.

CAPVT IX.

PRIMVM documentum ſit, vt in meditatione Scripturarum diuinarum, nullum verbum velut ſuperfluum transſilias. Nam nullum eſſe ſuperfluum docet B. CHRYSOSTOMVS in illa verba Geneſis. *Cham autem erat pater Chanaam. Dignum*, inquiens, *hic fuerit, vt inquiramus, quare diuina Scriptura hos tres filios Noe commemorando ſubdit, Cham autem erat pater Chanaam.* Et ſubdit. *Non putetis obſecro, hoc abſque cauſa fuiſſe adiectum. Nihil enim eſt in diuina Scriptura, quod non aliqua ratione dictum ſit, quæ & non latentem in ſe habeat vtilitatem. Quare ergo addidit.* Cham autem erat pater Chanaam? *Voluit enim per hoc nobis illius intemperantiæ nimietatem inſinuare: & quod neque calamitatis magnitudo illum coercere potuit, neque tanta in arca anguſtia irrefrenatam illius concupiſcentiam ſedauit, ſed iam ſtatim ab initio mentis ſuæ malitiam monſtrauit.* Eandem conſiderationem habet in homilia 29. in alia verba paulo poſt dicta. Et vidit Cham

Gen. 9. Chr. hom. 28.

Cham pater ille Chanaam nuditatem patris sui, & egressus nunciauit duobus fratribus suis, dicens Propterea enim, vt discas iam pridem, & ab initio eum mentis corruptæ fuisse non simpliciter dicit Scriptura. Vidit Cham nuditatem patris sui Sed quid? Et vidit Cham pater Chanaam. Quare, dic mihi, & hoc loco filii vocabulum assignat? Vt discas illum fuisse intemperantem & mente, qua in tanta turbatione procreandæ proli vacauit eadem etiam nunc in contumeliam patris prorupisse.

ALTERVM documentum est, nullum verbum transiliendum esse, etiam si casu videatur toti orationi insertum; quia si vllum foret, esset maximè illud quod aliquando Dominus dixit apud B. Ioannem. *Doctrina mea non est mea.* Nam vt innuit B AVGVSTINVS tract. 29. *Videtur paucis verbis, quasi contraria locutus. Si enim non tua, quomodo tua. si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis vtrumque, & mea doctrina, & non mea.* Et tamen ille ipse hinc confirmat sublime illud mysterium Consubstantialitatis filii cum patre, dicens. *Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris?* Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbū non Ioan. 7.

potest

potest esse nullius, sed alicuius, etiam doctrinam suam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim est tam tuum, quam tu, si alicuius es, quod es?

TERTIVM est, considerandum, quid primo, quid secundo loco dicatur. vt in visione Iacob Patriarchæ dicitur. *angelos ad-*
Gen. 28. *scendẽtes & descendentes.* vt intelligeremus, cum cœlum sit angelorum sedes, motum primo debere esse sursum, deinde deorsum. Vnde colligit B. Greg. 2 parte pastoralis. cap. 5. Prædicatores & Prælatos prius debere per contemplationem & amorem ascendere ad Deum, quam descendant ad nos, & nobis benefaciant.

QVARTVM est in diuinis scripturis non vsurpari synonyma ad ornatum, sed ad significandum aliquod mysterium, vel vt occasio præbeatur eruendi alicuius conceptus boni, vt facit S GREGORIVS homilia 35.
Luc. 21. in verba B. Lucæ. *Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri.* vbi duo illa verba, licet non ita videatur, inter se differre indicauit. *Pensanda,* inquiens, *sunt Verba redemptoris nostri, per quæ nos aliud interius, aliud exterius passuros esse denunciat:* Bella *quippe ad hostes pertinent,* seditiones *ad ciues,* Sensum quoque moralem inde elicit

hunc

hunc nimirum animi nostri perturbationes aliquando ex causis internis, aliquando ab externis oriri. *Vt ergo*, inquit, *nos indicet intertus exterius q; turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti.*

QVINTVM sit, etiamsi verba quædam significatione parum nonnunquam videantur inter se distare, tamen inquirenda est illa distantia quantumuis minima, vti facit S Augustinus in psalmum 85. de verbis Ecclesiastici c. 24. *Qui te manducant, iterum esurient, & qui de te bibunt, iterum sitient.* Subiungit enim. Immò verò non dixit ITERVM, sed dixit ADHVC. *Nam iterum sitiet, qui quasi primo saginatus discesserit, & digesserit & redierit bibere. adhuc etiam sitient, qui te bibunt, sic bibendo sitiunt. Quid est bibendo sitire? nunquam fastidire.* Ex quibus duabus vocibus colligit discrimen voluptatum cœlestium à terrenis. Illis enim applicat verbum ADHVC, vti facit hic in explicatione psalmi. his verò applicat ITERVM, exponens tractatu 75. verba illa B. Ioannis à Christo ad Samaritanam dicta. *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* Ioan. 4.

SEXTVM est, examinandas esse quaslibet voculas, vt facit B. GREGORIVS homilia 1. in Ezech. vbi ex prima primi capitis

vocula ET sublimem illam doctrinam colligit, nempe prophetas oculo intellectus tam clarè perspicere res sibi reuelatas, atque oculis corporeis conspiciunt præsentes, & ideo vtrasque velut similiter cognitas coniungere. SED *prima quæstio*, inquit, *nobis oritur, cur is, qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus est.* ET FACTVM EST. *cum non sit sermo, cui hoc, quod incipit, subiungatur? Qua in re intuendum est, quia sicut nos corporalia, sic propheta sensu spiritalia aspiciunt: eisque & illa sunt præsentia, quæ nostra ignorantia absentia videntur. Vnde fit, vt in mente prophetæ ita coniuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul vtraque videant, simulque in eis fiat, vt intus verbum, quod audiunt, & foras, quod dicunt. Patet igitur causa, cur, qui nihil dixerat, inchoauit dicens. Et factum est. Quia hoc verbum quod foris protulit, illi verbo, quod intus audierat, coniunxit. Continuat ergo verba, quæ protulit, visioni interiori, & idcirco incipit dicere,* ET. *Subiunxit enim hoc quod exterius loqui inchoat, ac si & illud foris esset, quod intus vidit.* Hucusq; ille.

SEPTIMVM sit, non solum voculas non negligendas, sed nec distinctiones per commata & puncta, quarum mutatio sæpe

dissimi-

dissimiles gignit sensus. teste B. August. tractatu primo in verba B. Ioannis. *Quod factum est in ipso vita erat.* Sic enim scribit. *Pronuncia sic, quod factum est. Hic subdistingue, & deinde infer. In illo vita erat.* non autem sic. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Et subdit rationem. *Si enim omnia in ipso facta sunt, omnia vita sunt. Non te abducant haretici.* Ioan. 1.

OCTAVVM est, vim quandam quoque esse in accentibus, & nota interrogationis? & hæc quidem, quando dubia sit, vel non intelligendum est, vt monent Patres ex antecedentibus vel consequentibus.

NONVM est reperiri in scriptura voces quasdam geminatas partim declinabiles, partim indeclinabiles, quibus vehementia affectus denotatur. vt sunt illæ Christi Domini nostri in cruce. DEVS *Deus meus, vt quid dereliquisti me.* quæ vehementem designant dolorem. sicut illæ aliæ & ardens desiderium. DESIDERIO *desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Nam Hebræi, cum careant superlatiuo, dum amplificare rem volunt, vtuntur congeminatione vocis.

DECIMVM est, S. Scripturam in vno eodemque sermone transire sæpe ab vna persona ad aliam, vt à tertia ad secundam sic S. Ioannes c. 19. cum dixisset. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* paulo post addit. SI DILIGITIS *me, sermonem meum seruate.* De qua variatione S AVGVSTINVS libro 1. de ser Dom annotauit, Christum, dum proponeret discipulis suis octo beatitudines in genere, in tertia persona locutum. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* eademq; loquendi forma expressisse reliquas septem. Deinde verò sermonem prosecutum in secunda persona. BEATI *eritis, cum maledixerint vobis homines, &c.* Ex qua mutatione colligit dictus sanctus Dominum indicare illis voluisse, quæ generatim locutus fuisset, tanquam absentibus, sibi quoq; dicta reputarent: & rursus quæ speciatim ipsis dixisset, esse quoque dicta pro absentibus. *Inde iam cœpit,* inquit, *loqui, præsentes compellans, cum & illa, quæ supra dicta sunt, ad eos etiam pertinerent, qui præsentes audiebant, & hæc postea; qua videntur præsentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos, qui absentes vel futuri erant.*

VNDECIMVM sit, trãsire eandem nonnunquam

nunquam à numero singulari in pluralem, & contra vt Cantic. I. *Trahe me post te,* CVRREMVS *in odorem vnguentorum tuorum.* Ex qua mutatione colligit S. BERNARDVS salutare illud documẽtum. Proprium nempe esse virtutis caritatis, vt mortificationes aliasque molestias voce TRAHE comprehensas sibi soli vendicet, consolationes verò, & gaudia communicet amicis & sodalibus. *Sed oritur quæstio,* inquit, *cur similiter, cum sponsa trahi, etiam adolescentulus non adiunxit? quare* ME, *& non* NOS? *cur ergo pluraliter mox subiectum,* CVRREMVS, *cur* TRAHI *te singulariter postulasti?* Et respondet. *Trahimur, cum tribulationibus & tentationibus exercemur. Currimus, cum internis consolationibus, & inspirationibus visitati, tanquam in suaueolentibus vnguentis respiramus* Ac pergit respondere in persona sponsæ. *Ergo quod austerum & durum videtur retineo* MIHI, *tanquam forti, tanquam sana, tanquam perfecta, & dico singulariter,* TRAHE ME. *Quod suaue & dulce, tibi tanquam infirmo communico, & dico,* CVRREMVS *Volo habere socias consolationis, non autem laboris.*

Quod autem numeri rationem habere, tam in nominibus, quam in verbis, vanum

non sit, testatur S. PAVLVS, qui scribens ad Galatas, dum proponit promissionem de Messia factam Abrahæ. *Abraham*, inquit, *facta sunt promissiones*, & SEMINI *eius. Non dicit seminibus, quasi in multis sed quasi in vno*, & SEMINI. Gal. 3.

DEMVM consueuit Scriptura sacra innuere dictum aliquid vel factum, quod tamen non est expressum, vt est legatio, quam S. Martha instituit ad sororem suam Magdalenam, quod à Domino vocaretur, qui ad resuscitandum eorum fratrem Lazarum aduenerat. *Magister adest*, inquiens, *& vocat te*, vt refert S. Ioannes cap. 11. vbi non fit mentio illi commissam fuisse istam curam. In his ergo casibus licitum est meditatori rem sibi ob oculos ponere, non vt facta est, sed vt probabiliter fieri potuisse existimabit Exempli causa, si mediteris de apparitione angeli facta Christo oranti in horto. *apparuit enim angelus, confortans eum*, ait B. LVCAS. posses ipse imaginari, cuiusmodi fuerit colloquium angeli, cum Christo, quod solandi eius causa instituit. Luc. 22.

EANDEM doctrinam vsurpare potes, quando contingit quiddam non modo

non

non expressum in scriptura, sed nec insinuatum, & tamen probabile est, id fieri potuisse, tunc enim meditari potes id, quod arbitraris dictum vel factum. Vt si consideres profectionem Pastorum ad Christum recens natum, poteris imaginari, quomodo salutarint B. Virginem eius matrem, & quid responsi ab ea acceperint, quid obtulerint, & id genus alia, etiamsi nulla eorum sit apud Euangelistas mentio.

TRACTATVS II.

DE ACTIONE INTELLECTVS CIRCA Personas.

De actione intellectus, circa ea, quæ Personæ conueniunt, vt est quoddam compositum.

CAPVT I.

QVONIAM homo constat animo & corpore, possunt hæ duæ partes dupliciter considerari, vel vt sunt inter se distinctæ, vel vt coniunctæ sunt in vno composito. Hic considerationem secundam, sequentibus verò capitibus primam persequemur.

PRIMVM autem, quod considerari posset de Persona, quâ composita, est eius actio. *Actiones enim*, vt docet Aristoteles, *sunt suppositorum*, sed quia actiones distinctum postulant tractatum, nihil hic de iis dicemus.

ALTE-

ALTERVM, quod de persona cõsiderari queat, est nomẽ, quod in personis, quarum mentionem facit Scriptura ordinariè peculiarem habet significationem, idcirco in meditatione nomina sunt excutienda. Ferè enim in iis aliquod latet mysterium. Ita docet S. BERNARDVS sermone primo in verba B Lucæ. *Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatã viro, cui nomen Ioseph, de domo Dauid & nomen Virginis* MARIA. & in hunc modum scribit. *Quid sibi voluit Euangelista tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? credo, quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Putasne aliquid horum superuacue positum sit? nequaquam, plena sunt quippe omnia supernis mysteriis.* Quæ & ibidem exponit. Sic B. AVGVSTINVS occasione verborum, quæ Christus apud S. Ioannem dixit discipulis. *Vsque quo non petistis quicquam in* NOMINE *meo,* Ioan. 16. indagat, quid homo iustè à Deo vi nominis postulare queat? & concludit, cum id nomen sit IESV, id est, saluatoris, ea tantum quæ ad salutem pertinent, esse postulanda. *Non petitur*, inquit, *in nomine Saluatoris contra rationem salutis. Non enim sono litte-*

rarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono rectè ac veraciter intelligitur, hoc accipiendum se dicere, cum dicit, in nomine meo. Poteris autem nominum significationem cognoscere, licet Hebrææ linguæ ignarus, si exemplar nactus sis Bibliorum, quæ in fine omnium nominum interpretationem adiunctam habent.

TERTIVM est sexus. Fortitudo enim animi in periculis & tormentis maiorem meretur laudem in feminis, quam in viris, eo quod natura timidæ sint, & fragiles, vt bene notauit Ecclesia in collecta de Virginibus. DEVS, *qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili martyrii victoriam contulisti*, &c. Consequens ergo est magna laude dignas fuisse mulieres sanctas quæ non reformidarunt, dilapsis licet fuga Apostolis, palam comitari Christum vsque ad montem Caluariæ.

QVARTVM est ætas, quam diuiserunt in pueritiam, virilem ætatem, & senectutem. Tu vide, vt ex quauis harum pro meditandi materia aliquid decerpas S. AVGVSTINVS primam ætatem obseruauit in sanctis Innocentibus, siquidem ante, inquit, vitæ perpetuę adep i sunt dignitatem, quam

Serm. 3.

quam vsum præsentis acciperent Et Ecclesia sancta eiusdem mentionē facit in communi Oratione. DEVS, *cuius hodierna die innocentes martyres, non loquendo,* (alludens ad ætatem) *sed mortendo confessi sunt.* De virili ætate id considerant sancti, quod Christus in ea delegerit mori, vtpote quæ ordinariè cariot homini esse solet, ob robur & vires, aliaq, commoda & solatia quibus abundat Hanc ponderauit idem SAVGVSTINVS in persona S. Stephani, quando fuit lapidatus *In ipso,* inquiens, *iuuentutis flore decerem ætatis suæ sanguine purpurauit.* Ex senectute denique hauriri possunt multi salutares fructus Nam verbi causa, ex conceptioue S. Elisabeth in senectute, pusillanimes senes, qui in vita spirituali plus æquo steriles fuere, spem cōcipere possunt vitæ suæ cum meliore commutandæ: iuuenes quoque, nimium viribus suis fidentes, & conuersionē suam in extremam ætatem prorogantes, hinc discere possunt, admodum periculosam esse dilationem, quandoquidē, quod Elisabeth ánus conceperit, miraculosum fuerit, & rarissimū Neq; mirari debes, ex senectute deriuata esse duo remedia pro curandis vitiis inter se pugnātib, id. n. oritur ex diuinę script fœcūditate, *Serm. 2.*

vt nota-

vt notauit S. GREGORIVS lib. 33. moralium, c. 10. allato exemplo Dauidis, & S. Petri. *Ad hoc quippe*, inquit, *in scriptura sacra virorum talium peccata sunt indita, & cautela minorum sit ruina maiorum. Ad hoc verò virorumque illic & pœnitentia insinuatur, & venia, vt spes pereuntium, sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo Dauid cadente nemo superbiat: de lapsu etiã suo Dauide surgente nemo desperet. Ecce quam mirabiliter scriptura sacra eodem verbo superbos premit, quo humiles leuat. Vnam namq; rem gestam retulit, & diuerso modo, superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles verò ad spei fiduciam reuocauit.*

QVINTVM sit STATVS particularis cuiusq;, hoc est, quem quisque sua voluntate delegerit, vt est matrimonii; & Cœlibatus status. In matrimonio verò spectãdum est, an suppetant liberi, vt in Zebedæo, vel non suppetant, siue quia nulli geniti sint, siue quia vita defuncti, vti accidit viduæ in Naim. In cœlibatus verò statu, considerandum est, sitne Virginitatis, qualis fuit Beatiss. Virginis; an viduitatis, vt Annæ prophetissæ.

SEXTVM est RELIGIO & fides, quam quisque profitetur. vt, sitne fidelis, an infide-

infidelis. qualis erat Centurio de quo Saluator dixit apud B. Matthæum. *Non inueni tantã fidem in Israhel.* Et si fidelis sit: an Catholicus, vel hæreticus sit expende, vt erat Samaritana. Matt. 8.

HAS tres conditiones supradictas attigit S Ambrosius libro 5 de fide cap. 3. in vxore Zebedæi his verbis. *Considerandum est, qua mater filiorum Zebedæi cum filiis & pro filiis petat.* MATER *est & ubique.* Ecce prima. *cui pro filiorum honore solicita, immoderatior quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est atq; mater ætate* LONGÆVA. Et hæc est secunda. tertia verò in verbis sequentibus *Studio* RELIGIOSA, *solatio destituta, qua tunc temporis, quando vel iuuanda, vel alenda foret valida prolis auxilio, abesse sibi liberè patiebatur.*

SEPTIMVM & vltimum est, officium quo quæque persona fungitur, vt si mercaturam faciat, vel aliud. Sic S. Matthæus describens conuersionem suam sui pudefaciendi causa, vt habet B. Hieron. libr. 8. in Matthæum, fatetur se fuisse Publicanum, quod id temporis erat officium vile & contemptum. similiter cõsiderari potest, si manu vel arte victum pararit, vt fecit S. Ioseph. quod Iudæi ad contemnendam Christi personam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Matt. 13. Mar. 6. sonã retulerunt, cum apud Matthæũ dicerent. *Nonne hic est fabri filius?* & apud Marc. *Nonne hic est* FABER? de ipso Christo viderant enim illum cum Ioseph, antequam Apostolos colligeret, domi laborantem.

MVLTA ex his obseruauit quoque S. AMBROSIVS in Lucam, cum puer Iesus oblatus est in templo. *Non solum*, inquiens, *ab angelis & prophetis, à parentibus & pastoribus, sed etiam à senioribus & iustis generatio Domini accipit testimonium, omnis atas, & vterque sexus venturorum miraculorum fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, vtero clausus Ioannes exultat, vidua confitetur, iustus expectat.*

De actione intellectus circa ea quæ conueniunt personæ ratione animæ.

CAPVT II.

PRIMVM, quod considerari potest in anima, est eius natura & substantia. Ea sic potest describi. Est substantia spiritualis, intelligens, immortalis, Dei, eiusq; gloriæ capax, quæ corpori communicat esse, viuere, & operari. Et quoniam operationes multæ sunt & variæ, Deus illi concessit facultates vel

tes vel potentias, quibus quasi instrumentis operationes exerceat. Ac quoniam commune cum angelis habet intelligere, cum bestiis sentire, & cum plantis vegetare, de tribus illis ea tantum perstringam, quæ ad meditandum satis esse possunt.

SECVNDVM est, considerare in anima, qua intelligens est, tres eius potentias Intellectum, voluntatem, & memoriam. De intellectu, inuestigari potest, sitne quis ingenio acuto, an obtuso, celeri vel tardo, perspicaci an obscuro? si iudicio maturo & graui, an puerili & nullo. Acutos ingenio *Matt.27.* forte se venditabant Iudæi, quando post adhibitos custodes sepulchrum Domini obsignarunt sigillo: sed præpostero iudicio se esse, declararunt, quãdo custodibus mandarunt, vt dicerent ab Apostolis corpus Domini ipsis dormientibus sublatum. Qua de re egregiè illos irridet B. Augustinus in psalmum 63. *Dormientes testes adhibes. Verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia fecisti.*

TERTIVM est considerare actiones eius, qua sentiens est. vbi primo spectandæ sunt eæ quæ sunt potentiarum interiorum, vt sensus communis, phantasiæ, cogitatiuæ, & memoriæ sensitiuæ, & adhæc quæ sensuũ externorũ. Secundo spectãdæ sunt potẽtiæ appeti-

appetitiuæ, vt concupiſcibilis cum ſuis actionibus in bonum vergentibus, Amore ſcilicet, deſiderio, & delectatione: & aliis tribus in malum tendentibus, vt Odio, Fuga, & Triſtitia. Deinde Iraſcibilis cũ ſuis binis actibus bonum attinentibus, vel Spe & Deſperatione, & duabus item malum ſpectantibus, Audacia & Timore, ac demum contra illud ipſum ira. Tertio ſpectanda eſt & potentia motiua ſecundum locum, cuius vi quodq; membrum ſigillatim, ac etiam totũ corpus mouetur de loco in locũ.

QVARTVM eſt, conſiderare actiones eius, qua vegetans eſt, nam & actiones animæ vegetatiuæ exercet. Prima autem eius virtus eſt nutritiua, quæ tres alias habet velut miniſtras, attractiuam, digeſtiuam, & expulſiuam. Altera virtus eſt Augmentatiua. tertia verò Generatiua, quibus etiam dictę tres miniſtræ ancillantur. In meditatione ergo ob oculos habere potes, nunc vnam, nunc aliam, prout materia poſtulabit. Exempli cauſa, ſi incidat aliquid meditãdum de Pilato, obſeruare potes, cui paſſioni Appetitus ſenſitiui fuerit obnoxius, & deprehendes, quod Timori, cum dicat S. Ioannes c. 19. *Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonẽ, magis timuit.* Eodem modo inquirere potes alias.

De

De actione Intellectus circa ea quæ conueniunt personæ ratione corporis.

CAP. III.

QVIA corpus nostrum conflatum est ex 4. elementis, sed non eodem modo in omnibus temperatis, primum, quod in persona ratione corporis expendi potest, est COMPLEXIO, quę ex mixtione elementorum resultat. Quærendum itaque tibi est, si temperata sit alicuius complexio, vel non. Si non sit, sed limites excedat moderationis, videndum est quod ad extremum tendat, calorisné an frigoris, siccitatis, vel humiditatis Vel si medicorum more loquamur, dominetur cholera, an phlegma? sanguis an melancholia? esto, quod in corpore aliqua illarum 4 qualitatum, plus minusúe excedat. Quo enim homo plus se ad vnum applicuerit extremum, hoc minus lędetur à contrario. verbi causa. Cholericus, quia abundat calore, minus frigescit in hyeme. Quocirca, quominus se adiungit extremis, hoc magis lædítur ab ipsis. Atque hinc factum est, vt Dominus noster facile expositus fuerit tolerandis omnibus contrariis,

trariis, idque in gradu intenso, vt frigore, fame, flagellis, &c. Sic cogitant nonnulli S. Petrum natura fuisse cholericum, & ideo fuisse audacẽ & imperterritum, ideo quod non dubitarit iniicere manum in seruum Pontificis, etiamsi cerneret se magna militum turba circundatum.

ALTERVM, quod considerari potest, est QVANTITAS. vt num persona sit statura grandi, an pusilla præditus? Grandi erat Saul. nam vt in primo Regum narratur,

1. Reg. 9. *ab humero & sursum eminebat super omnem populũ.* Contra, pusilla erat Zachęus, de quo

Luc. 19. S Lucas. *Statura pusillus erat.*

TERTIVM sit, considerare, quantæ vires sint alicuius. Nam Saul ob exiguum Dauidis robur, & ætatem iuuenilem, summasque vires Goliath, hominis adulti, & armis assuefacti, dixit in primo regum ad

6 Reg. 17. Dauidem: *Non valebis resistere Philistæo illi, quia* PVER *es, hic autem Vir bellator ab adolescentia sua.*

QVARTVM est, videre, si quis sano corpore sit, vel ægro, aut fortuito, vt seruus Centurionis, aut perpetuo, vt paralyticus in piscina, 38 habens in infirmitate sua Adhæc, num ægritudo totum corpus inuaserit, vt fecerat febris in socru S. Petri,

aut

aut partem tantum, vt oculum, vel aures. Ex his enim omnibus bona documenta elici queunt pro vita spirituali, vti facit D. Ambrosius libro 4. super Lucam agens de febri. *Febris enim*, inquit, *nostra auaritia est: febris nostra libido est, febris nostra luxuria est: febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est.* Applicans nimirum febris proprietates ad animi perturbationes.

QVINTVM est, considerare, si quis eleganti sit forma corporis. Vnde Psalmo 44. dicitur. *Speciosus forma præ filijs hominum*, de Christo. Et de Iudith, Iudith 10. capit. *Cui stiam Dominus contulit splendorem.* Vel si sit deformis, quæcunque tandem deformitatis sit causa. Nam propter verbera Christo inflicta dicit Isaias c. 53. *Non erat ei species, neq; decor.*

SEXTVM esse potest, si expendas varietatem situs, vel in toto corpore, vel in eiusdem partibus. Primus situs est, stare. Sic S. Stephanus in Actis Apostolorum legitur *vidisse* IESVM STANTEM *à dextris virtutu* DEI. Secundus est sedere: sic S Marcus de eodem dicit. *Et Dominus quidem* IESVS *postquam locutus est eis, assumptus est in cœlũ, &* SEDET *à dextris Dei.* Act. 7. Marc. vlt.

Ex quo vtroque situ S. GREGORIVS homilia 29. haurit duo pulcherrima documenta. Primum est STATVM significare protectionem, qua tuetur seruos: sessionem vero potestatem iudicandi. *Scitis fratres*, inquit, *quia sedere iudicantis est: stare autem pugnantis*, vel adiuuantis. Tertius situs est, genua flectere, vt fecit Christus in horto, S. Luc. 22. Luca teste. *Et positis genibus.* Quartus est, procumbere in terram vultu in terram demisso. vt fecit Christus in reliqua dictæ orationis parte, vt affirmat S. Matthæus. *Procidit in faciem suam in terram.* vel iacere corpore supino; vt Christus cruci affixus. Quintus, in latus incumbere, vt fecit S. Laurentius. Sextus, vt sit situs naturalis, vt fuit Christi in cruce capite sursum erecto, vel non naturalis, vt S. Petri capite in terram depresso. De quo situ elegantem habet interpretationem B. Ioan. Chrysost. in homilia de D. Petri morte? *Gaudeas Petre*, inquit, *cui datum est, vt ligna crucis Christi fruereris: & ad magistri quidem similitudinem voluisti crucifigi, non recta quidem figura, vt Christus Dominus, sed capite in terram verso, tanquam qui à terra in cœlum iter faceres.* Potest & septimo considerari situs membrorum in Ioan. 18. particulari, vt Capitis, de quo S. Ioannes scribit

scribit Christum *inclinato capite emisisse spiritum*. Et S. Lucas ait eundem eleuatis manibus benedixisse discipulis. *Luc. 24.*

SEPTIMVM est, si persona sit vestita, vel nuda. Christus enim nudus in cruce obiit. Et si vestita sit, num toto corpore, an parte tantum aliqua. vt pileo in capite, calceis in pedibus, pallio in corpore, &c.

Vestimentis deinde aliis vtimur pro decenti conuersatione, aliis ob necessitatem temporis vel loci, aliis ad ornamentum status. Vestibus annumerari solent & arma, vt galeæ, loricæ, thoraces ferrei, quia & his tegimus corpora pro vitæ defensione. Vnde Dauid, cum animaduerteret sibi arma Saulis non conuenire, inermis in certamen prodiit cum hoste armato. *1. Reg. 17.*

De actione intellectus circa ea, quæ conueniunt ratione bonorum externorum.

CAP. IV.

BONA externa hoc loco vocamus, quæ quidam appellant bona Fortunæ, & cõprehendunt, quæcunque nobis foris adueniunt: & sunt varii generis. Primum est, L i-

BERTAS, cui contraria est, subiectio. Subiecta est, verbi causa, vxor marito, teste S. Paulo, liberi parentibus, & serui Dominis. De subiectione pueri IESV scribit S. LVCAS *Et erat subditus illis*. Et Centurio apud B. Matthæum declarat se habere milites sibi subiectos. *Nam & ego*, inquit, *homo sum, habens sub me milites. & dico huic. fac hoc & facit: & seruo meo, veni, & venit* Ex iis autem qui subditos habent, nonnulli nullum habent superiorem, vt ille Paterfamilias, qui apud B. Matthæum dixit Vineæ operariis; *an non possum, quod volo facere?* Alii vero habent, vt dictus centurio, qui disertè id confessus est. *Nam & ego*, inquiens, *homo sum sub potestate constitutus.*

Luc. 2.

Matt. 8. & 20.

SECVNDVM bonum sint OPES. Poteris ergo indagare, sitne persona diues, vt erat S. Matthæus: vel inops, vt erant cæteri Apostoli, quod notauit S. HIERONYMVS libro in Matthæum 3. in verba. *Ecce nos reliquimus omnia.* PETRVS inquit, *piscator erat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter: Ecce nos reliquimus omnia.*

Matt. 19.

TERTIVM est Nobilitas. Nobilis erat Ioseph ab Arimathia, qui mortuum IESV corpus postulauit à Pilato, vt testatur B. Lucas.

Lucas. *Ecce vir nomine Ioseph, qui erat nobilis decurio.* De ignobilibus scribit Paulus in priore epist. ad Corinthios. *Non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit* DEVS. Et infra se etiam inter illos numerat. *Vos nobiles, nos autem ignobiles.* Luc. 23. 1. Cor. 1.

QVARTVM est, considerare, si persona sit magnæ existimationis apud homines, vti fuit S. Ioannes Baptista, qui non solum apud plebem, sed etiam apud regem Herodem in pretio erat. *Et volens Herodes,* Matt. 14 ait B. Matthæus, *eum occidere, timuit populum, quia sicut* PROPHETAM *eum habebant.* Et rursus. *Herodes autem metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum.* Et similiter considerari potest, si persona sit contemptibilis, vti erat Christus Dominus apud Iudæos. Quo loco consultum est, inquirere causas contemptus. Christus enim ideo contemnebatur, quod esset FABER. Nam apud Marcum dicunt: *nonne iste est faber?* deinde, quod Marc. 6. parentes haberet abiectos, vt sanctus Ioseph quem putabant eius patrem. Vnde apud beatum Matthæum obiiciunt: *Nonne hic est fabri filius?* Et item de matre, Matt. 13. *Nonne mater est dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas:*

& sorores eius, nonne apud nos sunt? Tertio, quod natale eius solum esset vile. Vnde apud B. Ioannem dicunt. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Quarto, quod conuersaretur cum hominibus vilibus & contemptis; vnde vocabant eum *amicum publicanorum.* Et alibi dicebant: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?*

Ioan. 1.

Matt. 11.

De actione intellectus circa ea quæ personæ conueniunt ratione bonorum gratuitorum.

CAP. V.

PRIMVM quod de persona in Meditatione indagãdum est, merito censetur gratiæ diuinæ donum Et quia varia sunt dona, inquires sedulo, quibus & quot donis sit ornata.

Prima GRATIA dicitur Pręueniens, vel excitans, quia hac gratia DEVS hominem prævenit, excitat, & auocat à peruersa vita ad bonam, vel à bona allicit ad meliorem; illi consulendo actus pœnitentiæ, & conuersionis, huic vero opera pietatis & deuotionis. Hæc autem incitamenta, vel vocationes

cationes variis modis à diuina maiestate fiunt.

1. Principio quidem, intellectum radiis suæ gratiæ illustrando, cuius beneficio quasi fulgore quodam in animam immisso, homo insolita quadam claritate agnoscit peccati fœditatem, virtutum pulchritudinem, & omnium rerum mundanarum vanitatem. Sic affirmat S. Augustinus sermone 10. de Verbis Apost. *Spiritu Dei*, inquiens, *aguntur illuminante, exhortante & animante*. Atque eodem modo patefacit fidei nostræ veritates.

2. Commouendo affectiones appetitus, vt amorem, timorem, dolorem, & alios. A quibus quando vehementes sunt, ratio trahitur ad amplectendam virtutem, & vitia detestanda. Hæ autem excitationes à DEO variis modis fiunt in hominibus secundum ordinem diuinæ sapientiæ.

Nam primo quosdam vocat tantum per internas inspirationes. vti se vocatum confitetur B. Augustinus lib. 7. confess. c. 8. *Tu vero Domine*, inquit, *in æternum manes, & non in æternum irasceris nobis, quoniam miseratus es terram, & cinerem, & placuit in conspectu tuo reformare deformia mea & stimulis internis agitabas me, vt impatiens essem, do-*

nec mihi per interiorem aſpectum certus eſſes.

2. Alios vocat per prædicationem, & Lectionem ſacram. Quo modo conuerſus eſt S. Antonius, cum legeretur in Euangelio S.

Matt. 19. Marci illud. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* P. Ignatius quoque noſter poſt vitas ſanctorum lectas decreuit ſe dedere Pœnitentiæ, & vitæ ſpirituali.

3. Nonnullos vocat per aduerſitates, & ærumnas temporales, ſicut B. Lucas refert de filio prodigo, qui ad extremam re-

Luc. 15. dactus inopiam, *in ſe reuerſus*, dixit: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam, &c.*

4. Alios quoque vocat per infirmitates, vt leproſos illos, de quibus B. Lucas ſcribit

Luc. 17. eos longe acclamaſſe. IESV *præceptor miſerere noſtri.* Et alios multos.

Luc. 9. 5. Alios aliis mediis, & flagellis ad officium reuocauit, vt S. Paulum, cui in terram afflicto & excæcato Dominus de cœlo, vt

Act. 9. habet Lucas, dixit: *Saule, Saule, cur me perſequeris?*

6. Non

6. Nonnullos vocat occasione bonæ societatis. Sic prima vice vocatus est B. Petrus ad Apostolatum, nempe opera fratris sui S. Andreæ, vt refert S. Ioannes, *Inuenimus Messiam*, inquiebat Andreas, *quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad* IESVM. Ioan. 1.

7. Alii denique per miracula conuersi sunt ad Dominum. quorum exempla multa sunt in Euangelio. S. Ioannes certe sigillatim de Apostolis commemorat, eos conspecto miraculo aquæ in vinum conuersæ, credidisse in Christum. *Et crediderũt*, inquiens, *in eum discipuli eius.* Ioan. 2.

Hæc gratia, dum præbetur assensus, efficax redditur, vt euenit in S. Paulo, nam vocanti Domino ilico respondit. DOMINE *quid me vis facere*? Inefficax autem est, quando non præbetur consensus, quem non præbuêre, qui Matth. 22. cap. inuitati ad nuptias venire renuerunt, sed se excusarunt.

ALIA est gratia, quæ dicitur ADIVVANS, qua homo iam conuersus & iustus adiutus bona opera præstat, diuinis præceptis paret, & tentationes occurrentes expugnat. De qua Christus respondit B. Paulo roganti

vt ei

2. *Cor.* 12. vt à stimulo carnis liberaretur : *Sufficit tibi gratia mea.*

Est & alia, dicta Ivstificans, quæ est qualitas supernaturalis animæ inhærens, quæ eam in conspectu Dei pulchram reddit, amicitiamque & amorem eius conciliat. Hanc obtinuit Publicanus, cum longe stans, non audens oculos in cœlum tollere dixit, *Domine propitius esto mihi peccatori.* Et vt testatur S. Lvcas cap. 18 *Descendit iustificatus ab illo,* id est, Pharisæo.

Luc. 18.

Verum & aliud genus gratiarum in scripturis inuenitur, quæ dicuntur Gratis datæ, quæ à Deo homini ordinariè conceduntur ad vtilitatem aliorum, vt affirmat S. Paulus in priore epist. ad Corinthios. *Vnicuique,* ait, *datur manifestatio spiritus ad vtilitatem,* scilicet aliorum. vt distinguantur à gratiis quę dantur præcipue ad vtilitatem propriam.

1. *Cor.* 12.

Eas autem B. Paulus hoc ordine ibidem enumerat. Alii *quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum : alteri fides in eodem spiritu : alij gratia sanitatum : alij operatio virtutum : alij prophetia : alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.*

S. Tho-

S. THOMAS pro maiori intelligentia eas-dem reuocat ad tria capita. Nam si in-struendus sit quispiam in rebus fidei no-stræ, necesse est, instructorem clara eius cognitione esse prædituum : quæ si sit primorum eius principiorum, vt articulorum Symboli Apostolici, appellatur FIDES, non tamen illa, quæ inter virtutes Theologicas numeratur. Si vero clara illa cognitio sit conclusionum ex principiis deductorum, vocatur SAPIENTIA. Si autem his donis tertio adiungatur alicui DONVM SCIENTIÆ, vt ex naturalibus scientiis exempla desumere possit ad diuinas res clarius explicandas, perfecti instructoris munere fungetur.

EST præterea concionatori Euangelico necessarium, vt doctrinam suam confirmare, fideque dignam reddere possit MIRACVLIS, ac primo quidem ægris imperriendo sanitatem, cuius rei causa datur *gratia sanitatis*. Secundò mira quædam efficiendo, vti cum Christus sedauit maris tempestatem, obstupescentibus Apostolis, & dicentibus, vt refert B. Matthæus: *Quis est hic? quia ma-re & venti obediunt ei.* Huius rei causa datur Gratia VIRTVTVM, sicut ad prædicenda futura, donum PROPHETIÆ, & ad patefa-

Matt. 4.

ciendas

ciendas arcanas cordium cogitationes, donum DISCRETIONIS spirituum.

TERTIO & postremo instructoris, vel Concionatoris munus est, accurate exponere quæ in diuinis scripturis continentur, & ideo magnam debet habere peritiam scripturæ verborum & phrasium. eoque à Deo datur donum *interpretationis sermonum*. Idiomata quoque variarum gentium callere, vnde datur donum LINGVARVM.

In Gratiarum numero ponuntur & habitus Virtutum moralium infusi: quos vt dignoscere in personis queas, ex ipsarum actionibus, describam hic eorum nomina, reducendo eos ad quaterna capita 4 virtutum Cardinalium.

I. Est PRVDENTIA, quæ sub se velut species continet, consilium, iudicium, solertiam, & perspicacitatem.

II. Est IVSTITIA, quæ complectitur Commutatiuam & Distributiuam, religionem, pietatem, obseruantiam, obedientiam, gratitudinem, vindictam, veritatem, affabilitatem, liberalitatem, & æquitatem.

III. FORTITVDO, quæ magnanimitatem,

tem, magnificentiam, constantiam, & perseuerantiam.

IV. TEMPERANTIA, quæ sub se continet verecundiam, honestatem, abstinentiam, sobrietatem, virginitatem, continentiam, clementiam, modestiam, humilitatem, studiositatem, & eutrapeliam.

Sunt denique Virtutes Theologicæ tres. *Fides, Spes, Caritas.* Et si locus occurret, poteris etiam aliquando conuertere oculos mentis ad octo Beatitudines, vt fructus Spiritus sancti.

TRA-

TRACTATVS III.

DE MODO EXERCENDI INTELLECTVM circa verba.

De variis generibus verborum in meditatione expendendis.

CAPVT I.

VERBORVM nomine intelligimus non illa modo quæ ab Euangelista scripta sunt, sed etiam quæ à personis Meditationi interuenientibus proferuntur. Quæ omnia diuidi queunt generatim in declinabilia, & indeclinabilia. Inter declinabilia sufficit nobis Nomen & Verbum, de quibus duobus capitibus sequentibus agemus. De indeclinabilibus autem in quarto.

NEC debet pius Lector contemnere has minutias, cum nec B. Basil. libro primo de Spiritu sancto eas contemnat, sed potius magni

magni faciat: nam non minus nobis seruierit hic instituto nostro, quam ibi ipsius. Sanctus autem ille, postquam dixisset perfectionem nostram consistere in quadam cum Domino Deo, quoad fieri potest, assimilatione, & deinde addidisset, ad eam similitudinem non posse nos pertingere, antequam aliquam DEI notitiam, (quæ ordinariè ex diuina scriptura hauriendæ) consequamur, mox subiungit, idcirco in scripturis non sententias tantum, sed etiam singulas voculas, imo syllabas nobis esse rimandas. *Nobis*, inquit, *præscriptum est, vt similes efficiamur Deo, quatenus humanæ naturæ fas est. Porro similitudo non est absque cognitione. Cognitio vero doctrina paratur. Doctrina autem initium est oratio. Orationis partes dictiones & syllabæ. Proinde syllabas excutere, non est aberrare à scopo.*

SED nec pudor vel motus, ne irrideamur ab aliis, nos ab hoc studio deterrere debet. *Quod si quis ridet*, inquit idem, *nostram circa syllabas, vt Psalmi verbis vtar, nugacitatem, ipse quidem insrugiferum sui risus fructum metat: nos vero haud vnquam cedentes, hominum conuitijs, nec illorum vituperatione deterriti vestigandi studium deseremus. Tantum*

enim abest, vt me harum minutiarum pudeat, vt si dignitatis vel minimam partem assequar, mihi gratulaturus sim, velut res maximas assecuto.

De exercitio intellectus circa Nomina.

CAPVT II.

OMISSIS superfluis Nominum diuisionibus, & declaratione nominum propriorum, de quibus supra actum est, tantum breuiter agam de reliquis, initio facto ab Appellatiuis, quæ significant officium, vel aliam proprietatem congruẽtem personæ. Inter ea est, nomen AMICI, quo Christus appellauit in horto IVDAM proditorem suum, dicens. AMICE *ad quid veniſti?* Vnde colligitur Christum tanto mortis arsisse desiderio, vt benefactoris loco haberet eum, qui eam procuraret. Et quoniã beneficia recipi solẽt ab amicis, bonus IESVS Iudam, vtpotè suæ mortis procuratorem, amici loco habebat. S. Bernardus scribens in Cantica obseruauit sponsã sæpe sponsum suũ appellare nomine DILECTI, ac inde colligit, illud eã feciſſe sui erga eum amoris, quem pectori inclusum habebat, declarandi causa. Dilectio enim est actus Voluntatis.

De Adiectivo, quoque ita dicto quod aliis nominibus adiiciatur, poteris examinare, an congruenter attribuatur personæ, vti facit S Bernardvs in sermonem supra Missvs *est*, in verba angeli ad B. Virginem dicta, Grata plena. vbi indagat, quę fuerit illa gratiæ plenitudo. Similiter S. Hieronymvs in verba B. Petri ad Christum dicta. *Tu es Christus filius* Dei vivi. Deum viuum, inquiens, *appellat, ad distinctionem eorum deorum, qui mortui sunt.* Idem intellige de Participiis, vt de illo, quod S Elisabeth dixit ad B. Virginem: Benedicta *tu inter mulieres.*

Luc. 1.

Matt. 16.

Pronomina ego, tv, eorumque affinia Demonstratiua, magnam solent habere vim & emphasin, tũ ad res amplificandas, tum ad extenuandas. Ad extenuandum Iudæi dixêre ad cœcum illuminatum, vt refert B. Ioannes *Tu doces nos?* vt liquet ex verbis antegressis. *In peccatis natus es totus.* Ad amplificandum autem dixit Christus Apostolis apud Ioannem, post pedes lotos: *Ego lauipedes vestros*, vt patet ex mox adiunctis verbis, *Dominus & magister.* Rursum Pronomina dicta *Possessiua*, præter significatum domini crebro exprimunt & amoris affectum, vt videre licet in histor

Ca. 9.

Ioan. 13.

Gen. 37.

patriarchę Ioseph, vbi sæpe repetuntur pronomina illa. *Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis fratribus amaretur:* quando tunicam illius miserunt ad Patrem alludẽdo ad hunc amorem dixerunt, *Vide si tunica filij* TVI *est* Et ipse respondit: *Tunica filij* MEI. Et mox subiecit Moyses: Fleuit filium SVVM.

CIRCA Nomina, quibus res diuersæ inter se comparantur, inquire tu primum naturam rei, ratione cuius comparantur, sitné vt e temporalis an spiritualis? Secundo quantitatem excessus Tertio causam eiusdem Exempli m sit illud Ecclesiastici ca. 7. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij* Primum ergo deberes inuestigare, quid in vtraque domo agatur, & tunc facile cognosces, cur consultius sit ad
Luc. 21. illam, potius quam ad hanc concedere Deprehendes autem in conuiuiis temperantiæ limites in comędendo & bibendo excedi, & ideo monuisse Dominum apud Lucam: *Cauete, ne grauentur corda vestra crapula,*
Prou. 10. *& ebrietate.* Deinde, delinquiloquendo *in multiloquio* enim, ait Sapiens, *non deerit peccatum.* Tertio, ridendo & nu-
Luc. 6. gando Christus autem, teste S. Luca, dixit. *Væ vobis, qui ridetis, & habetis consolationes*

vestras.

vestras. Ex altera parte in domo luctus, vel mortui, omnes plorant, compatiendo afflictis, secundum illud Pauli consilium: *Flete cum flentibus*. Rom. 12. Quod ad secundum caput attinet, in conuiuiis sunt delitiæ & voluptates magnæ, sed ad breue tempus, & quæ hominem ad æternas inferni pœnas detrudunt, vt accidit infortunato Epuloni Euangelico. Contra in domo luctus, etiamsi commiseratio cum lugentibus sit breuis, tamen æternæ vitæ meretur gaudia, vt indicat Apostolus in 2. epist. ad Corinthios: *Momentaneum hoc & leue, &c. æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. 2. Cor. 4. Quod ad tertiũ, causatur potius eundum sit ad ædes lugentium, quam conuiuantiũ est, quia oblectatio virtutis caritatis quæ est in conuersatione lugentium, longe præstat delectatione conuiuiorum, siue nobilitatem, siue vtilitatem spectes. Ita docet B. Augustinus sermone 31. de verbis Domini, tractans illa verba Domini: MARIA *optimam partem elegit*, prolixeq; Luc. 14. demonstrans, qua in re vita contemplatiua præstet Actiuæ: ac tandem concludit, vt cõtemplatiua sit præstantior, non tamen idcirco actiuam malam. Et BEDA libro 4. in Lucam ca. 12. in verba *Nolite timere pusillus grex*, ait: Pusillum gregẽ electorum, vel ob

comparationem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis deuotionem nominat: quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen vsque ad finem mundi humilitate vult crescere, & ad promissum regnum humilitatis peruenire, &c.

SVPEREST monere, aliquando in diuina scriptura inueniri genitiuum, qui significat possessionem, & multos bonos subministrat conceptus, vti fecit Chrysostomus in opere imperfecto super Matthæum, in verba: *Accipe puerum, & matrem eius*, Ideo, inquit, *non dicit, accipe matrem & puerum* EIVS, *sed accipe puerum & matrem eius, quia non propter illam matrem ille filius natus est, sed propter illum filium præparata mater*. Possessor siquidem anteferendus semper est rei possessæ.

SIMILITER inuenitur & Datiuus quidam denotans commodum vel incommodum: Commodi est in verbis angeli apud B. Lucam apud Pastores dictis, *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est* VOBIS *Saluator*. Hæc obseruatio est D. Bernardi in verba Isaiæ. *Factus est* NOBIS *Sapientia à* DEO, nam ait. *Non dicit simpliciter, quia factus est sapientia, sed quia factus est* NOBIS

Luc. 2.

sapien-

sapientia. Incommodi datiuus est in illis verbis Geneſios de nuditate Noe à Cham filio publicata: *Cum didicisset*, ait scriptura, *quæ fecerat ei filius minor.* Sic enim loquitur B. Chryſoſtomus in illa verba. *Cognouit Noe, quæ fecit* SIBI. *magnam & intolerabilem rem dicere voluit, fecit sibi.* Et paulo post: *Vidisti, quomodo nihil temerè & fortuitò in diuina scriptura continetur. Quæ fecerat sibi, inquit.* Gen. 9. hom. 29.

De Exercitio Intellectus circa Verba.

CAP. III.

IN Verbis, primo conſiderandum eſt eorum ſignificatū, propriumné ſit, an tranſlatum, ſicut ſupra oſtendimus de verbo COLLIGENDI.

2. Obſeruandus eſt MODVS, vt facit S. Chryſoſtomus in verba Matthæi. *Dic, vt hi duo filij mei ſedeant, vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo.* Modo enim imperandi, inquit, DIC, declarabat ardens ſuum deſiderium in hac petitione.

3. Poteſt notari & TEMPVS, vt in illo loco Matthæi. *Si filius Dei eſt, deſcendat* Cap. 27.

nunc de cruce. vbi cum videantur subiicere debuisse in futuro : Et credemus ei; tamen subiecere in præsenti, & CREDIMVS *ei*, vt declararent certo se conuertendos, si descenderet

4. ET tempus imperfectum: quod non solum significat operis imperfectionem, sed etiam actione successiua continua longiorem durationem, vt apparet in illo B.
Luc. 4. Lucæ. ET AGEBATVR *à Spiritu in desertum*: significat enim eum non tantum cœpisse moueri versus desertum, sed toto itinere à Spiritu impulsum donec ad desertum peruenisset. vt liquet & ex illa alia loquendi forma *Ductus est in desertum*. At in actionibus successiuis interruptis, designat eiusdem rei iterationem, vt patet in voce vsurpata à B. Matth. At illi magis CLAMABANT;
Matt. 27 *Luc. 28.* nam S. LVCAS bis repetitam dicit vocem.
Ioan. 19. CRVCIFIGE, crucifige. & S. Ioannes: *Tolle, tolle*, id est in crucem age. Similiter liquet in tentationibus dæmonis in deserto factis, quia enim fuerunt minimum tres, S. MARCVS dicit. *Marc. 1.* ET TENTABATVR *à Satana.*

5. SOLET quoque scriptura loco futuri vti non solum præsenti, vt in illo Ioannis.
Ioan. 3. *Qui credit, non* IVDICATVR pro non iudicabitur;

cabitur: sed etiam præterito, vt ibidem: *Qui non credit, iam iudicatus est*, pro, iudicabitur. Idque facit, vt tam certo sciamus futurum, quam si iam esset præsens.

Nonnunquam Verbum subministrat piam aliquam sententiam, si sit Actiuum, nam ex verbis B. Marci. *Statim Spiritus* EXPVLIT *eum in desertum*, colligi potest, gratiam præuenientem à solo Deo, nulla nostra cooperatione, vel merito interueniente, proficisci. Nonnunquam etiam, si sit PASSIVVM vt in dicto B. Lucæ. ET AGEBATVR *à Spiritu in desertum*. ex quo colligi potest gratia concomitans, vel adiuuans. Verbum enim AGI indicat eum fuisse impulsum, & ductum, qui autem ab alio deducitur, ducenti cooperatur sequendo, vim impellentis, vt accidit iis, qui viventorum impulsi, celerius progrediuntur.

Marc. 1.

Luc. 4.

Quandoque vim sententiæ auget Verbum, si sit Impersonale. Exempli causa. Christus dixit ad Saulum in Actis: *Ingredere ciuitatem*, & DICETVR *tibi, quid te oporteat facere*. Vbi sciendum est, eum à Christo missum ad Ananiam, quem in visione, vt ibidem dicitur, demonstrauit. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus.* Atque ideo videtur

Act. 9.

debuisse scribi, DICET & non DICETVR. non autem dixit, vt forte indicaret, id quod dicturus foret, non suo, sed Christi nomine dici. Quæ coniectura inde confirmari potest, quod Dominus noster etiam ipsi Ananiæ apparuerit, reuelaueritque, quid esset dicturus, quod etiam ilico fecit. Nam accedens Paulum, *Saule, frater*, inquit, *Dominus* IESVS *misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto.*

De Exercitio Intellectus circa voces indeclinabiles.

CAP. IV.

QVAMVIS in Meditatione necesse non sit anxiè vim eiusmodi vocum scrutari, tamen aspernanda non est, vt monet B. BASILIVS in libro de Spiritu sancto quasi præpostera & inutilis hæc diligentia. *Nec* vero, inquit, *quoniam alicui videbuntur minuta, ob id derideri debent, & negligenda, immo quia difficilis inuentu est veritas, vndique nobis est inuestiganda.* Addit autem hanc pulchram similitudinem. *Si quemadmodum cætera artes, ita & pietatis acquisitio paulatim minutis accessionibus augescit, nihil*

est

est prætermittendum ijs, qui ad cognitionē instituuntur, veluti, si quis prima elementa, vt res minutas contemnat, quando ad perfectam veniet sapientiam. Certe maiorem eiusdem libri partem expēdit, vt demonstret, quam varii conceptus ad fidem confirmandam ex diuinis literis hauriri queant, si verba sedulo ponderentur

S. BERNARDI elegans illa fertur sententia. ADVERBIORVM *remunerator est* DEVS, *& non verborum.*

S. Hieronymus libr. 4. in Isaiam annotauit, vocul. ECCE plærunque significari rem magnam & obseruatione dignam, vt in illo dicto Isaiæ: ECCE *virgo concipiet*, nouum, inquiens, debet esse, atque mirabile hoc, &c. Ac S. Chrysost. hom 37. in imperfecto dicit. Et ECCE *ostendentis aduerbium est, non corporali aspectu, sed intellectuali. Opera virtutum eius aspicite, non schema visionū eius.*

IDEM hom. 15 in Genesin. postquam dixit in diuinis scriptis nullum verbum esse superuacuum, tractans sententiam illam: A-DAM *vero nō inueniebatur adiutor similis eius.* Cap. 2. ex coniunctione, VERO, colligit, Moysem voluisse indicare, quod discrimen inter mulierem & bestias esset futurū, licet illæ æquè ac mulier in adiutorium Adæ essent creatę.

Nam

Nam creatæ quidem erant ad auxilium illi præstandum in victu, vestitu, oneribus deferendis vel trahendis, & id genus aliis, sed non in multiplicatione generis humani, ratione cuius voluit Deus quoque mulierem esse rationis participem. Quid *Vult*, inquit, *hac breuis dictio*, VERO? *quare apponit coniunctionem? an non sufficiebat dicere, Adæ. non absq; ratione, neq; curiositatis gratia inquirendi talia nobis studium est, sed vt doceamur, vos neque dictionem paruam, neq; syllabam vnam diuinis litteris contentam esse pertereundam. Non enim verba tantum sunt, sed & Spiritus sancti verba magnum in his thesaurum inuenire licet, etiam in vna dictione.* Et subiungit. *Aliud tamen quoddam adiutorium est multis numeris excellentius, quod à muliere Ada præstatur.*

TRA-

TRACTATVS IV.

DE EXERCITIO INTELLECTVS CIRca actiones.

De exercitio intellectus circa ea quæ Personæ conueniunt, qua Agens est.

CAPVT I.

QVONIAM omnis actio proficiscitur ab aliquo Agente, exerceturq, in loco certo & tempore, tribus capitibus hic Tractatulus absoluetur. In primo agetur de Agente; In secundo de actione. In tertio de eius circumstantiis.

QVOD ad Agentem attinet Prima diuisio est, alium esse vniuersalem, alium particularem Agentem. Vniuersalis est, qui generatim vel ad omnes, vel ad multas concurrit actiones. Inter quos principem locum tenet DEVS O. M. sicut enim ille condidit omnia,

mnia, sic eadem non solum mouet & conseruat, sed etiam in operando adiuuat, secundum illud B. Pauli in Actis Apostolorũ. *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* Ac creatura quidem quæuis eousq; in actionibus suis naturalibus illo diuino concursu opus habet, vt si desiit, nihil agere queat; vti nihil egit ignis in fornace Babylonia, cum Dan. 3. Deus vim suam subtraxit: non enim solum non exussit iuuenes illos, sed nulla etiam re, vel ipsos, vel vestes eorum læsit.

QVA DE causa & DEVS dicitur Prima causa omnium rerum, primusq; motor. etsi verum est cũ alio atq; alio modo cooperari creaturis, accommode ad singularum naturas Nam ad actiones liberas, & voluntarias hominis, quas deliberatè exercet, si virtuti sint affines, dicitur DEVS cõcurrere singulari modo, aut iubendo vel consulendo bonum, vel malum prohibendo & dissuadendo Et si prauæ sint actiones, dicitur minimum ad eas concurrere permittendo, aut non impediendo hominis libertatem.

AGENS, vel efficiens causa vniuersalis eaque meritoria Christiani hominis, qua Christianus efficitur, vitãq; piam traducit, dicitur esse Christus Dominus noster, etiam qua homo est, quia morte sua meruit nobis illa

illa omnia, teste Apostolo. *Ex ipso*, inquiens, *vos estis in Christo* IESV, *qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* 1. Cor. 1.

AGENS vniuersale quoq; actionum naturalium dicitur Sol, & cœlum. Vnde ait Aristoteles. *Sol & homo generant hominem.*

AGENS vero particulare, semper est res particularis: sicut causa particularis caloris dicitur esse Ignis. Et condemnationis Christi causa vel actor particularis Pilatus. Huius generis Agentia vocari soleut & *Causa Secundæ*, vt distinguantur à Prima causa ante explicata.

Nonnulli inter causas numerant *Ministerialem*, eo quod tanquam ministra ad exequendum concurrat. quo pacto, qui crucifixerunt Christum, eiusque vestimenta inter se partiti sunt, possunt dici causa mortis Christi. Dico ego, ex secundo, tertioque Agentium genere meditando posse indagari sequentia.

PRIMVM est, sintné plura agentia, vel secus? si sint, considerari potest, num omnia concurrerint? vt accidit in consilio apud Caipham de morte Christi inito. *Omnes enim*, ait B. MARCVS, *condemnauerunt eum esse reum mortis.* Vel non omnia Marc. 14.

V.

Luc.23. vt in alio consilio, apud B. Lucam, eiusdem argumenti, cui Ioseph ab Arimathia consentire nolebat. *Hic*, inquit, *non consenserat consilijs & actibus eorum* Sic nonnulli contemplatiui credunt plures fuisse Christi flagellatores, vt alter alteri fesso successerit

SECVNDO inuestigare potes, habueritne agens alium finem sibi mente propositum, quam actio natura sua postularit. Exempli causa: Finis naturalis flagellationis Saluatoris fuit sanctissimum corpus affligere: at Pilatus flagellationis auctor vel actor alium quoque finem habuit propositum, nempe vt Iudæorum rabiem exsaturaret, & tam diro spectaculo ad commiserationem commoueret, ac denique Christum dimitteret. *Corripiam ergo illum*, inquit apud B. Luc.23. Lucam, *& dimittam*.

DE finibus autem istiusmodi examinare debes, sintne boni, an mali? Nam verbi causa, Bonus finis propositus fuit S. Petro, quãdo auriculam resecuit Malcho: quia, vt quidam contemplantur, id fecit, vt illum liberaret ab aliquo militum insultu Si malus sit finis, poteris vlterius inquirere, num apertè, vel fictè sit malus, bono aliquo zelo tectus? qualis erat Iudæorum, cum apud Pilatum Christum accusarent de crimine

crimine læsæ maiestatis diuinæ, dicendo vt habet Ioannes; *quia filium* DEI *se fecit*. Et humanę maiestatis adiuncto illo: *Prohibuit censum dari Cæsari*. Hoc enim pallio & prætextu cælarunt malignũ suum propositum de Christo è medio tollendo, vt refert Ieremias. *Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius*. Causa enim vera erat, quam Salomon memorat in Sapientiæ libro. *Circumueniamus ergò iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplina nostræ. Promittit se scientiam* DEI *habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationũ nostrarum, grauis est nobis, etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutata sunt viæ eius.*

Ioan. 9.

Ier. 11.

Sap. 2.

TERTIO, expende an agens, quod facit, sua voluntate impulsus faciat, sicut Pilatus voluit liberare Christum. *Et ex tunc*, inquit B. Ioannes, *volvit occultè dimittere eum*. an verò aliena? sicut idem Pilatus à Iudæis coactus iussit eum crucifigi. Et progrediendo longius inquirere, precibusne an minis agens adigatur. Nam Christus A-

postolorum precibus inductus est, vt tempestatē maris sedaret, vt refert S. Matthæus, *Matt. 8.* *Domine, adiuua nos, perimus. Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Minis verò adactus est Pilatus ad condemnandum Christum. *Si hunc dimittis*, clamabant Iudæi, *non es amicus Cæsaris. Pilatus* autem, subiungit S Ioannes, *Ioan. 19.* *cum audisset hos sermones, adducit foras* IESVM, *& sedit pro tribunali.* Minabantur enim Iudæi se eum accusaturos tanquam rebellem, dicentes: *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari*

QVARTO noris, non solum eos censeri causas vel auctores alicuius actionis, qui reipsa eam perficiunt; sed etiam qui auxilium, consilium, vel fauorem ad eam præstāt. Hoc sensu S. Augustinus in Psalmum 63. Iudæos ait, causam dedisse morti Christi, quoniam consuluerunt eam, & Pilatum ad eam inferendam induxerunt. *Et vos*, inquit, *ô Iudæi occidistis, vnde occidistis? gladio linguæ occidistis, quando clamastis: Crucifige, crucifige eum.*

De Exercitio Intellectus circa Actiones.

CAP. II.

IN hoc capite describam varia actionum genera, & cuiusque naturam explicabo, vt ex

vt ex iis, quæ in Meditationem tuam incident multiplices fructus colligas, quos S. Patres ex earum natura, circunstantiisque hauserunt.

PRIMA diuisio sit Philosophis vsitata, vt alia Actio dicatur immanens vel interna, & Transiens, vel externa. Internæ sunt, quæ principium ex se habent internum, & remanent in nobis. Eiusmodi sunt actiones intellectus vt apprehensio, compositio, discursus. Et omnes actus voluntatis de quibus paulo post agemus. Deinde Memoriæ, tam intellectiuæ quàm sensitiuæ, de quibus item postea. Similiter tales actiones sunt phantasiæ, sensus communis, & quinque sensuum externorum, denique omnes appetitus sensitiui. EXTERNÆ verò Actiones dicuntur, primo quæ aliquod opus permanens post se relinquunt: vt ædificatio domum. Eiusmodi sunt omnes actiones mechanicæ. Deinde, quæ etsi permanens opus non relinquant, tamen foras prodeunt. vt est loqui, volare, ambulare, nauigare. Adhæc actiones morales humanæ, quas homo ex ciuilitate vel humanitate, remoto omni alio respectu, exercet.

ALIÆ deniq; sunt supernaturales & di-

uinæ, ita dictæ, tum quod dirigant nos ad finem supernaturalem, qui est DEVS, tum quod adiuuante diuina gratia exerceantur. QVOTIES ergo in meditatione considerãdum quippiam occurret circa actionem, primo ponderandum erit, in quo genere actionum fuerit?

De Exercitio intellectus circa Actionum circumstantias.

CAP. III.

QVEMADMODVM homines, qui sermoni vel colloquio alicui intersunt & aures loquentibus præbent, vocamus CIRCVMSTANTES, sic hoc loco vocamus CIRCVNSTANTIAS accidentia actionis, quæ actionem quasi circumdant. PRIMA est LOCVS in quo exercetur actio, vt flagellatio Christi in atrio Pilati. DE loco ergo primum expendi potest, sitne publicus? vt fuit Crucifixionis Domini, in monte scilicet Caluariæ, loco suppliciis reorũ destinato, quod confusionem Christi augebat: An verò secretus, vt fuit carcer in quo decollatus est S. Ioannes Baptista, quod fieri solet ad imminuendum personæ dedecus & confusionem. Hac consideratione vsus est BEDA in cap. 8. Lucæ in explicanda parabola semina-

minatoris, quam Christus quidem proposuit in loco publico iuxta mare, sed interpretatus est in priuato intra ædes: & inde salutare hoc documentum depromit, eum qui scrutari vult diuinarum Scripturarum mysteria, necesse habere vt se recipiat intra animæ suæ cubiculum. Deinde considerari potest, sitne locus amplus & spacioſus, vt fuit vrbis Hierosolymitanæ, in ea enim Christus Dominus ad maiorem sui confusionem elegit mortem oppetere nam cum esset regni caput, in ea nobilissimi quique Iudæorum sedem suam fixerant. An verò sit locus exiguus, vt erat oppidum Nazareth, vbi Christus voluit nasci eandem ob causam. Vnde & Iudæi apud B. Ioannem illi id exprobrarunt. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ioan. 3.

SECVNDA circumstantia est TEMPVS, quod diuiditur in QVANDO, & QVANTVM. Quando significat determinatam temporis partem, eamque vel magnam, vt est anni integri, vel quatuor eius stationum principalium, nempe veris, ÆSTATIS, AVTVMNI, & HYEMIS: vel minorem, vt Mensis, hebdomadæ, diei, horæ diurnæ vel nocturnæ: Vnaquæque enim partium harum potest submministrare pium conceptum: sicut sub-

Serm. 1. de Sanctis. ministrauit B. Augustino tempus Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, quod incidit in solstitium æstiuum, cum incipiunt dies decrescere: & tempus Natiuitatis Domini nostri, incidens in solstitium hibernum, quo incipiunt accrescere. Hinc enim salutare documentum de hominis humiliatione & Dei exaltatione idem sanctus deprompsit. *Vt humiliaretur*, inquit, *homo, hodie natus est Ioannes, quo incipiunt decrescere dies. Vt exaltaretur* DEVS, *eodie natus est Christus, quo incipiunt crescere dies.* Et citat dictum ipsum B. Ioannis Baptistæ *me oportet minui, illum autem crescere.* Et in alio sermone dicit. *Factum est Ioanni, quod ille prædixerat. Illum oportet crescere, dixerat de Domino, me autem minui, de seipso. iste minutus est in capite, ille creuit in cruce.* Eodem modo potes considerare puerum Iesum natum in medio hyemis, quando frigus est magnum, & tempore nocturno, cum noctes sunt longæ, vt nocte intempesta & media. Denique QVANTVM, significat durationem, vel diuturnitatem temporis. vnde perpendere potes, quandiu Actio aliqua durarit, vt Christi flagellatio.

Ioan. 3.

TERTIA circumstantia est MODVS. Secundum quem considerare potes, v. c. in dicta

cta Christi flagellatione, fueritne dira & atrox; qualis videtur fuisse, cum scelerati milites summis viribus infligerent verbera; an verò lenta & remissa, vt videtur fuisse clauorum infixio, ad augendam supplicii acerbitatem. Dixi posse te hæc considerare, quia Meditationis hoc priuilegium est, vt fas sit imaginari quicquid iuuare meditantem potest, modo nõ repugnet diuinis scripturis, Traditioni, S. Patrib. vel bonis moribus. SED &oculos cõiicere potes in Instrumẽta, quib. peragitur actio; nam & illa salutarẽ possũt subministrare gustũ. vtv. c. si claui fuerint obtusi, tunc n. graui⁹ dilacerasset man⁹ pedesq; Saluatoris. similiter si flagella fuerint confecta ex virgis, vel nodosis loris.

QVARTA est personæ, tum eius quę agit, tum in quã actio terminatur. Verum, quia de Agente paulo ante egimus; de iis verò quę personę generatim conuenire possunt, in proprio Tractatu vnum tantũ hic adiungam Bonum esse, assuefacere se, vt quicquid in hac vita nobis cõtingit referamus in autorẽ Deum, vt causam Agentem primariã, id n. pleriq; omnes sancti fecerũt, & magnũ robur afferre solet omnib. actionibus nostris. Exempli causa: Flagellatio saluatoris peracta est quidẽ ab improbo milite, & à Pilato

mandata, sed est præterea præordinata à
Isa. 53. Patre æterno, vt ipse fatetur apud Isaiam. *Propter scelus populi mei* PERCVSSI *eum*. Ac notis, quo plus te in hoc meditandi modo exercueris, hoc facilius & promptius te in omnibus negotiis tuis, prosperisq; & aduersis casibus respecturum in causam primam cum magno tuo solatio & animi quiete. Sic fecit Patriarcha IOSEPH, qui etsi probè sciret se à fratribus suis venditum, & in Ægyptum transportatum, vt capite 45. Geneseos, illis patefecit his verbis: *Neque Vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus*, tamen tandem subiecit *non nostro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*. Quæ cogitatio non solum confortauit eum in ærumnis quas est perpessus, verum etiam ad condonandam fratribus noxam permouit?

TRAC-

TRACTATVS V.

QVEMADMODVM EXERCENDA SIT memoria in meditatione.

De modo fructuosè legendi libros spirituales.

CAPVT I.

CVM Memoria bifariam opem suam meditationi suppeditare possit, vel multas rerũ piarum species in ea pro futuris meditationibus recondendo, vel in ipso meditationis actu eas intellectui repræsentando, vt eas consideret eo modo, quo in capitibus sequentibus exponetur: nunc tantum hoc capite explicabo, quomodo dictus thesaurus LECTIONIS spiritualis beneficio colligi queat. Licet multa alia suppetant media, de quib. alias vt conciones, colloquia Patrum spiritalium & cõsuetudo ex rebus sensibilibus pium con-

ceptum depromendi, quæ thesaurum eundem augere possint.

MONEMVS ergo, vt quemadmodum mercatores in omnibus negotiationibus studeant quæstum facere, & idcirco nullis laboribus parcunt; sic homines spirituales conentur in actionibus suis; ac imprimis in piorum librorum lectione, de qua vt vtiliter instituatur, aliqua documenta ex sanctorum Vitis decerpta adferam.

PRIMVM est, de genere librorum, qui legendi sunt. S. BERNARDVS ad fratres de Monte Dei scribens, ait, debere esse faciles intellectu, & perspicuos, eo quod obscuri & difficiles fatigent caput, & plus obsint meditationi, quam prosint. Proponenda sunt Nouitio planiora, vbi laborandum ei non sit in planitie historiali. Difficilium enim scripturarum lectio fatigat, non reficit animum teneriorem, frangit intentionem, hebetat sensum, vel ingenium. Adhæc idem vehemẽter improbat lectionem librorum impertinẽtium, etiamsi de rebus adiaphoris tractent, *Porro*, inquiens, *alia historia delectant quidem, cum leguntur, sed non adificant: quin potius mentem inficiunt. & in tempore orationis vel spiritualis meditationis inutilia quaque, vel noxia faciunt*

scaturire

scaturire de memoria. Et adiungit rationem hanc. *Lectionis quippe modum similis meditatio sequi solet.*

ALTERVM est, de Fine, qui lectori debet esse propositus, nempe vt fructum aliquem spiritualem ex lectione colligat. S Hieronymus duos commemorat, vnum, quod instruat & erudiat intellectum. alterum, quod voluntatem à mundo diuellat, & eleuet ad DEVM. *Geminum bonum*, inquit, *cõfert lectio, siue quia intellectum erudit, siue quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit* Quisquis ergo incipis, omnia lege cum fructu tuo, imitareq; nutricem, quæ quidquid cibi sumit, primum se nutrit, ex cibi autẽ reliquiis lac præbet infanti: nequaquam autem imitare gallinã, quæ quicquid escæ offendit, obiicit pullis, ipsa vetò inedia consumitur, & macrescit.

TERTIVM est, de ORDINE inter legendum seruando, vt scilicet primo tempus certum decernatur lectioni, hoc est, quãdo, quamdiu, & quoties instituenda sit. si decreueris plus quam horam impendendam, numerũ horarum definire oportet, & qui libri quaq; hora legẽdi. *Certis horis*, inquit B. Bern *certæ lectioni vacandũ est* Et causã mox addit. *Leuiter n. admissa lectio leui recedet à memoria;*

sed

sed certis ingeniis immorandum est, & assuefaciendus animus. Deinde ordo in vno eodemq; libro perlegendo seruandus est, vt nimirum consequenter, & non saltuatim legatur. *Fortuito enim*, inquit idem sanctus, *& quasi casu reperta lectio non ædificat, sed animum reddit instabilem.* Et S. Bonauētura: *Fastidientis est stomachi, multa degustare.*

Bon. spec. disc. c. 7.

QVARTVM est de MODO. *Quo enim Spiritu*, inquit B. Bernardus, *Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi debent: ipso etiam intelligendæ.* nempe excitato & inflammato. Vnde si liber sit de paradiso, legi debet animo alacri & erecto. si de peccatis & inferno, animo mœsto & tristi. Si de meditatione, vt est liber præsens, magno desiderio modum meditandi capiendi aggredi lectionem debes, & senties te adiutum. Alius modus est vt attente legatur. *In omni scriptura enim*, inquit B. Bernardus, *tantum distat studium à lectione, quantum amicitia ab hospitio, & socialis affectio à fortuita salutatione. Porro cum leges*, ait B. Ephræm, *studiosè & accurate leges magna cum tranquillitate atque industria percurrens versus: & non studeas duntaxat libri folia euoluere, sed si opus fuerit, non pigeat etiam bis, terue, & sæpius eundem repetere versum, vt sim orationis intelli-*

gas.

gas. Tertius modus est, aliquando lectionem interrumpere. *Hauriendus est sape*, inquit idem B. Bernardus, *de serie lectionis affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quam puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat.* Et S. AVGVSTINVS in scala paradisi huc collimans. *Modicum*, inquit, *sapida est lectio exterioris littera, nisi glossam & interiorem sensum sumat ex corde. Quid enim prodest lectione continua tempus occupare, & scripta sanctorum legendo transcurrere, nisi ea masticando & ruminando succum bibamus?* Ac scias, ex hoc legendi modo cõsecuturum te hunc alium fructum, vt multum legere qualibet vice non possis, & si velles amplius, fructum prędicationis, teste S. AMBROSIO in libris de officiis, impedires. Quod confirmat experientia in agricultura. quo enim semina spissius in terram coniiciuntur, hoc ægrius erumpunt, aut ad maturitatem non perueniunt.

QVINTVM documentum est, de iis quæ in Lectione fugienda sunt. Primum est, ne obseruentur elegantiores phrases, non verba lecta, nec artificium Rhetoricum, sed tantum quæratur fructus spiritualis. Secundo, vt

do, vt nõ tespuat libellum, quia paruus est, potest enim fieri vt magnum cõtineat thesaurum. Gemmæ & aliæ res pretiosæ custodiri solent in thecis exiguis. Tertio, nec ad scriptoris auctoritatem, magnam vel paruam respiciat: nam Spiritus sanctus nonnũquam & simplicibus altissima patefacit mysteria *Et cum simplicibus*, ait Salomon, *sermocinatio eius*. Quod confirmat quoq; saluator apud B. Lucam *Abscondisti hæc*, inquit, *à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Hæc tria consulit THOMAS de Kempis in libello de imitatione Christi. *Veritas*, inquit, *est in sanctis quærenda, non eloquentia. Omnis Scriptura sacra debet legi eo Spiritu quo facta est. Quærere debemus vtilitatem potius, quam sublimitatem sermonis. Ita libenter deuotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non offendat auctoritas scribentis, vtrum parua vel magna doctrina fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum.* Denique ne desistas à consuetudine quotidie secundũ modos iam præscriptos legendi: *lectio* enim teste Bonauentura *dat semina cogitationum*. & sicut frumentum seminatum etiamsi ad tempus non videatur, tamen paulo post prodit & germinat: sic etiãsi fructus lectionis

Prou. 3.

Luc. 10.

Lib. 1. c. 5.

nis non mox appareat; obliuiscimur enim sæpe hodie quod heri legimus, tamẽ in ipsa Meditatione ex improuiso emergit.

De Exercitio Memoriæ circa Personas.

CAPVT II.

ETIAMSI Philosophi duos actus huic potentiæ attribuant, quorum vnum vocãt communi nomine *memoriæ*, quo homo facile rerum præteritarum recordatur. alterum verò *reminiscentiæ*, quo difficulter homo, & non nisi longo prius discursu per varia loca & res facto recordatur; nos tamen de vtroq; tanquam de vna re loquemur, ostendendo quomodo seruiat meditationi in tribus supradictis reb. subiectis de qualibet exemplis Dico igitur officium huius facultatis consistere, vt primo recordetur similium, deinde dissimilium, ac tertio contrariorum. Inter similia numerare potes prophetias, & figuras veteris testamenti, quas collegit P. VINCENTIVS Brunus per omnes ferè historias Euangelicas in quatuor Meditationum libris.

QVOD ergo ad Personas attinet. vbi expenderis in meditatione alicuius Nomẽ, vide, num in mentẽ veniat aliud simile nomẽ & consideradum sit, eaq; occasione poteris

alias

alias quoq; illius Personę conditiones conferre cum hac, vti facit S. Bernardus in sermone supra *Missus est*, de nomine Ioſephi Dominæ noſtræ ſponſo, & altero Patriarchæ in Ægypto venditi. *Quis & qualis*, inquiens, *homo fuerit beatus. Ioſeph coniice & ex vocabulo, quod augmentum nō dubites interpretari.* Et poſtea ſubiungit. *Et memento magni illius quondam Patriarchæ in Ægypto venditi, & ſcito ipſum iſtum non ſolum vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam aſſecutum & gratiam.*

De vſu Memoriæ circa Verba.

CAP. III.

PONDERATO aliquo verbo in Meditatione, vide num aliquod extet ei ſimile, vel diſſimile, vt ſi mediteris in verba illa à
Luc. 23. Chriſto in cruce dicta: *Pater dimitte illu, non enim ſciunt, quid faciunt*, poteris in mentem
Act. 7. reuocare illa S Stephani in Actis Apoſtolicis: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, quæ ſunt ſimilia. Et poſtea diſcurrendo inter ſe conferre, in hunc modum. S. Stephanus bonus fuit diſcipulus, doctrinamq; magiſtri ſui probè retinuit, ac factis eandem repetiuit. Similiter poteris meminiſſe illorum diſſimi-

dissimilium vel contrariorum, quæ Dauid filio suo Salomoni contra Ioab dixit, cum esset morti proximus *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos.* Licet hæc verba suo non careant mysterio. 3. *Reg.* 2.

SECVNDO expende, num verbum, quod præ manibus habes, aliter legatur apud alios: quod facile notabis si in tuis meditationibus vtare Harmonia Euangelica Ioannis Buisonii, qui ad latus Euangelii, apponit cæterorum Euangelistarum verba, sic vt vno oculorum coniectu ea obseruare queas Exempli causa, S LVCAS scribit: *Multi reges & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis,* Et S. Matthæus. *Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt.* ponens IVSTI, loco Regum. Ex qua varietate lectionis BEDA libro 3. cap. 10. in Lucam hunc elegantem colligit commentarium. *Iusti enim,* inquiens, *ipsi sunt reges magni, qui a tentationũ suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Haud secus S. Hieronymus in Matthæum obseruauit, dum vocationem Matthæi exponit, cæteros Euangelistas illum appellasse LEVI, & non Matthæum, vt famæ *Luc.* 10. *Matt.* 13.

eius parcerent. *Cæteri Euangelistæ*, inquit, *propter verecundiam & honorem Matthæi noluerunt eum nomine vulgato appellare, sed dixerunt* LEVI. *Duplici quidem vocabulo fuit. Matthæus autem ipse secundum illud, quod dicitur à Salomone. Iustus est accusator sui à principio, Matthæum & publicanum se nominat.*

TERTIO poteris expendere & alias Scripturæ sacræ versiones exemplo B. Hieronymi, qui in caput vndecimum Isaiæ explicans verba illa, *Et flos de radice eius ascendet.* quibus propheta indicauit Christum ex stirpe Dauid nasciturum, obseruauit melius versione Symmachi illa exponi, qui vertit. *Et flos de* TRVNCO *eius ascendet.*

QVARTO, si recorderis aliorum verborum, quæ connexionem habeant cum verbis Meditationis, poteris considerandæ relinquere intellectui. Sic AVGVSTINVS facit libro 1 de sermone Domini in monte
Matt. 5. ad verba, *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur*, quæ confert cum aliis verbis B. Ioannis *Illo ergo*, inquiens, *cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit. Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, quod est iustitia, & illa aqua, de*

qua

qua quicquis biberit, vt idem dicit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

QVINTO poteris quoque intellectui proponere expendenda & verba quorum mentio fit in alio loco, si ad tuum argumentum pertineant. Qua ratione S BERNARDVS sermone 2 de Assumpt. B Virg. immaculatæ virginis vitam acutè ex alia historia Euangelica defendit. *Sed forte*, inquit, *curiosus quispiam requirat, cur in præsenti Euangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane, ne id quidem in proposita dissimilitudine dissidere: Virginalem enim domum intelligi volens Spiritus sanctus non incongruè pœnitentiam, qua malum vtique comitatur. Absit enim vt proprii quidquam inquinamenti domus hæc habuisse aliquando dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.*

SEXTO, potetis dictas collationes quoque facere inter numeros, vt sæpe faciunt sancti Patres, & nominatim B AVGVSTINVS, qui semel id facit in tres responsiones S. Petri, ad tres interrogationes Christi, *Petre amas me?* ac confert cum tribus eius negationibus dicens: *Redditur trina negationi trina confessio.*

De Vsu memoriæ circa facta.

CAP. IV.

IN hoc capite ero breuis, quia ex antegressis documentis de personis & Verbis datis, facile potest intelligi modus, quo procedendum sit circa facta. Duo nihilominus subiiciam exempla. Primum, si mediteris quam pio affectu Saluator in horto complexus sit Iudam proditorem, vti probabile est, poteris in mentem reuocare, quanto affectu bonus ille Pater filium prodigum antea fuerit complexus. Secundo, si mediteris de dura & diuturna morte Christi Domini in cruce, poteris in memoriam reducere, quam breuis & lenis mors fuerit S. Ioannis Baptistæ, cum capite mulctaretur. Idem facere poteris discurrendo per omnes circumstantias antè nominatas.

TRA-

TRACTATVS VI.

DE EXERCITIO VOLVNTATIS IN MEDITATIONE.

De Actibus Voluntatis.

CAP. I.

QVONIAM apud scriptores quæstio est, an voluntas nostra præter sex actus suos proprios, vendicet sibi quoque vndecim passiones vel affectiones quatenus versantur circa bonum generatim sumptum, quæ attribui solent Appetitui sensitiuo, vt circa suum sensibile obiectum versatur, omnes hic commemorabo, vt rectius percipias, quod sit exercitium voluntatis in Meditatione. AFFECTIONES igitur illæ vndecim duplices sunt Aliæ spectant bonum, vt amor, desiderium, gaudium, spes desperatio. Aliæ malum, vt odium, fuga, Tristitia, timor, Audacia, ira. Nam omnis potentia appetitiua naturaliter fugit malum,

lum quod contrarium est bono naturaliter ab eadem adamato. Ordo harum affectionum fere hic est simulatq; intellectus obtulit rem aliquam velut bonam & conuenientem, voluntas illico ei consentit, & producit actum amoris & si non sit in eius potestate, succedit voluntas eam assequēdi, qui actus dicitur desiderium. Quod si forte eandem assequatur, excitatur gaudium. Ac hi quidem actus tres voluntatis, vt vides, inter se differunt. nam desiderium est rei futuræ, & absentis; gaudiū verò semper est boni præsentis iam possessi. at amor est vtriusq;: amamus enim & ea quæ nondum habemus, quia si non amarentur, nec desiderarentur. ac rursum amamus iam possessa, quia non oblectaremur in illis, nisi amaremus. Demum, si bonum appareat arduum, quod tamen obtineri possit, Desiderio accedit spes: at si non possit, Desperatio.

Actus verò qui circa malum versantur, hunc ordinem tenent. Simulatq; malū voluntati oblatū est, nascitur in ea Odiū, quæ est auersio quædam à malo, si malum facile euitari possit, sequitur Fuga, si non possit, Timor. Si verò videatur virib. posse expugnari, exurgit Audacia. at si omnino impendeat, nascitur Ira, & cupido vindicādi. Quod si ni-

si nihil efficere possit, sed succumbat malo irruenti misera voluntas affligitur & oritur in ea Tristitia, quę affectionũ est postrema.

Sex autem Actus, quos diximus proprios esse voluntati, sunt hi sequentes Primus in scholis appellatur VOLVNTAS, sed vt distinguatur à potentia, quę idem nomen habet, vocabimus VOLITIONEM. Et hic est primus actus quẽ voluntas post bonum aliquod ab intellectu propositum exerit, eo quod cognoscat sibi illud esse cõueniens. Secundus dicitur INTENTIO, & est affectꝰ ille, quo homo prętendit bonũ sibi propositũ, sed vna cum mediis. Exempli gratia sint ægri duo, quorũ alter prætendit sanitatẽ, sed temperandã per medicinã, alter eandẽ, sed recuperandam per abstinentiã. Tertius dicitur ELECTIO, quo voluntas ex multis mediis pro libito seligit vnum, ꝙ maximè cõducat suo fini, vt si alter ægrorum, seligat abstinẽtiam pro recuperanda sanitate, eo quod ex medicinis magnã solitus sit pati nauseam. Quartus est CONSENSVS, quo voluntas se determinat & applicat ad medium iam electum. Quintus est VSVS, quem nos possumus vocare APPLICATIONEM, quia est actus voluntatis, quo illa omnes potentias applicat ad perficiẽdas suas operationes, vt

Intellectu ad considerandum, oculos ad videndum, pedes ad ambulandum, manus ad percutiendum. Sextus est FRVITIO, qui est idem cum Gaudio supra nominato.

De modo excitandi actus Voluntatis, qui versantur circa bonum.

CAP. II.

DIXIMVS primum actum voluntatis circa bonum esse *Amorem*, quo consentit bono, illudque approbat, illi applaudit tanquam rei sibi conuenienti, nec longius progreditur. Hinc fit, verè dici, etiam improbos amare virtutem, quia iudicant rem bonam, eamq; probant. sed non sunt solliciti de ea consequenda: non absimiles homini saturo, qui licet amet & probet lautos cibos, tamen eos sumere detrectat.

Hic amor in virtutem, & res pias (nam in Meditatione hæc quærenda sunt) nascitur ex sedula, attenta & frequenti earum consideratione. sicut natus est in corde prophetæ Dauidis amor ardentissimus erga legem diuinam. *Quomodo*, inquit, *dilexi legem tuam Domine?* sibiq; respondet. *Tota die meditatio mea est.* Non igitur sufficit leuis aliqua cogitatio, & semel intra centum annos,

Psal. 97.

nos idq; perfunctoriè, vt vulgo dicitur, facta, ad hunc amorem excitandum, sed opus est consideratione assidua & profunda secundum S. Thomam Aquinatem.

II. DESIDERIVM secundus est voluntatis Actus, quo promouetur ad procurandum rem amatam Differt autem ab amore, quia amor tantum est quædam complacentia in bonum: desiderium verò adiungit alium actum positiuum vt bonum consequatur. Quanquam verum est, quoties amor vehemens est, mox sequi desiderium velut eius primogenitum. Dauid ingenti ardebat amore æternæ gloriæ cum diceret. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Psal. 83. Inardesce ergo & tu amore in virtutem, nec dubita mox te flagraturum igne desiderii. Vbi adverte, si contingat te nullo accendi virtutis desiderio, vt minimum procures habere desiderium desiderandi illam, sicut habuit idem Dauid in psalmo 118. CONCVPIVIT *anima mea* DESIDERARE *iustificationes tuas.*

III. Actus voluntatis est GAVDIVM, quo gaudet, fruitur, & acquiescit in re amata iam obtenta. vbi nota, etiamsi voluntas in hoc actu conquiescat in bono adepto, non tamen ideo desinere esse actum, gaudium

enim illud quietis nomen obtinet, quia motus desiderii cessavit, post quem motum sequitur delectatio in re iam possessa. Res liquebit exemplo leporarii canis supra allato. Dum enim conspecto primum lepore se commouet & parat ad cursum, quia apprehendit tanquam bonum sibi conueniens, declarat Amorem: cum verò currit, ostendit Desiderium, quod diximus consistere in quodā motu. ac denique dum mordicus apprehendit, Gaudium, in quo cessat desiderium, & incipit actus delectationis.

IV. Actus est SPES. quia ad consequēdum bonum amatum sæpe satis non est illud amasse & desiderasse, sed etiam opus est alio fidēti & ardenti affectu ad bonum obtinendum, maximè quando in eo obtinendo aliqua occurrit difficultas, licet nō impossibilitas. & hic affectus est SPEI, quo fretus S. Paulus dixit *Omnia possū in eo, qui me confortat.* Phil. 4.

V. est DESPERATIO, quæ subito excitatur, simulatque dictum bonum obtentu apparet impossibile, sicut contigit IVDÆ, qui à Satana deceptus, dum perpendit peccatum suum esse grauissimum, & ideo nullum locum veniæ relictum, incidit in desperationem Licet autem & hæc desperatio grande fuerit peccatum, tamen non semper peccatum est,

tum est, vt cum fures desperant se erepturos thesaurum, cum animaduertunt portas ita obfirmatas, vt impossibilis sit aditus. Et cū quondam Tyranni desperarunt se martyres adducturos ad sacrificandū idolis, eo quod viderent eos in atrocissimis tormētis perferendis non solum esse infractos, sed etiam lætissimos: quemadmodum accidit S. Laurentio illudenti tortoribus, & S. Tiburtio, qui cum nudis plantis premeret ardentes prunas aiebat se calcare flores & rosas. Et S. Agatha cum duceretur ad supplicia, fatebatur se tam æquo animo ire, ac si iret ad nuptias.

De modo excitandi Actus voluntatis qui versantur circa malum.

CAP. III.

ET si Voluntas, vt dictum est naturaliter refugiat malum bono naturali repugnans, non tamen ita refugit malum morale, vt experientia doctus Apostolus affirmat his verbis. *Non quod Volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum.* Malum hoc loco vocatur, quod apprehēditur tanquam malum, licet reuera non sit tale. Rom. 7.

I. ACTVS est ODIVM, quod non est aliud quam

quam displicentia quædam, vel aversio à malo. Pro malis autem ea omnia censere debemus, quæ nos retrahunt ab amore Dei super omnia; atque ideo odio prosequenda secundum cœlestia monita Christi Salua-
Luc. 14. toris. In hunc sensum B. HIERONYMVS exponit illa verba Christi apud Lucam. *Qui non odit patrem suum, & matrem, & fratres & sorores, & filios: adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et quia vera est MAXIMA, *nemo laditur nisi à seipso*, debemus etiam odisse nos ipsos. Concitare autem possumus odiū in nos, considerādo primo quod Dominus ipse in allatis iam verbis ad id sit nos cohortatus, dicēs. *Adhuc autem & animam suam.* 2 respiciendo in
Ioan. 12. præmiū apud B Ioannem promissum. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aternam custodit eam.* 3 perpendēdo, quoties caro nostra aditum obstruxerit Spiritui sancto: sic vt possimus omnes dicere cum S.
Rom. 7. Paulo. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

II. ACTVS est FVGA, desiderio oppositus. Sicut enim cum amor est vehemens, mox nascitur desiderium, sic cum odium peccati est magnum, mox oritur affectus FVGÆ, si res facilis sit, nā si ardua sit, obrepit TIMOR.

III. Actus

III Actvs est timor qui vt dixi, obrepit, cum malum tam graue occurrit vt videatur expugnari non posse Iuuabit nos ad timendum castigationes diuinas, si cõsideremus, quod Dominus hunc timorem apud Matthæum nobis consuluerit. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, id est, in gehennam; qui sunt obnoxii peccato mortali: vel in Purgatorium, qui veniali. cuius pœnę quoq; sunt acerbissimę iuxta illud apud Iob. *Miseremini mei, miseremini mei, saltẽ vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Deinde iuuabit etiam ad eundẽ timorẽ, si perpendamus, quam grauiter Dominus homines castigarit propter peccata, vt totũ mundum diluuio, & quinq; vrbes incendio. Debet quoq; pietatis studiosus & religiosus timere spirituales castigationes, quib. Devs solet punire ignauos & tepidos, de quibus fusius infra.

Matt. 10.

Iob. 19.

IV. Actvs est Avdere, quo affectu vtimur, cum malum impendens est magnum & arduum, sed tamen quod superari queat. Atq; hic actus homini spirituali est necessarius: difficile enim est seipsum vincere, & cõtra naturam ad recreationes & commoditates

ditates pronam perpetuo pugnare. *Nemo enim*, vt scribit Apostolus, *carnem suam vnquam odio habuit, sed eam fouet & nutrit*, Hanc difficultatem fortasse innuit Salomon, cum in Ecclesiastico dicit: *Cogitaui in corde meo* ABSTRAHERE *carnem meam à vino.* Vox enim illa significat abstractionem violentam. Hanc audaciam in corde suo sentit Apostolus, cum scriberet ad Philipp. *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Eph. 5. Eccl. 2. Phil. 4.

V. Est IRA, & est voluntas acceptam iniuriam vindicãdi. Et quoniam quicunq; peccat, sibi iniuriam facit, & se offendit, iuxta illud B. Matthæi: *Inimici hominis domestici eius.* ideo quilibet tenetur castigare seipsũ, & iniuriam sibi factã vindicare. Nam si vera est maxima Aristotelis, *Contrariorũ eadem esse disciplinã*, Et illa B. Gregorii sententia: *Signum dilectionis exhibitio est operis*, debet quiuis reipsa quoq; per affectum iræ demõstrare odium amori contrariũ. Hinc enim tot sancti commoti sunt ad tãtam seueritatem ieiuniorũ, ciliciorum flagellorum toto vitæ tempore continuandam. Hinc S. Maria Magdalena etiamsi ex ipsius Dei ore audisset sibi omnes præteritæ vitæ lapsus condonatos, tamẽ in vindictam eorum, tam asperam, tamq; diuturnã pœnitentiã vsq; ad extremum vitæ spiritũ egit. Prodest quoq;

Mat. 10. *G hom. 30. in Euang.*

ad con-

ad concitãdam hanc piam indignationem in nos si consideremus, peccatis nostris offensam esse diuinã maiestatẽ, tam bonam, largam, potentem & liberalem, quæ tot beneficijs nos totos sibi deuinxit

VI. & extremus Actus est TRISTITIA, quæ est cruciatus quidam & dolor in animo obortus, tum ob scelera commissa, tum quod ea non debita seueritate, quam feruẽs prudentia & discretio postulet, in hoc mundo castigemus. Ad obtinendũ autem primum, id est dolorem de peccatis commissis, non parum iuuabit, si fœditatẽ eorũ consideres, & in quam miserabilem statum, ex quo tuis viribus in æternũ emergere nõ queas, te vltro deturbaris. Deinde si perpẽdas sola peccata tua causam dedisse morti filii Dei, cum Pater æternus per Isaiam dicat. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Quoniam verò sub hoc doloris affectu, continetur quoq; affectus cõpassionis, dicam breuiter aliquid de ipsa. Primũ ergo dico, hunc maximè optari abijs, qui meditãtur de passione sactatissima Christi crucifixi nec mirum, quia illum exigit ipse à nobis apud Ieremiam clamans: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Et è contrario lamentatur in Psalmis de defectu huius affectus. *Sustinui, qui simul* Isa. 53. Thren. 1. Psal. 68.

mecum contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inuent.

HANC compassionem excitare solent consideratæ sedulo circumstantiæ hæ *Quis Quid, Quare, Pro quibus, & quantum &c.* Christus passus sit. Et si hæ non sufficerent, sequi potes consilium B. Bonauenturæ ita scribentis *Facies tibi vnum bonum flagellum non multum afflictiuum, & non nimis leue, & in abscondito egregiè te flagella, non parcès corpori, donec bene fuerit perfusum dolore. Et tunc, cum illo senties dolores, ad Christum passum dirige cogitatum tuum. Et non dubites, quod istud remedium multum valet, quia per passionem addiscit homo compati patienti.* Stim c. 2.

ILLVD deniq; monendum restat, cum voluntas sit potentia spiritualis, & non corporalis, dictos affectus non sentiri sensibiliter, sicut sentiuntur in appetitu sensitiuo, qui est corporalis & materialis Quanquam negandum non est, ob arctissimum vinculum, quo colligatæ sunt duæ illæ potentiæ nonnunquam euenire, vt cum vehementes sunt affectus; altera alteram vicissim commoueat Hinc est vt ingens lætitia animi prouocet risum, & contra mœstitia gemitū & planctum. Talis affectus excitatus est in animo B. Petri, quando recordatus est sui lapsus,

lapsus. nam, vt est apud B. Matthæum, *exiuit foras, & fleuit amarè.* Sed & illud scire te volo tristitiam nobis oboriri non solũ ex malo quod incurrimus, sed etiam ex boni, inuenti iactura, & impedimentis obiectis, quo minus bono sperato frui possimus. Matt. 26

Qui horum affectuum conueniant cuique statui vitæ spiritualis.

CAP. IV.

NON dubium est affectum DOLORIS proprium esse Incipientium, quia versamur in via Purgatiua, cuius exercitium præfiguratum est in Iob quando vulneratus sedebat in fimo. *Egressus*, inquit scriptura, *Satha à facie Domini, percussit Iob vulcere pessimo à planta pedis vsq; ad verticem eius, qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio*, vbi VOX SEDENS significat longiorem moram, vt intelligat Incipiẽs se debere in sterquilinio mortificationis & purgationis suorũ peccatorum non breui tempore, sed longiori immorari, donec pœnitentiæ dolore omnem superioris vitæ squalorem abraserit, perturbationesque animi pristinas, & malas Iob. 2.

inclinationes coercuerit, prauosq; habitus extirparit.

PRÆTEREA indubitatum est GAVDII affectum esse proprium PERFECTORVM, qui merito post superatam horridam pœnitentiæ hyemem, primi veris amœnitate & florida æstate perfruuntur. PROFICIENTES, quoniam medium obtinent, merito nunc dolore se deprimunt, nunc gaudio extolluntur.

Si percunctêre quantum tempus tribuendum sit triplici illi vitæ, purgatiuæ, illuminatiuæ, & perfectiuæ: Respondeo, Purgatiuam durare, donec prauorum habituum, passionumq; inordinatarum vulnera, pus omne & sordes eiiciant. Cauere autem debet incipiens ne admodum dedat se aucupandis contemplationis solatiis, & delitiis, nisi prius bene sit purgatus & nitidus: quia exitus erit infaustus, vt postea ostendemus. Deinde non expers esset temeritatis. *Humilis* enim, inquit CAIETANVS in S. Thomam, 22.q.161 art.2. *non attentat inchoans ea, quæ perfectorum sunt, & multi incipientes in via Dei statim ad contemplationis quietem studeant volare. In quo non solum imprudenter,*

sed

sed superbè agunt, non mensurantes seipsos, & vehementer errant, ac periculosè. Debent enim prius domare proprias passiones, ac operationes exteriores, & post frequentes victorias in campo subactis hostibus, in montem quietæ contemplationis ascendere.

NON tamen existimandum est, superbè vel temerè eum agere, qui conaretur eodem tendere, ordine debito seruato, vt si post viam purgatiuam confectam, progrediatur ad illuminatiuam, eaque decurſa adspiret ad perfectiuam *Vitiosum esset*, inquit S. Thomas, *& præsumptuosum, quod aliquis in actu imperfectæ virtutis existens attentaret statim assequi ea, quæ sunt perfectæ virtutis.* 2.2.q.130 art.5.ad 1. *Sed si quis ad hoc tendat, vt proficiat in virtutem perfectam, hoc non est præsumptuosum nec vitiosum. Vt faciebat Apostolus, dicens. Quæ retro sunt obliuiscens, ad interiora me extendo, scilicet per continuum profectum.* nempe de gradu in gradum saliendo, donec pertingat ad fastigium. Atque vt notat ibi bene Caietanus, potest cum laude aliquis imperfecta licet virtute præditus aspirare ad exercendum actum intensum & magnum perfectæ virtutis, si propriæ industriæ adsit virtus diuina. Addit S Thomas Phil. 3.

Deum nonnullis sanctis propter eximię suę conuersionis initium perfectam impertiuisse caritatem, *quod est vinculum perfectionis*. Quales etiam subito potuerunt dulci Contemplationis gaudio perfrui, vt perfruiti sunt. S. Antonius, S. Benedictus, S. Franciscus aliique multi sancti. Quisquis ergo initio conuersionis suæ simili caritatis dono dignus fuerit factus, poterit etiam se totum dare cœlestibus Contemplationis delitiis,



TRA-

TRACTATVS VII.

DE MODO MEDITANDI SECVNDVM quinque sensus corporis.

In quo consistat modus meditandi secundum sensus externos.

CAPVT I.

MODVM meditandi secundum sensus præscribam, vbi breuiter ostendero de quibus sensibus sit sermo, de corporalibusné, an spiritualibus. Non enim ignoro quosdam sanctos docere animam nostram etiam habere suos sensus, respondentes quinque sensibus corporis, eo quod Dauid dicat, *Audiam, quid loquatur in me Dominus meus.* At sermo Dei, inquit, non aure corporea auditur, sed animi, quæ dicitur fides. Secundum illud Pauli ad Roman. *Fides ex auditu* Similiter alibi idem dicit de *Psal. 84. Rom. 10.*

gustu. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Gustum autem hunc volunt esse sapientiam Sic aiunt, Prudentiam esse animæ oculum, Verum nos hic loquimur de sensibus corporis.

AD intelligendam ergo hanc meditandi rationem, sciendum est, sicut sensus exercentur circa obiectorum suorum materialium præsentiam; sic virtute phantasiæ posse nos imaginari, quod operemur circa eadē obiecta, quātumuis absentia quo casu sensatio illa dicitur imaginaria. Quoniam itaque diuinæ scripturæ res, quæ sunt ordinaria nostræ meditationis materia, sunt præteritæ, non possumus circa eas sensus externos, quæ postulant rerum præsentiam, sed tantum internos exercere, hoc est, imaginationem Est autem hic meditandi modus non absimilis primo meditationis gradui, cuius meminit Richardus Victorinus libro 1. de Contemplatione cap. 6 *Contemplatio nostra*, inquit, *tunc procul dubio in imaginatione versatur, quādo istarum rerū visibilium forma & imago in considerationem adducitur. nihil argumentando quarimus, vel ratiocinando inuestigamus, sed libera mens nostra huc illucq; discurrit, quo eam in hoc spectaculorum genere admiratio rapit.* Dixi esse simi-

lem

lem, non eandem primo, quia ambæ consistunt in vsu sensuum imaginario Secundo, quia fiunt, vel sine intellectus discursu, vel admodum breui. Differunt autem, quia noster modus meditandi semper conatur ex suis discursibus aliquem fructum spiritualem colligere.

VENIO nunc ad explicandum eius vtilitates Prima est, quod ab omni genere hominum etiam imperitorum vsurpari possit. Quoniam sicut quisque nouit vti sensibus circa obiecta, quando sunt præsentia, ita etiam potest vti imaginatione circa eadem, quãdo sunt absentia. Ac naturaliter omnes facile discursum tantum circa ea exercere possunt, quantus requiritur. Atque hunc meditandi modũ forte intellexit S. Dominicus in recitatione Rosarii, quod omnibus communiter cum meditatione proposuit peruoluendum.

ALTERA vtilitas est, quod tollit, vel saltem imminuit fastidium, quod nonnulli sentiunt in eorundem verborum repetitione. Qua de causa à vitæ spiritualis Magistris iudicata est res valde salutaris, immo necessaria, vt sic Voluntati tempus detur excerpendi è rebus meditatis, aliquem fructum: maxime cum intellectus noster, vt

naturaliter est vagabundus, & nouitatum cupidus, statim prima fronte totum meditationis tempus dirigat ad discursum. Vnde difficulter locus relinquitur Voluntati commouendi affectus, & efficaciter emendationem vitæ proponendi. Quocirca dicunt necessarium esse, vt eadem meditatio sæpius repetatur. Repetitio autem vt fiat sine fastidio, plurimum iuuare Applicationem sensuum, eo quod semper apportet aliquid noui, ac ideo posse eam fieri etiam in prima meditatione, vel etiam ante illam, vt liquebit ex Tractatu sequenti.

Tertia, & postrema vtilitas sit, quod magnopere iuuet ad commouendos affectus materiæ præsenti respondentes. Etiamsi commotio illa efficacius sequatur ex corporalium obiectorum præsentia, vti accidit mulieribus sanctis Dominum in montem Caluariæ comitantibus, quæ quia oculis propriis cernebant quam indignè tractare-
Luc. 23. tur, *plangebant & lamentabantur eum*, vt loquitur B. LVCAS. tamen eadem quoque satis efficaciter sequitur ex præsentia imaginaria, quæ in hoc genere rerum tantum nobis est concessa. Vnde profectum est illud vulgare dictum. *Imaginatio facit casum.* Imm. in quibusdam ita viget, siue natura, siue

siue vitio, & extraordinaria passione ista imaginandi vis, vt non secus putent se res intueri, quam ii qui oculis corporeis eas cernunt. Horum in numero fere sunt natura melancholici, & fœminæ, vnde & magis obnoxii sunt dœmonum illusionibus, & visionibus falsis.

Quibus de causis in hoc modo meditandi nonnullis obrepant absurdæ imaginationes.

CAP. II.

NONNVLLI, dum vsurpant applicationem sensuum, solēt in phantasia confingere monstrosas quasdam rerum species, eamque ob rem, si tyrones sint incauti tantoperè se affligunt & cruciant, vt sæpe etiam caput lędant. Proderit ergo cognoscere, vnde monstra illa proueniant, & quæ antidota sint adhibenda.

Dico ergo primo ea prouenire ex imbecillitate anterioris partis cerebri, in qua sedem habet imaginandi facultas. Imbecillitatem autem originem habere vel ex naturali complexione: vel ex morbo graui antegresso, vel nimia aliqua capitis fatigatione.

Deinde prouenire potest ex tentatione singulari dæmonis, turbare conantis meditationem non solum præsentem, verum etiam futuras, vt prætextu doloris capitis tandem omnia orationis arma abiiciat, & in meram dæmonis seruitutem redigatur. Coll. 7. c. 24. *Quos cum spirituali*, inquit Cassianus, *meditatione nudauerint, velut exarmatos, & omni munitione diuina nudatos, facilè vincendos audacter inuadunt.* TERTIO potest proficisci ex immoderato potu & 1. p. q. 84. art. 2. cibo *Quando enim fuerit*, inquit S. Thomas in summa Theologica, *multus motus vaporum, ligatur non solum sensus, sed imaginatio, ita vt nulla appareant phantasmata: sicut præcipuè accidit, cum aliquis incipit dormire post multum cibum & potum. Si verò motus vaporum aliquanto remissior fuerit, apparent phantasmata, sed distorta & inordinata, sicut accidit in febricitantibus. Si verò adhuc magis sedatur, apparent phantasmata ordinata, sicut maximè contingere solent in fine dormitionis, & in hominibus sobrijs, & in habentibus fortem imaginationem.*

SEQVITVR vt remedia aliqua faciliora subnectam pro singulis casibus dictis.

ctis. Pro primo, si eiusmodi imaginationes absurdæ proueniant ex naturali vel accidentali indispositione capitis, potest auxilium postulari à Medicis. Et quoniam nonnunquam debilitas illa euenit ex Spirituum animalium paucitate, cauenda esset nimia à cibis abstinentia, & plenior refectio sumenda. Vel certe modus ille orandi deserendus est, & meditandum per modum discursus. PRO altero casu remedium idoneum erit, commendare se DEO, & angelo custodi, aliisque spiritualibus remediis confessionis, communionis & castigationum corporis technas diaboli illudere, neque magnopere angi, si non semper ex animi sententia, succedat, sed suam infirmitatē coram Deo humiliter agnoscere, & sic fructus orationis non deperibit. Pro tertio casu, antidotum adsignauit S. Thomas verbis illis. *Et in hominibus sobrijs*: indicans si in hominibus sobriis per quietem phantasmata appareant ordinata & perfecta, multo magis simili forma apparitura in vigilia, cum ratio prorsus viget. Facio finem adiecto hoc monito: quacunque ex causa huiusmodi monstrosæ imaginationes proueniant, ne vim inferas capiti, tibique damnum, & dæmoni voluptatem con-

concilies, sed si exempli causa, non potes imaginari Christum flagris concisum, ratiocinari incipias de magnitudine doloris, quem perpessus sit.

De Applicatione sensuum ad obiecta propria.

CAP. III.

DE vnoquoque sensu dicam tria. Primo ostendam eius obiectū. Secundo quomodo applicandus sensus Tertio quis fructus inde colligatur. Incipiā ab OCVLO, quia censetur nobilior reliquis. Videt is primo omnes colores, tam extremos, vt album & nigrum, quam medios ex iis conflatos, vt rubeum, viridem, & alios. Secundo videt quodcunque lumen, & si vulgi opinionem sequamur, etiam tenebras. Quod ad secundum spectat. Si, verbi causa, meditêris de natiuitate Christi, poteris imaginari videre te pueruli nati vultum pallidum & liuidū. Videre item radios è capite quasi emicantes, & totum stabulum illustrantes. Quod ad tertium attinet, & pallore liuoreque infantuli Iesu poteris colligere eum fuisse valde frigidum, cum huiusmodi color nasci soleat

soleat ex congelatione sanguinis, factaque reflexione in te tuasque actiones, vide an tu aliquid simile infirma ætate pro salute tua passus sis, sicut ille passus est in tenera pro nostra. Si non sis, ex animo dole, & emendationem propone, ac pro tanto beneficio gratias age. Ex splendore quoque intra stabulum, & tenebris extra illud conspectis, hoc documentum salutare capere potes, quod quo adiuuante diuina gratia, vicinior eris Christo, hoc diuini luminis magis particeps eris, quo remotior, hoc peccatorum tentationumque tenebris magis obnoxius.

Sequuntur AVRES, quæ strepitus, sonos, & voces percipiunt, siue sint significatiuæ, vt vox hominis: siue non, vt bestiarum, quarum voces tantum sunt signa affectuum quorundam, vt doloris, &c. vti etiam sunt gemitus, & suspiria hominum. In voce vel sono, primo Auditus obseruat, sitné acuta, vt puerorum & fœminarum, an grauis, vt est, quæ dicitur Bassi in Musico concentu. Deinde si sit magna & clara, vt fuit Christi expirantis, de qua S. LVCAS. *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait. Vere hic homo filius Dei erat.* Adhæc, si exigua sit & lenta. Quinto. si

media,

media, vel mediocris. QVOD ad secundum attinet. Potes imaginari te auribus percipere magnum sancti infantuli eiulatum ex acerbitate frigoris profectum. Et quod tertium, fructum tibi inde decerpes, vt pudefias, quod amore Dei hactenus tantum passus non sis, sed nec gemitum vllum ediderís. Ex altera parte poteris aures intendere suauissimis vocibus sanctissimę matris, quibus aliarum matrum instar, partim cantillando, partim alloquendo eum solabatur. Sequitur Gustus.

GVSTVS pro suo obiecto vendicat omnes sapores, tam simplices, vti est dulcis & amarus, quam compositos, vt est ponticus, acetosus & alii. QVOD ad secundum spectat, imaginare te aspicere B Virginem præbentem lac suo filiolo, rogabisque humiliter vt duas saltem guttulas tibi in manum tuam exprimat, quarum incredibili dulcedine delibata, cum Architriclino, qui in nuptiis in Cana Galilææ, vt habet S. Ioannes, ex-
Ioan. 2. clamarat, *Seruasti bonum vinum vsq; adhuc*, multo æquius clamabis tu conuersus ad il-
Cant. 1. lam. *melióra sunt vbera tua vino* vnde & tertium pro te colligere potes, nempe vt hinc discas putitatem, & castitatem bona opera personæ reddere suauiora Deo.

ODO-

ODORATVS pro obiecto habet Odores, tam suaues, quam graues, quorum alii simplices, alii compositi sunt, vt sapores. Advsurpandum autem hunc sensum imaginabere astare te præsepio Domini, ingratumque Bouis & asini halitum percipere, & intra te dices O paruule IESV, quanta est tua hic miseria, commiseratione omni digna; vt enim frigoris acrimoniam calore halitus animalium temperares, tetrum odorem non refugisti Vnde nec modicam causam tui asperè coarguendi habes, quod non satis sit tibi arcere frigus pellitis chirothecis, nisi etiam illæ suaue aliquid redoleant.

Denique TACTVS pro obiecto suo primum habet quatuor simplices qualitates, hoc est, calorem, frigus, siccitatem & humiditatem. Quoad secundū, imaginare, quasi cum bona venia benedictę matris, diuinum illud caput manibus tuis reuerenter attingas, & frigore quasi concretum inueniens, firmius quam ante credas nimiū esse frigus. imaginare item vultum totum lacrymulis perfusum. Vnde merito, ꝙ tertiū est, nouus tibi orietur pudor, ꝙ nunquā vel vnā lacrymulā ob toleratū frigus, ꝑ Christo profuderis. Præterea sensu hoc percipiūtur pondera gra-

grauiané sint, an leuia. Imaginari ergo potes quantum fuerit pondus crucis, quam Christus deportauit.

Illud quoque ad extremum monendus es, vt quando in Meditationis materia non est obiectum materiale, sensus alicuius proprium, sicut crebrius contingit in Odoratu & Gustu, recurrendum esse ad obiecta metaphorica, hoc est ad varias virtutes, quę dicuntur similes obiectis earum materialibus. Vt pro Odoratu potes accipere virtu-
Psal. 140 tem Orationis, cum de ea dicat Dauid. *Ascendat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine*, assimilans scilicet eam incenso odorifero. Similiter pro obiecto Gustus, potes capere Verbum Dei, quia id plenum esse suauitate testatur idem in Psalm. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel ori meo?* Ex priore vero potes illum haurire fructum, vt optes instituere orationem perfectam, quo Domino perfectissimum odorem reddat. Ex posteriore autem pudefieri, si forte moleste, & cum fastidio verbi diuini prædicationi aures præbuisti.

De

De Applicatione sensuum ad sensibilia communia.

CAP. III.

ARISTOTELES li. 3. de Anima, quinq; sensibilia communia numerat, Figuram, quantitatem, numerum, motum & quietē. Quæ dicuntur communia, non quod omnia à singulis sensibus percipiantur, sed quod singula minimum à duobus sensibus licet plura ab aliis. nam alia à tribus, alia à quatuor, vnum etiam ab omnibus quinque sentitur. Primum autem dicam de vnoquoque, quid sit. Secundo à quibus sensibus agnoscatur. Tertio adiungam exemplum, quod in Meditatione imiteris Quarto, qui fructus inde excerpi possit.

Initium autem faciendo à FIGVRA, quæ non est aliud, quam modus quantitatis in se spectatæ, vt figura trianguli, quadrati, vel quæ ex lineamentis vel terminis cuiusque rei resultat, varias eius diuisiones subiiciemus.

I. Est, Figuræ aliæ sunt superficiales, aliæ corporeæ. Superficiales sunt quæ tantum constant latitudine & longitudine, vt superficies huius chartæ. Corporeæ sunt,

quæ etiam constant densitate, vt est codex, cum est clausus.

II. Est. Figura superficialis in tot species diuiditur, quot habere potest latera. Prima est Triãgulus, quia habet tria latera. Secunda est, Quadratum, quia habet quatuor, & sic progrediendo in infinitum. Inter has numeratur & Circulus, quia vna linea in gyrum acta constat.

III. Est. Superficiales, aut sunt planæ, vt in hac charta, aut non sunt, eæque duplices sunt. Vel concauæ, vt est superficies interior calicis, vel ollæ. Vel conuexæ, vt est exterior superficies eorundem.

IV. Est Figurarum corporearum, quæ etiam, vti superficiales, variantur secundum multitudinem laterum. Nam circulo respondet globus, vel pila. Quadrato cubus, vt est tessera. Triangulo pyramis.

VENIO ad secundum, nempe ostendam, à quot sensibus percipiatur FIGVRA. Dico autem à duobus percipi, nempe ab oculo, vt patet, vt Tactu, hoc enim discernimus monetam esse rotundam, & librum esse quadratũ. Spero te daturum mihi veniam, quod tot Figuræ diuisiones attulerim, quando cognosces sensuum spiritualium copiam & varietatẽ, quos RICHAR-

DVS Victorinꝰ eruit ex quadrata figura arcæ testamenti. QVOAD tertiũ Imagineris videre te coronam ſpineã boni IESV, & aduertes eſſe rotundam. Cogites etiam te eam manibus vndique attingere, & colliges Chriſtum voluiſſe eam eſſe, tali figura, vt vndique caput configeret, quod fieri non potuiſſet, ſi triangularis, quadratę, vel alterius figurę fuiſſet. Vnde poteris & tu accendi deſiderio toto capite cũ Chriſto dolendi, ſicut euenit S. CATHARINÆ Senenſi, & aliis ſanctis. *In lib. de Contemplat.*

MAGNITVDO eſt ea quantitas, vel corpulentia, quam habent omnes res materiales, quæ vel magna eſt, vel parua, longa vel breuis, craſſa vel tenuis, larga, vel ſtricta, maior minor, vel æqualis. Nam à quantitate ſumitur rerũ æqualitas vel inęqualitas, maius eſſe vel minus. QVOD ad ſecundum, magnitudo hæc percipitur viſu & tactu: videmus enim dalerum maiorem eſſe obulo, pennã craſſiorem acu, & tenuiorem digito, breuiorem lancea, ſed longiorem acicula. Quod ad tertium, vbi videris, attigerisque vulnus lateris Chriſti, quoniam lancea erat ea aſſa & larga, deprehendes tam latum fuiſſe, vt S. Thomas totam manum ſuam in illud inſerere potuerit. Nam apud

B. Ioannem ita loquitur Christus. *affer manum tuam, & mitte in latus meum*

NVMERVS primario, vel est vnum vel plus, vt duo, tria, quatuor. Sic Euangelistæ scribunt Apostolos fuisse duodecim. Secundario autem dicitur æqualis, vel inæqualis. Vnde Dominus noster alloquens Apostolos, qui erant duodecim, dixit eos iu-
Matt. 19 dicaturos duodecim tribus Israhel. Inæqualis deinde est maior vel minor. Tertio Numerus est par, vel impar. Quarto Numeri habent inter se varia genera proportionum, inter quas vna dicitur Arithmetica altera Musica, tertia Geometrica.

QVOD ad secundum attinet, scias numerum ab omnibus quinque sensibus percipi, si sit in materiis diuersis. Quod visu, & tactu, liquet. nec dubium est de auditu, quoniam in Musica clarissimè notat numerum vocum. Gustus similiter discernit varios sapores in vno eodemque ferculo, & Olfactus odores. Quoad tertium, imaginari potes, exempli causa, te os immittere in vas myrrhatum fel le mixtum Christo oblatū, gustuque percipies vini, fellis, & myrrhæ saporem, ac naribus odorem. Denique, quod quartum est, pudefacies te ipse, quod nonnunquam in bibendo præter gustum, sectaris suauitates odorum.

MOTVS

Motvs Localis (nam de hoc loquimur) fieri potest vel sursum, vel deorsum. Secundo, ante vel retro. Tertio in siniſtram, vel dextram, vel latus vtrique contrarium. Quarto potest esse vel rectus, vel curuus. Quinto curuus, vel est circularis perfectus, vel tortuosus.

De quocunque autem dictorum Motuum, potes primo considerare, sitné velox an tardus? Secundo, continuatus, an interruptus? Tertio, rectus vel reflexus? Quarto, vniformis, id est, vnius tenoris, an difformis, vt sit nunc velox, nunc lentus; nunc cõtinuetur, nunc interrumpatur? Quoad secundum, scias motum (hic per motum intelligo rem motam) non solum visu, sed etiam tactu percipi. Sic Medicus manu discernit varios motus in pulsu. Percipit quoque auditus, nam cursum, inceſſumque equorum notat. Item gustus, notamus enim saporem nonnunquam ab initio linguę deduci in fauces. Quoad tertiũ, potes imaginari te intueri distensionem brachiorum Christi, dum à carnificibus attrahuntur vi vsque ad crucis foramina, cogitare te manu attingere eorum iuncturas, & motũ ipsum notare. Quoad quartum, inde conclude, te in posterum passurum, vt traharis ad

voluntatem tuorum ſuperiorum.

DENIQVE de QVIETE, id eſt, de re quieta & firma conſiderari poteſt, num tota quieſcat, an pars tantum eius. quia firma licet corpore poteſt pars moueri, ſic caput Chriſti in cruce eſt motum, licet immotum eſſet corpus Secundo, an continenter, vel interruptè quieſcat. Tertio, ſi quies ſit naturalis, voluntaria, violenta. QVOAD ſecundum, cum ſit contraria motui, & *contrariorum* ſecundum Ariſtotelem, *eadem ſit diſciplina*, dico eam quoque à 5. ſenſibus cognoſci. Quoad tertium, finge te videre Chriſtum in terram ſub cruce prolapſum, nec poſſe, tum ob pondus, tum ob debilitatem, vllum membrũ commouere. Ac quarto excita in te confuſionem, ſi aliquando arbitreris te nimio onere regularum tuarum, vel mandatorum ſuperioris tui premi.

De Applicatione ſenſuum ad ſenſibilia communia ſecundaria.

CAP. V.

SECVNDARIA ſenſibilia ea ſunt, quæ nominant Perſpectiui vt eſt diſtantia, ſitus, continuum, diſcontinuum, aſperum, politum, Tranſparens, opacum, liuidum, ſolidum,

dũ, pulchritudo, Turpitudo, similitudo, dissimilitudo Dicuntur autẽ communia, quia à pluribus sensibus percipiuntur: & secundaria, quia pendent à præcedentibus, & ad ea tanquam ad originem suam reuocantur. Itaq; eodem modo agam de his, vt de prioribus, & primum exponã, quid sint. Secũdo, à quibus sensibus cognoscãtur. Tertio, quo modo applicentur. Quarto, qua ratione fructus ex illis colligatur.

DISTANTIA quidem dicitur totum spatium, quod inter duo loca intercedit, quæ vel magna, vel parua, vel mediocris est, potestq; augeri & minui. Quod ad secundum attinet, Distantia põt cognosci primo visu, vt liquet, secundo auditu, prout vox vel sonus longe, vel prope auditur: tertio & odoratu ex odorum variatione quarto & tactu, quia possum⁹ digito ab vna parte capitis in aliã transfato cognoscere longitudinẽ frontis, & à naso ad capillos erigendo eundẽ, dignoscere latitudinem. Quoad tertiũ, imaginari potes vulnus pectoris Christi crucifixi, notataq; extremitatum distantia, coniicere ferrum fuisse crassum, & ideo costas dilatatas, lanceamq, sic intro defixam vsque ad cor, vt subito eũ enecare potuerit, si ante non obiisset. Quam longitudinem,

latitudinemque dicere potuisses tactu manuum, si imaginatus esses tecum S. Nicodemo corpus postea inunxisse. Quod ad quartum, potes excitare in te desiderium, vt aliquando moriaris martyr, post accepta magna vulnera.

SITVS superius à nobis satis est declaratus.

CONTINVVM dicitur, quod non est interruptum, & contra *Discontinuum*, quod est interruptum, & diuulsum. Itaq; continuum potest dici sinistrum latus Christi, discontinuum vero dextrum, propter vulnus, quia pars superior, ab inferiore diuulsa fuit.

ASPERVM est, quod foris in superficie habet partes inæquales, alias erectas, alias depressas, vt asser nondum dolatus, quod etiã dicitur Rude. Et contra dicitur politũ, quod omnino æquale est. Imagineris igitur te nõ modo videre, sed etiam tangere panniculos quibus erat inuolutus infantulus sanctus depositus in præsepio, & deprehendere te eos esse rudes & crassos, qualibus vti solent pauperes mulieres, deinde & attingere te fœnum multo magis asperum. Conuersus autem in teipsum, dole & erubesce, quod toties molestè tuleris lecti duritiem aliaq; corporis incommoda.

TRANS-

TRANSPARENS id dicitur, per quod aliud quippiam oppositum videri potest. Et vel est natura liquidum, vt aer, aqua, & similia, vel solidum & durum, vt vitrum, crystallus, & alia. OPACVM econtra dicitur, per quod aliud cerni nequit. TRANSPARENTIS cognitio seruire tibi potest, si sensū videndi transferas ad corpora beatorum, quando erunt resuscitata. Omnia enim erunt hac dote ornata, & ideo viscera omnia, ossa, intimæque medullæ conspicuæ in illis erunt, & quoniam speciem pulcherrimam præbebunt, egregie immensam magistri & conditoris sui sapientiam demonstrabunt, ac sigillatim venæ purpurato sanguine turgidæ apparebunt corallinorum ramorum instar quasi eburneæ cum mirabili vennstate insitorum. Ita affirmat S. GREGORIVS lib. 18. moral ca. 3. *Patebit corporalibus oculis*, inquiens, *ipsa etiam corporis harmonia: sicque vnusquisq; tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non pōt conspicabilis sibi.* Similiter B. Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei, ca. vl. dicit: *Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis profutura in laudem Dei. Quia omnes illi, qui nunc latent harmonia corporalis numeri tunc nō latebunt intrinsecus & extrinsecus.* Deniq; S. Lauren. Iustin. *Erit*, inquit,

Lib. de disc. mon. conuers. Cap. 23.

inquit, *tota eius substantia corporeis oculis visibilis, adeo vt viscerum, caterorumque membrorum harmoniæ conditoris declaret magisterium admirandum.*

LIQVIDVS dicitur liquor, qui facile defluit, vt aqua, oleum, & similia. SOLIDVM est eius contrarium, quod nõ defluit, vt glacies, nix, gummi, aut fluit tardè, vt balsamum, pix, & id genus alia. Quæ varietas discernitur visu pariter & contactu. Vnde si imagineris te gustare vinum felle & myrrha mixtum, quia illa solida sunt, tactu linguæ discernere poteris vinum densius à puro. Similiter vnguentum à Nicodemo ad vngendum Christi corpus emptum, etiam manu percipi posset esse densum, quia emerat purum, non multa aqua temperatum, quo esset efficacius.

PVLCHRITVDO, quia consistit in debita proportione partium inter se, siue vocum, siue colorum, siue membrorum, hinc est, quod percipi possit & auditu, quando consistit in vocibus (vnde dicimus nos audisse bellam Musicam.) Et visu, quando proportio consistit in rebus visibilibus vnde CICERO. *Pulchritudo*, inquit, *est debita partium proportio cum suauitate colorum.* Contra disproportio, vocatur Turpitudo. De Christo Domi-

Domino dicit Psalmista *Speciosus forma præ filijs hominum*. Et postquam fuit flagellatus, dicit Isaias: *Non erat ei aspectus, neq; decor.*

SIMILITVDO denique & Dissimilitudo in quantitate percipitur, ab oculo & tactu. Quod quia manifestum est, facio finem de sensibilibus communibus.

De Colloquijs.

CAP. VI.

COLLOQVIVM significat sermonem cum alio habitum. quæ vox postea translata est ad sermonem, qui cum Deo in orationibus & Meditationibus instituitur. Potest autem fieri primo mentalibus tantum verbis, hoc est, intus mente, vt nullum verbum ore proferatur, sicut in primo regum fecit Anna in pulchro illo, affectibusque pleno ad Deum alloquio. *Domine exercituum, si aspiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec obliitus ancillæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.* Quam orationem, inquit scriptura, in corde factam. *Loquebatur*, inquiès, *in corde suo, tantumque labia eius mouebantur, & vox pens-*

penitus non audiebatur. Secundo potest fieri colloquium oratione vocali; verum id non conuenit fieri, nisi quando homo est solus, vt fugiat vanam gloriam, & non incurrat notam hypocritæ.

DICAM autem primo, ad quos soleãt fieri Colloquia. Secundo, de qua materia. Tertio quo modo Quarto, quo tẽpore. Quinto, quot fieri queant. Omnia a. sumam ex libello Exercitiorum B.P. nostri IGNATII.

QVOD ad primum attinet, solent primo institui ad DEVM Dominum nostrum eo modo, quo ille facit post primum punctum Meditationis de excitando in nobis amore diuino. SVSCIPE *Domine vniuersam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atq; voluntatem meam. Quicquid habeo, vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, & me tua prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tuũ solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis: nec aliud quicquam vltra posco.* SECVNDO solent fieri ad quamlibet trium diuinarum personarum, vti docet in Meditatione de Incarnatione. *Colloquũ, inquiens, postremo subijciam disquisitu verbi, quibus diuinam quamlibet Personam dignè valeam compellare.* TERTIO ad Christum, qua homo est, vt ait in secundo collo-

qui-

quio Meditationis de vexillis. QVARTO ad beatiſſ. Virginem, ad quam dirigit primum dictæ Meditationis Colloquium Imo in omni meditatione, in qua plura vno facit colloquia, ſemper primum dirigit ad illam. QVINTO ad Angelos & alios Sanctos, vt dicit in puncto quinto Exercitii ſecundi primæ hebdomadis *in exelamationem*, inquit, *prorumpam, quemodo angeli me cuſtodierint, ſuiq; etiã iuuerint ſuffragijt: quomodo Sancti pro me interceſſerint* SEXTO ad omnes creaturas ſenſibiles, vt eſt in eodem loco. *Quomodo creatura omnes (diſcurſu facto per ſingulas) me ſuſtinuerint tamdiu. & hucuq; viuum ſuſtinuerint.* Septimo, etiã ad illas, quæ ſunt ſenſuum expertes, vt arbores, plantas, herbas, & ſimiles. Ita ipſe ibidem, *Et terra germina debita & indicta loco mihi ſeruierint.* OCTAVO, imo & ad inanimatas, vt cœlum, elementa, &cætera. VLTIMO, poteſt etiam homo in ſe conuertere ſermonem, arguendo ſeipſum, vt ſit in primo Colloquio primi Exercitii in prima hebdomade. *Arguam*, inquit, *inſuper me, percontans, quid hactenus dignum memoratu egerim pro Chriſto.*

QVOD ad ſecundum attinet, id eſt, ad materiã Colloquiorũ, ea præſcribitur primo in Colloquio ſecundæ Meditat. primæ hebdomadæ.

madæ. *Terminanda*, inquit, *erit demum meditatio hæc per Colloquium extollendo infinitã Dei misericordiam, quod vitam ad hunc vsq; diem prorogauerit, & gratias pro viribus aga.* Secundo, in colloquio primi exercitii tertię hebdomadæ. *In Colloquijs*, inquit, *aliquid est petendũ, iuxta præsentis rei rationẽ, vel prout sentio in me consolationem, vel perturbationẽ, prout virtutem vnam, vel alterã expeto: prout in hanc vel illam partem de me statuere intendo: prout ẽt de re, quã contemplor, tristari velo vel lætari. Deniq; postulandum erit illud, quod certam rem certam aliquam maxime desidero.*

Qvod ad tertium, id est, Modum spectat, Dico ea verba seligenda, quibus maximè affectus animi exprimãtur, vt dicitur in Colloquio meditationis secundę, in hebdomade secunda. Facileq; assuefacies te ad illa excogitanda, exigua etiã industria adhibita, si attentè & crebro perlegas B Augustini Soliloquia, & S Bonauenturæ pharetram, quia abundant huiusmodi verbis. Secundo dico debere fieri cum confidentia, & quasi familiariter *Colloquij enim proprium est*, ait P. Ignatius in colloquio primæ meditat primę hebdomadæ, *vt fiat sicut amici sermo ad amicum*. Tertio, cum affectu reuerentiæ & timoris, *vt serui ad Dominum*, sicut ibidem dicit.

cit. *nunc gratiæ aliquid petendo, nunc culpam aliquam incusando meam: interdum propria qualibet communicando, ac petendo consilium super illis, siue auxilium.* Quarto, verbis officiosis, & reuerentiæ plenis, non vsurpando vocem TV, vel VOS, ad sanctos, vel DEVM, vt monet annotatione tertia. *Aduertendum*, inquit, *in operatione, quæ præcipuè est Voluntaria, cum Voce, aut mente cum Deo loquimur, vel sanctis eius maiorem à nobis exigi reuerentiam, quam dum Ipsum Intellectus circa intelligentiam potius morantur.* Cuius ratio forte est, quia modus ille humilis & reuerēs loquendi facilius nos mouet ad deuotionem, quæ maxime postulatur in Colloquiis.

QVOD ad quartum, id est, NVMERVM attinet, dico conuenire, vt in fine cuiusque meditationis instituantur, vt liquet ex toto libro Exercit. Deinde dico, posse fieri vnum post quodlibet Meditationis punctum: sic enim fit in Contemplatione de excitando in nobis amore Dei. Tertio, quoties impetus spiritus ad hoc impellit, vt docet in Exercitio tertio primæ hebdomadæ *Deinde*, inquiens, *occurrente nobis spirituali motu ad Colloquia veniemus.* Vbi nota, etiamsi hæc soleant esse meliora, vt hic dicitur, quia fiunt cum ardore interno,

qui

qui accendit cordis affectum, vt etiam prorumpat in verba : tamen posse etiam fieri, cum ille ardor spiritus abest, imo possent fieri ad excitandum spiritum, sic enim paulatim incalesceres, & inflammatus longe feruentius ea perficeres. *Sape enim*, inquit, B. Bernardus, *corde tepido & arido orationi incumbimus: persistentibus autem repente infunditur gratia. Quibus studium est orare frequenter, experti sunt, quod dico.* Denique vt finem faciam, Colloquiorum copiam affatim, si velis, suppeditabit tibi Ioannes Benius, in suis de passione Domini discursibus, siquidem omnes contexti sunt ex pulchris variisque Colloquiis.

TRA-

TRACTATVS VIII.

DE VARIIS MEDITATIONVM FORMIS.

PROOEMIVM.

ETIAMSI *existimem hactenus me sponsioni meæ feciſſe ſatis, & in tractatibus ſecũdæ partis ſufficientia documenta ad Meditationem rectè inſtituendam tradidiſſe, tamen quoniam viſum eſt multo facilorem poſſe reddi hoc ſanctum exercitium vſurpandi rationem, ſi formulæ quædã vel exempla meditãdi, addãtur, quibus practicè documẽtorum dictorum vſus oſtendatur, non dubitaui hanc quoq; ſuſcipere prouinciam, quam confido inſtar certæ cuiuſdam manuductionis fore ad intelligendum, & facilius perdiſcendum hoc exercitium, i-*

mitaborq; industriam pædotribæ, qui vt puerum doceat recte formare litteras, primum ei ob oculos ponit scriptionis paradigma, tum calamum digitis eius inserit, manuq; sua cum eius manu coniuncta primas lituras ducit, quas ille solus deinde perficiat, & sic tandem artem scribendi condiscat.

Et quoniam, meo iudicio ad tria capita reuocari possunt omnia Meditationum argumenta. Primo breuiter delibanda est rei historia. Secundo, perpendenda sunt verba eo ordine, quo habentur in Euangelio. Tertium, ex vtroque est conflatum, hoc est, vt puncta certa excerpantur, licet meditanda quoque sint verba quæ intra vnum, alterumq; punctum intercedunt. Et hoc melius est reliquis, quia fruitur vtriusq; emolumentis, nempe distinctione, quam continet primum, quæ plurimum confert ad facilitatem, & obseruationes à sanctis datas retinendas. Atq; hoc vsurpauit B. P. noster IGNATIVS in Ex-

in Exercitiorum ſpiritualium libro. Exemplum formabo vtriuſque capitis. Cæterum, quia infanti facilior redditur mãducatio v.c. pomi ſi in partes, & buccellulas diuidatur, neceſſe eſt, vt tyronibus in hac quoq; materia conſulamus, & quam diſtinctiſſime ſingula exponamus quæ ad recte meditandũ pertinent. Et quamuis in quauis hiſtoria ordinariè inueniantur perſonæ & verba, atq; actiones conſiderandæ, tamen maioris facilitatis cauſa, vnum exemplum proponã meditationis circa perſonas, alterum circa verba, & tertium circa actiones. Ac deinde ternas alias, quæ dictas tres partes comprehendant, ac primam quidem in Puncta abſtracta. Secundam in textum, & tertiã, vti dixi, in vtrasq; Pro complemento deniq; huius tractatus adiiciam & vnam de applicatione ſenſuum, vt huius quoq; meditandi formula & exemplar extet. Ac quoniam multi recitant multas orationes vocales, vt clerici, & religioſi, qui partim diuinũ quotidie officiũ

perlegunt, partim, vt sacerdotes, sacrificium missæ peragunt, vel aliâs orationes, vt reliqui omnes, dicunt: adiungam etiam formulam de iis meditandi, quæ maximè iuuabit vt attentè, & cum deuotionis sensu dictæ preces instituantur. Meditatio siquidem in intellectu notitiam, & in voluntate pium affectum, ac spiritalem dulcedinem gignit. Vnde quando vocaliter aliæ preces recitantur, excitatur quasi intelligentia & affectus, quem in meditatione sensimus, & ipsæ preces deuotè dicuntur.

OCCVRRIT & aliud, vt finem monendi faciam, etsi verum sit, sermonem vocalem originem ducere ab intellectu, & idcirco illi propriè tanquam suo fonti attribui: (quid enim est aliud ratiocinatio vocalis, nisi discursus intellectus ore expressus?) tamen pro pleniore clarioreq; intelligentia in dictis formulis meditandi etiam loquendi munus tribuemus & memoriæ, & voluntati, ac etiam sensibus, quando aliquid in meditatione agent.

EX-

EXEMPLVM MEDITANDI *circa Personas.*

CAP. I.

PRo argumento huius Meditationis sumpsi historiam sepulturæ Christi Domini, quia in ea multæ conditiones, ex iis, quas diximus circa personam indagandas, deprehenduntur Quarum quædam sunt in textu expressæ, quædam verò hauriuntur ex ipsa mysterii explicatione Quare visum est, antequam incipiam, te monere, etiamsi in dicta historia sint multa verba, multarumq, rerum gestarum in ea mentio fiat, quæ possent etiam in meditatione expendi, me tamen non allaturum nisi illa, quæ conducunt ad notitiam personæ, quandoquidem hic mihi non est aliud propositum, quam specimen aliquod dare meditandi circa personas. Atque idem observabo in duobus capitibus sequentibus.

MEDITATOR ergò facto signo crucis, & accepta aqua benedicta, ad spatium orationis Dominicæ, salutationisq; angelicæ pedibus insistens cogitet se in conspectu Dei, B Virg. omniumq; sanctorum versari: deinde in genua se coniiciat, & Orationem Præparatoriam in hunc modum perficiat.

DOMINE, supplex rogo te, vt mihi gratiam impertiri digneris, quo vires, actionesq; meas omnes ad diuinę Maiestatis tuæ gloriam expēdam. Tum proximè summatim percurre historiam, hoc modo. CVM *Ioseph impetrasset a Pilato corpus Domini, & inuento Nicodemo, omnia comparassent, quæ erant ad sepulturam necessaria, deposuerunt illud de cruce, & balsamo conditum sepelierunt. Iudæi autem signato monumento adhibuere custodes* Post hāc petitionem subiunge. *Obsecro Domine, vt intus in corde eum doloremsentiam, quē senserunt dicta persona, & alii qui sepulturæ interfuerunt.* Demum pro compositione loci, ob oculos ponēdum est palatium Pilati, inde viæ ciuitatis vsque ad montem Caluariæ, tum mons ipse, & post illum via ad sepulchrum, atq; ad extremum spelunca monimēti. Post quas præparationes, intellectu dabis principium meditationis, modo sequenti

INITIO itaq; facto à persona IOSEPH, dicit Intellectus De hoc homine video multas cōditiones indicari, quæ eum commouerint vt auderet corpus IESV à Pilato exposcere, atq; etiam autoritatem conciliarint, vt impetrarit, & sunt, quas recenset S. LVCAS. ECCE, inquit, *vir nomine Ioseph, qui*

Luc. 23.

erat

erat nobilis, Decurio, vir bonus & iustus: hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudæa, qui expectabat & ipse regnum Dei. Hic audacter introiuit ad Pilatum, eo quod esset discipulus IESV, *occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus* IESV Imò S. Hieronymus affirmat ob hanc ipsam causam Euangelistam tam accuratè, tantoq; affectu conditiones eius describere.

Incipiendo autem à Nomine, quod diximus primum esse inter ea quæ ad personã, qua compositũ est, pertinẽt, dicit *Intellectus*. Nomen hoc significat AVGMENTVM. vnde colligo, licet hic homo bonus esset & iustus, Dominum tamen voluisse hoc nomine appellari eum, à quo esset sepeliẽdus: vt disceremus ipsum libẽter cedere in prædã eorũ, qui in bonitate & iustitia incrementũ facere conantur. Vnde & VOLVNTAS subiungit. Propono & ego me deinceps adiuuante diuina gratia progressum facturũ in Spiritu vt Dominus se quoq; in meas manus tradat, egoq; tanto thesauro donatus locupletior fiam, maximè cum norim hoc loco nõ progredi, esse quoddam regredi, iuxta dictum B BERNARDI. *Non progredi, est retrogredi.* & illud S. LEONIS. *Nemo ad cognitionem* *Serm. 9. de natiu.*

veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus diuinis etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat. Nam qui se ad id, quo tendit, peruenisse præsumit, nō quæsita reperit, sed in inquisitione deficit.

Transeundo dehinc ad Nomen patriæ ARIMATHÆ dicit Inuenio hanc vocem significare, EXCELSA. & subiungit. Video vtroque nomine Excellentiam quandam denotari, quæ aptissimè in hunc sanctum hominem conueniat, quippe qui opus tam excellens & heroicum designare ausus fuit, vt palam postularet se donari corpore IESV crucifixi, eoq; tempore quo Christo, omnibusque eius assecIis tota ciuitas erat infestissima.

De ÆTATE dicit intellectus. Credo eum, vt traditio antiqua habet, fuisse admodum affecta ætate & senem, immò existimo eum hac graui ætate non parum commouisse Pilatum, vt promptius petitioni subscriberet, conuenienter dicto sapientis. *Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperitur.* Prou. 16.

QVOD ad AFFECTVS animi attinet dicit intellectus. Animaduerto eum aliquanto tempore fuisse exagitatum metu. Textus enim ait *Eo quod esset discipulus* IESV, *occul-* Ioan. 19.

tus ta-

tu tamen propter METVM *Iudæorum.* Qui metus forte in illis initiis excusari potuit, eo quod in duabus rebus consisteret, quæ apud homines merito timeri solent. Primo in iactura honoris, quem tanti facere solēt, maximè nobiles, vt non dubitent pro eo conseruando & fortunarum & vitæ discrimen adire. Certo autem constabat illum iacturam honoris sui facturum, hoc est, publicè eiiciēdum fuisse è Synagoga: quæ erat quædam excommunicatio & infamia. Secundo metus consistebat in periculo vitæ.

Hic Memoria dicit Recordor eodem metu consternatos fuisse parentes cæci nati, quando à Pharisæis accersiti sunt, vt responderent de causa filii illuminati, vt scribit S Ioannes. *Hæc dixerunt*, inquit, *parentes eius, quoniam* TIMEBANT *Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.* Ioan. 9. Et propter metum amittendæ vitæ Memoria in medium profert eorum consilium de occidendo Lazaro, eo quod propter illum multi ad Christum conuerterentur. *Cogitauerũt autem*, ait S. Ioannes, *Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in* IESVM. Ioan. 12.

Longius verò progrediēs intellectus ait. Sed affectum hic deprehendo quoq; metui contrarium, cum dicat Euangelista AVDACTER *introiuit ad Pilatum*. Facinus profecto æterna memoria dignum probè enim sciebat se hoc facto nō paucorum, sed multorum, nec plebeiorum modo hominum, sed etiam magnorum Dominorum tam politicorum, quam spiritualiū odia in se concitaturum.

Et hic voluntas dicit. Omnibus viribus deinceps cōtendā, semel me ab intolerabili mundani timoris, respectuumq; humanorū tyrānide vindicare, vt magno erectoq; animo animosum istum Ioseph̄um imiter, ad obtinendam vitæ Christianę perfectionem cum integra diuinorū mandatorum, omniumq; regularum mearum obseruatione.

Transit deinde Intellectus ad considerāda, quæ ratione corporis in eum conueniunt: & incipit à VIRIBVS, ac dicit. Cogito eas fuisse exiguas & imbecilles, Primo, quia tales esse solent in senibus. Secundo, quia mœstitia ex dira illa Magistri tractatione orta plurimum eas fregerat. Tertio, quia illo die satis se fatigarat crebris discursibus, nunc ad Pilatum, nunc ad quærendum Nicodemum, nunc ad alia, vt coemenda aromata,

mata, & linteamen corpori inuoluēdo idoneum, comparanda item instrumenta necessaria, ad Christū è cruce deponendum, vt scalas, malleos, forcipes. Deniq; eadem instrumenta vsq; ad montē Caluariæ deferendo. Credo enim eum illa suis, nō alienis ministrorum suorū humeris, deuotionis & venerationis maioris erga Magistrū declarādæ causa gestasse Neq, defuerint, quæ plerunq; senib accidunt maximè si nobiles & locupletes sint, aliæ corporis indispositiones: ac speciatim vidēdi hebetudo, quæ non paruā ei molestiā attulerit, cum tanto pondere onustus per tenebras iter faceret. Cō sidero prēterea difficile esse ętate prouectis in montem ascendere, sicut erat huic graue nunc scalas ascendere, nunc descēdere, idq; vti proculdubio fiebat, crebrius. Accedit, quod lōgitudo vestis, illis regionib. vsitata, non parū ascensum retardabat. quanquam mihi persuadeo, quod eam deposuerit, vt expeditius muneri suo facere satis posset. Hic applico oculū, & imaginor me videre varios corporis situs valde incommodos, quos in ascēsu scalarum vsurpare debebat, quos tanta celeritate, & agilitate vsurpauit, vt dexteritatem cuiusvis adolescētis valentissimi superasse videatur. Intellectus quoq;

breui

breui suo discursu dicit. Nimis liquidò colligo ex hoc conspectu vim deuotionis, gratiæq; diuinæ isti sancto seni collatam. Memoria verò suppeditat prophetiam Isaiæ. *Tunc saliet sicut cervus, claudus.*

Isa 35.

Ex quibus discursibus voluntas sic loquitur Statuo nunquam me pœnitentias, aliaq; spiritus exercitia prætermissurum, etiamsi ad summam peruenerim senectam, sed potius ea aucturum, si superior, vel confessarius consenserit: cuius iudicium iam inde à meæ conuersionis initio, tanquam doctrinam approbatam, & ab omnibus sanctis vsurpatam, sum secutus, ne vel in paruis à carnis cupiditate, vel in magnis à Sathana in fraudes impellerer, qui in angelum lucis se transfigurans solet hominem à quibusdam exercitiis absterrere, vt tandem eum ab omnibus deuotionis exercitiis reddat alienum, ac exarmatum pro suo libito tractet, teste CASSIANO collat. 7. c. 24.

VENIENDO deinde ad bona externa, primum, inquit Intellectus mihi occurrit generis Nobilitas, vt asserit Euangelista, NOBILIS. nec tantum nobilis fuit nobilitate omnium nobilium communi, sed etiam senatoria, & Magistratus, quod *Decurionis* voce græcè significatur. Quibus duobus,

Memo-

Memoria adiungit tertium bonum, cuius meminit S Matthæus, opum dicens. *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives.* Quas tres conditiones expendens Intellectus dicit, videtur mihi non solum verisimile, sed etiam verissimum, quod annotauit S Hieronymus, eas non parum iuuisse apud Pilatum, vt sui magistri crucifixi IESV corpus impetraret. Solent siquidem huiusmodi magno loco esse apud viros Principes, tum propter dona, quæ pro liberalitate innata solent largiri, tum quia in pretio sunt apud populum. Atque hic prorumpe in colloquium cum hoc sancto sene, vti sequitur.

O Bone & iuste IOSEPH, in te rectissimè competunt dotes nobilitatis & opulentiæ, quia eas in tua petitione fructuose vsurpasti. Bene collocata sunt munera & seruitia quæ ante contulisti in Pilatum, quia effecerunt vt impetrares tam nobile margaritũ, tam diuitem thesaurum. Discite nobiles & diuites libenter facultates vestras erogare in pauperes, ad lucrifaciendum Christum: maximè cum dixerit ipse, sibi factum, quicquid illis feceritis, ac insuper remunerationis loco addixerit vitam æternam, hoc est, seipsum. Ita enim enim ipse patefecit his

verbis.

Ioan.16. verbis. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum.* Ac regrediens intellectus ad discursum, ait. Credo Christum voluisse sepeliri à nobilibus, nam cum illi professionem faciant, & alieniſſimi sint à fuco & mendaciis, facilius illis fides præstari potuit post resurrectionem affirmantibus se eum suis manibus sepeliſſe, & grande saxum monumento aduoluisse.

Transiens deinde ad dona gratiæ quæ in eo fuerunt, dicit. Noto imprimis FIDEM in illis S Lucæ verbis. *Eo quod esset discipulus* IESV, *occultus tamen* dicitur enim doctrinã Christi recepiſſe. nec dubito in illis primis initijs bonum Magiſtrum toleraſſe, vt delitesceret, in typum futurorum olim Martyrum, qui ad aliquod tempus, vt tyrannorũ effugerent rabiem, abdebant se in latebras,

Matt.10. iuxta doctrinam ipsius ore datam. *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Video quoq; expreſſam hanc fidem in illis aliis verbis. *Quia expectabat & ipse regnum Dei* SPEM quoq; demonstrabat, voce EXPECTABAT, nam quæ expectamus, sperare solemus: imò ipsum expectare, iuxta S. Thomam, est quidam spei actus.

Agnosco & CARITATEM, quia ex amore,

quo

quo prosequebatur magistrum suum IESVM, permotus, imò impulsus fuit postulare corpus à Pilato, nullis precibus aut muneribus aliorum ad hoc inductus. Quanquam in eodem facto demonstrauit quoq; caritatem in proximum: nam simulatque impetrauit, certiorem reddidit bonum Nicodemum, vt meritum tam pii sanctiq; operis illi commune faceret.

Obseruo & modestiæ virtutem in loquendi modo, quo apud Pilatum est vsus, nam, quod nobilium hominũ est proprium humaniter tantum, vt habet textus, eum ROGAVIT. Vnde colligo, bonum spiritum, licet ardens sit, tamen non reddere hominem insolentem vt ciuilitatis metas excedat, sed potius perficere. Quo cõfert & Memoria, quod Christus de lege veteri dixit. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Matth. 5.

Animaduerto præterea in hoc homine iusto IVSTITIAM Legalem. Nam cum lege cautũ esset, ne quis de cruce deponeretur, qui publica iudicum sententia ad eam condemnatus esset à Præside potestatem eius deponendi petiuit: probè conscius fideles beneficio fidei Christianæ non eximi ab edictis secularium Principum, sicut docet B. Paulus in epist. ad Romanos. *Omnis anima* Rom. 13

subli-

sublimioribus potestatibus subdita sit. Idem commisit Tito commendandum Christianis. *Admone illos subditos esse Principib. & potestatibus.* Eandem doctrinam tradit B. PETRVS in priore epistola, scribens generatim ad omnes fideles, *Subditi estote, omni humanæ creaturæ propter* DEVM, *siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis.* Hanc iustitiam demonstrauit in consilio, in quo de capiendo & occidendo Christo tractatū est, vt testatur S. LVCAS, dicens. *Hic non consenserat consilio & actibus eorum.*

Tit. 3.

1. Pet. 2.

Deniq; deprehendo & animi FORTITVDINEM, qua roboratum eius pectus excluso omni metu, quo hactenus oppressus iacebat, audacter ingreditur ad Pilatum, & corpus Iesu vita defuncti requirit.

Hic Voluntas (eius maximè, qui cogitationes versat de religiosæ vitæ iugo suscipiendo) dicit. Etiamsi ego certis de causis ad exemplū illius sancti senis cogar esse Christi discipulus occultus, tamen quando præsto erit tempus patefaciam animi mei sensa audacter: speq; magna teneor, Dominum non minus mihi, quam huic discipulo occulto, adfuturum.

AD extremum obseruo & Magnificentiam eius in nobili & sumptuoso sepulchro, quod

quod excisum erat in saxo marmoreo albo rubenti colore mixto. Eandem demonstrauit in coemenda nobilissima syndone, cui corpus inuoluit. Et quanquam impensæ hæ videri possint exiguæ, tamen magnificæ fuerunt, tum ob præstantiam materiæ; tum propter finem illi propositum, vt sic veneraretur DEVM Adiungo & LIBERALITATEM superiori virtuti, qua tam prompto alacriq; animo suum ipsius monumentum Domino consignauit. Proprius siquidem eius actus est, munera offerre Atq; hæc satis sint, circa personam boni Ioseph: nunc transeamus ad Nicodemum.

Incipiendo autem à Nomine dicit intellectus, illo designari *sanguinem innocentem.* quod video conuenienter illi impositum. quia manifeste eximiam innocētiam suam demonstrauit apud Principes Iudæorum, cum iam iam iniiciendæ essent manus in Christum, quando iis dixit. *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit, quid faciat?* Ioan. 7.

Quod ad ÆTATEM attinet, senem fuisse inde colligo, quod Christo affirmanti, si saluus esse vellet, eum debere renasci, respondit. *Quomodo potest homo nasci, cum sit* Ioan. 3. SENEX.

Fuit & eruditus homo, immò Legis Doctor, vt ibidem testatus est Christus. *Tues magister in Israhel, & hæc ignoras?* Professione quoq; Phariſæum ex verbis B. Ioannis aduerto. *Erat, inquit, homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine.* Postea autem factus est Christi discipulus, sed occultus, quia de illo scribitur. *Hic venit ad Iesum Nocte.* Fuit & genere nobilis, quia vocatur, *Princeps Iudæorum.*

Ioan. 4.

Magnificentiam item in eo obseruo ob aromatum copiam, quæ inungendi Christi causa coemit, nempe librarum centum. Ferens, inquit B. Ioannes, *myrrhæ & aloes quasi libras centum.*

Ioan. 19.

Video in istis ambobus senibus alias nonnullas quoque eminere virtutes. inter quas prima est misericordia, cuius proprium officium est, sepelire mortuos. Altera est Religio. puto enim verum, quod de iis contemplatur S. BONAVENTVRA, quod ad primum crucis conspectum geniculati sint, & saluatorem adorarint, idemq; iterarint, cum propius astarent, antequam clauos refigerent, deinde manum suam reuerentiæ ergò osculati sint, antequam membrum aliquod attingerent Humilitatem etiam declararunt, tum in deportandis aromatibus

matibus & instrumentis, tum quod sine vllorum ministrorum opera depositionem peregerint.

Rursum, in his duabus personis, omnibusque aliis qui præsentes in hoc opere sepulturæ fuerunt, inusitatam deprehendo tristitiam, & ingentem luctum. Quo Memoria adducit illud Psalmi 29. *Ad vesperam demorabitur fletus*. Ex omnibus autem maximè luxit sanctissima Mater. In cuius confirmationē memoria profert illud dictum Noemi. *Non vocetis* me Noemi id est, pulchram, *Sed vocate me Mara*, id est, amaram, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens. Tam afflicta autem erat B. Virgo, vt nulla ex re caperet solatiū Quam in rem memoria suggerit illud Ieremiæ. *Vox in excelso audita est lamētationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios suos & nolentis consolari, quia non sunt.* Ruth. 1. Ier. 31.

De Pilato, quantum ad mysterium attinet. Considero primo eius prudentiam politicā, quod Iosepho licet genere nobili, aliisq; rebus claro non ante Christi corpus concesserit, quam intelligeret expirasse Secundo, q; non à militib. corporis custodib. sed à Centurione eorū percōtatus fuerit de Christi morte, tū vt debitū in gubernatione

ordinem, proximos sibi ministros cõsulendo, teneret; tum, quia illi quam aliis maiorem habendam fidem credebat. Tertio, quod subitò executus sit, quod postulabatur Quarto, quod animo tranquillo; nam post concessum Iosepho corpus, cum Iudæi proponerent consiliũ suum de adhibendis monumento custodib. beneuolè & humaniter, & quidem saluo priori postulato, re-
Mat. 27. sponderit. *Habetis custodiam ite, custodite, sicuti scitis.*

In Centurione, primò expendo obedientiam, quod non nisi Christo mortuo è monte Caluariæ discesserit. mandatum enim illi erat, caueret, ne quis Christum adhuc viuum de cruce deponeret Vnde Matthæus. *Centurio autem*, inquit, *& qui cum eo erant, custodiebant* IESVM. Secundo, fidem, in veritate Pilato explicata. Tertio, conuersionem miraculosam, occasione clamoris Christi, dum expiraret, secutam. percutiebat enim pectus suũ, & Deum glorificabat.

De Iudæis principiũ sumam ab eo, quod simulatè ostenderint corpus Christi sepul-
Ioan. 19. turæ mandandam. *Iudæi*, inquit B. Ioannes, *quoniam Parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho. (Erat enim magnus ille dies Sabbathi rogauerunt Pilatum, vt* frange-

frangerentur eorum crura, & tollerentur.) Deprehendo, ait Intellectus, in istis belluinum & abominandum vitium hypocriseos, de quo toties à Christo fuerunt reprehensi. De qua re memoria suggerit illud apud Matthæum. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia* Colligo autem hoc vitium ex ratione ab iis allata *Vt non remanerent in cruce corpora sabbatho:* nempe solliciti erant, ne externa cerimonia violarent Sabbathum: sicut alibi, *non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha:* & tamen nõ dubitarunt iisdem diebus moliri necem filii Dei. Deinde non petierunt frangi crura, vt possent eos sepelire, quia vbi cognouerunt eum expirasse, non amplius de eo humando solliciti fuere. Mat. 23.

ADVERTO deinde in appetitu eorum sensitiuo TIMOREM: nam cum intellexissent Centurionem, vt est apud Marcum, dixisse *Verè hic homo filius Dei erat* post clamorem in cruce auditum. *Et omnis turba eorum, vt habet Lucas, qui simul aderant, ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebãtur:* miris scilicet Mar. 15.

illis conſpectis conuerſi, non dubium eſt, quin vehementer timuerint; ne exſurgeret aliquis tumultus in populo. In confirmationem huius Memoria producit conſilium in domo Cayphæ habitum de capiendo
Mat. 26. Chriſto: vbi omnes dicebant. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* Cuius liquidam rationem reddit S Lucas, dicens. *Timebant vero plebem.*

OBSERVO quoq; dicit Intellectus, magnã eorũ verſutiam, dum trepidationẽ ſuam religionis velãt pallio: ſic enim ſua petitione oſtendunt ſe loqui voluiſſe Pilato. In lege noſtra habemus feſtũ Paſchæ, maiore lætitia, quã cetera eſſe celebrandum, vt ſcri-
2. Eſd. 8. ptũ eſt in libro ſecundo Esdræ. *Quia ſanctus dies Domini eſt, nolite flere, & nolite contriſtari: gaudium etenim Domini eſt.* Iam autem videmus, ſi corpora iſta in crucibus maneant, diem fore luctuoſum & triſtem, atq; ideò rogamus, vt cum tua bona venia deponantur. Verus autem ſcopus eorũ ad quem collimabant, erat, vt ſublato ex oculis hominũ corpore Chriſti, ipſi trepidatione liberarẽtur, & impendens euaderent diſcrimen. Longiusq; procedens Intellectus dicit. Cogito etiam furioſam ſceleratorum illorum hominum rabiem erga mãſuetum agnum

Ieſum

Iesum necdum fuisse post tantas cruciatus exsaturatam, & ideo nouo eoq; acerbissimo dolore fractionis crurum voluisse eos adaugere. In cuius cõfirmationem ait Memoria, Esse legem de hoc augmento Deuteronomii 21 cap. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadẽ die sepelietur: quia maledictus à Deo, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam.* Etsi forte potius credendum sit, aut Romanos non approbasse istam legem, aut voluntate diuina factum, ne allegaretur. Christus enim non fuit crucifixus propter cõmissum aliquod peccatum, nam vt ait Isaias, *iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore eius.* Isa. 53. Quod autem B. Paulus in epistola ad Galatas, illa verba. *Maledictus homo, qui pendet in ligno*, applicat Christo, id fecit, quia extrinsecus ita videbatur, alludens ad illud aliud quod scripserat ad Romanos. *Deum filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Gal. 3. Rom. 8.

Ex toto superiori discursu colligo, inquit Intellectus, horrorem magnum contra hypocrisin, eo quod Iudæos tam abomi-

nabiles reddiderit, & tam acriter Saluator eam coarguerit. Atq; hactenus vidisti trium potentiarum, id est, intellectus, memoriæ, & voluntatis vsum, sicut erat doctus. Prosequendo autem longius discursum, intellectus ait. Cerno in illis ipsis Iudæis summá animi inquietudinem & angorem, quem colligo ex eorum verbis, cum dixerunt. *Recordati sumus.* Secundò magnam indignationem; dum dicunt. *Seductor ille.* Tertio, stuporem ingenii in ratione data Pilato. *Ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi. Surrexit à mortuis.* quasi assueratio discipulorum sufficere potuisset ad credendum, Christum verè resurrexisse: nisi alia grauiora accessissent testimonia. Sicut & in alio consilio hebetes, & simplices se demonstrarunt, cum imperarent militibus, vt diuulgarent corpus Christi furto sublatum à discipulis, ipsis dormientibus. Quare aptissimè in illos conuenit illud Dauidicum. *Defecerunt scrutantes scrutinio.*

DEMVM de Persona CHRISTI noto cum S. LEONE, cum tantum fuisse obedientiæ, & obseruationis legis amatorem, vt etiam mortuus illi parere voluerit. nec enim permisit prius se deponi de cruce quã

potestas

potestas à Pilato facta esset. Atque hic imponitur finis, cum sequenti Colloquio.

DOMINE, obsecro te, vt patiaris te à me quoque spiritualiter in anima mea sepeliri, maximè quando ad sacram mensam communicaturus accedo: ac vt in ea dignè permaneas, da mihi puritatis candorem, caritatis rubedinem & duritiem constantiæ, quæ sepulchrum illud materiale habebat. ac postremo humiliter precor, vt auxilio gratiæ tuæ mihi eam custodiam impertias, vt furto eripi nunquam possis: sæpenumero enim expertus sum verissimum esse illud tui prophetæ dictum: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Psal. 126.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

FORMVLA MEDITANDI IN verba.

CAP. II.

PRo huius Meditationis materia accepi prima verba Domini nostri ex septem in cruce dictis, & sunt illa apud B. Lucam.
Luc. 23. PATER *ignosce illis, quia nesciunt, quid faciũt.* Sed antequam incipiam, de duobus es monendus. Primum est, quod in verbis, præter eorum significationem propriam vel metaphoricam possit, imò debeat indagari eorum veritas, quæ tunc est, cum omnino respondent rei significatæ. Alterum est, cum voces & verba, teste Aristotele, sint signa, quibus exprimimus internum animi conceptum & affectũ, conuenit meditãdo scrutari, quænam illum maximè exprimant.

Præmissis itaque tribus primis Præparationibus, sicut in præcedenti Meditatione (quæ semper in omni Meditatione eodem modo fiunt) percurres historiam breuiter in hunc modum. ORAT *Dominus pro suis crucifixoribus.* Deinde subiice petitionem hac forma. Da mihi rogo Domine IESV Christe gratiam delibandi dulcedinem, quam abscõditam seruas in dilectione inimico-

micorum, vt ego quoq; ad illos diligendos inflammari queam. Deinde pro compositione loci dicit. Ante oculos mihi obiicio totam planitiem vertici montis Caluariæ circum circa subiectam, plebæis spectantibus confertam, & ante illos in modum circuli vniuersam militū turbam, ac in medio erectam crucem sanctam.

Ac primo perpendo vocem PATER, quæ appellatiua est, & optime conuenit in Patrem æternum, quia teste Apostolo, *ex illo omnis paternitas est in cælo & in terra.* Et progrediendo longius, dicit. Credo saluatorem ab hac voce inchoasse orationem, vt commoueret (loquendo nostro modo) viscera amoris erga se, vt postulata impetraret. Ordinariè enim nihil negari solet ei qui amatur. *Eph. 3.*

Quo pacto, Memoria dicit Recordor eū, cum morti proximus animā suam commēdaret Patri æterno, eadem voce inchoasse sermonem. PATER *in manus tuas commendo Spiritum meū.* Quas duas petitiones inter se conferēs Intellectus, ait. Cum idē sit vtriusq; orationis initium, verisimile est æquali desiderio, vt exaudirentur, factas. Et longius progressus, subiicit. Itaq; apparet amabilē IESVM tanto teneri desiderio salutis inimicorum,

corum, quanto tenetur propriæ, ac proinde sicut indubitatum est, quemque ex animo desiderare obtinere, quod postulat pro se, sic certò mihi persuadeo Christum ex animo petiuisse, vt crucifixorib. suis noxa condonaretur.

HAC doctrina voluntas persuasa, varios in se affectus concitat, vt tristitiæ, & verecundiæ, atq; etiam amoris & desiderii, dicens. Vehementer affligor, & pudore suffundor, me hominem non modo professione Christianum, sed etiam Ecclesiasticum, vel religiosum; tam ægrè adduci posse, vt minimas etiã offensas, licet crebro ab aliis, & instanter rogatus, syncerè condonem. Ac deinceps subiungit. In posterum certe, si casus huiusmodi inciderit, licet grauissima afficiar iniuria, firmiter apud animum meum statuo, me non solum adiuuante amabilis IESV gratia sponte lapsum condonaturum inimico; verumetiam laboraturum, vt immunis sit à pœna, si quam apud magistratum incurrisset; atq; etiam Dominum Deum oraturum vt liberetur à culpa. Atque hactenus vidisti, qui actus fuerint trium animæ potentiarum circa primum verbum. Transimus nunc ad secundum.

DIMITTE, inquit Intellectus. Hæc vox prima-

primario suo significato denotat, liberum & solutum amandare, Vbi Memoria in confirmationem adducit illud ex Genesi. NOE *dimisit coruum ex arca, qui egrediebatur, & non reuertebatur.* In quæ verba sic discurrit Intellectus QUoniam Noe dimittendo ex arca coruum, nullo funiculo in pede astrictum emisit, sed liberum & solutum, euenit, vt egressus fuerit, & non reuersus ad Noe. Inde colligo, Christum Dominum hac petitione à Patre cœlesti petiuisse remissionē peccatorum, omnino liberam ab omni culpa & pœna Aduerto, addit Intellectus, & vocem DIMITTERE iuxta significatum primarium supponere, illum qui dimissus est, & solutus, ante fuisse ligatum, & conclusum, sicut fuerat coruus in arca In secundario vero, quod est, condonare, vel ignoscere, etiam supponi, quod offendens fuerit ligatus, & reus pœnæ. Et hic Intellectus instituit Colloquium ad Christum, hac forma. DOMINE, mihi videtur, te in petitione tua sic voluisse loqui PATER æterne video istos meos crucifixores quasi funes sceleris, quo meum sitiunt interitum, irretitos, ac tetro tuæ vindicatiuæ iustitiæ carceri inclusos, atque idcirco supplex rogo Pater, vt tuæ misericordiæ cultello funem hunc re- *Gen. 8.*

sciндas,

scindas, eosq; sic solutos & liberos dimittas, vt nunquam ob lapsus suos in manus diuinæ iustitiæ tuæ incidant, ac in posterum ab æternæ damnationis suppliciis in carcere inferni luendis immunes existant. Ac progrediendo longius, animaduerte Saluatorem, dum ait, DIMITTE, postulare condonationem perfectam. Nam cum varia opprobria ab inimicis suis sustinuerit, vt flagella; coronationem, colaphos, crucifixionem, non tamen dicit PATER dimitte talem, vel talem iniuriam mihi illatam, sed indeterminate loquitur, quasi omnes cupiat condonari Quæ amplitudo veniæ, quo rectius intelligatur, notandum est duo esse genera condonandi. Vnum est læsorum. alterum est Iudicum. primi exemplum sit hoc Quidam interfecit alterius filium. Supplex petit à patre delictum sibi condonari. Pater condonat quidem, sed apposita conditione. vt vel exulet in alieno solo, vel certe vt non compareat in propria patria, siue semper, siue ad certos annos. Secundi exemplum sit huiusmodi Iudices incarcerato indulgent, vt ex secreto carcere migret in publicum, vel vt non exeat propria domo, vel si liceat exire, saltem non exeat è ciuitate. vel denique liberat, cum

exce-

exceptione *de superuenientib. nouis indiciis* vt vocant hoc est, vt liceat causam totam à capite contra reum repetere, si nouis indiciis manifestetur eius noxa. Collato itaque vtroque genere condonationum, cum illa, quam postulat Christus, video magnum, inquit Intellectus, inter eas discrimen.

HIC Memoria proponit varietatem lectionis, dicēs. Memini B Augustinū, aliosq; Patres, loco vocis DIMITTE, legere IGNOSCE. De quo verbo, Intellectus Compositū est, inquit, ex IN, quod significat NON, & voce NOSCE. primarium ergo significatum est, *non cognoscere*. Secundarium, *condonare*. Vnde sequitur sermonem hic esse de condonatione tam perfecta, vt offendens eque reddatur securus, ac si offensus nesciat se ab eo iniuria affectum. Vt autem accuratius intelligatur hoc condonationis genus, intellectus varios excogitat securitatis modos, quos reus, qui aliquem grauiter læsisset, posset desiderare, & in hunc modum exorditur. Si nobilis iniuria affeciſſet plebeium, hic verò ab aliis rogatus promisisset se non vlturum iniuriam, non esset tamen nobilis ille valde securus, quia plebei facile pactam fidem violant. Itaque

neces.

necesse esset, talem promittere cum discrimine suarum fortunarum, si pactis non steterit; quia licet fere soleant esse exiguæ, tamen magni eas faciunt, & iacturam earum facere valde pertimescunt. Verum quia & inter rusticanos homines reperiuntur, qui nihil illas pendant, non posset ille omni metu vacare: quo vacaret, si rixa fuisset cum homine nobili; pluris enim illi verbum vnum faciunt, quam fortunas suas, & maxime si interposito iureiurando, vt fieri solet in pacis fœderibus, securitatem promiserint. Verum enimuerò nec sic videtur vsquequaque tuta securitas: nam aliquando accidit, & nobiles vehementia perturbationis in transuersum actos datam verbis fidem violasse. Iam quoniam conscientiæ aculeus, & peccandi vel offendendi DEI scrupulus natura sua plus hominem constringere solet, quam verba sola, forte securiorem futurum se putabit, si, non iam plebeium, aut nobilem, sed religiosum offendisset, tantaque pietate præstantem, qui non solum noxam reo condonasset, sed etiam pro maleficio gratias egisset, ac proinde nec dubitare posset, illum nunquã iniuriam vindicaturum: & tamen nec hic quidem plena apparet immunitas;

potest

potest enim timere, ne ille aliquando, Iudæ proditoris instar, in reprobum sensum actus cum vocatione sancta omnem pietatem abiiciat, & antiquas iniurias vlcisci velit. Quocirca intellectus regrediens ad institutum suum, dicit, nunquam perfectam esse securitatem post offensam, nisi quando persona læsa se læsam ignorat. Et talem inimicis suis postulat Christus concedi. Ac mihi quidem videtur non secus id peractum, quam si aliquis ex illis crucifixoribus ad æterni Patris pedes procidens supplex rogasset. Domine, humiliter rogo, vt mihi condones iniuriam, qua te, crucifigendo tuum sanctissimum filium, affeci. Respondisset verò Christus. Non intelligo, quid dicas. Non sum à quoquam mortalium iniuria affectus. Forte alius erit quem læseris: eum quære, & vade in pace. Certum autem est, hunc perfectè securum discedere, tum quia nouit Deum non posse mentiri, secundum illud Nume. 14. *Non est* DEVS *quasi homo, vt mentiatur.* tum quia sententiam nõ mutat. Malach. 3. *Ego* DEVS *& non mutor.*

Animaduerto præterea, ait Intellectus, vtrumque Verbum esse ACTIVVM, & video verissimum esse, quod canit Ecclesia. DEVS, *cui proprium est misereri semper, & parcere.*

Deinde colligo Christum, qua homo fuit, velut causam moralem per viam impetrationis, salutis nostræ fuisse, vt testatur Apo-
Hebr. 5. stolus in epist. ad Hebræos, dicens. *Exauditus est pro sua reuerentia.* Quanquam in Euangeliis sæpe demonstrauit se & causam fuisse efficientē, vt quando dixit ad Magda-
Luc. 7. lenam. *Remittuntur tibi peccata tua.*

Longius deinde procedens dicit. Obseruo eadem verba Imperandi modo expressa, vt intelligeremus, quam ardenti æstuaret desiderio gratiam dictam obtinendi. Videtur enim mihi in hanc formam voluisse loqui. Pater tanto ardeo desiderio consequendi quod postulo, vt cogar vti modo Imperatiuo. Quem ardorem non expressisset, si vsus fuisset OPTATIVO, dicendo verbi causa Gratissimū mihi faceres, si precibus meis annueres. Vellem te illis ignoscere. Opto, vt condones.

DENIQVE inquit, noto dicta verba esse tēporis præsentis, eundemq; ardorem non obscurè prodere, ac si dixisset. Pater æterne, ignosce illis iam iam, nec veniam differin eorum obitum, ideo enim non vtor verbo FVTVRO. Hoc, inquam, momento condonat illis, quo mortem pro illis oppeto, vt tanto tranquilliori animo expirem. Et Me-

MORIA

MORIA dicit. Recordor B. Lucam, dum agit de hac oratione, interponere tẽpus imperfectum. IESVS *autem dicebat. Pater dimitte illu, &c.* Vndè colligo, eum sæpius hanc orationem iteraſſe; id enim imperfecti temporis natura insinuat, & confirmat ardens Christi desiderium de impetratione. *Luc. 23.*

Post quas considerationes omnes subiicit VOLVNTAS: Ego experior in me inimicorum dilectionem tantum sumpsisse incrementum, vt vehementer exoptem, si sine offensione DEI, ac detrimento proximi fieri posset, iniuriis affici & contumeliis, quo aliquo modo conformare me possem cũ Duce & Capitaneo meo dulci IESV, ad excipiendas & condonandas iniurias parato.

TRANSIT hinc Intellectus ad vocem sequentem, ILLIS, dicens. Primum considero esse pronomen demonstratiuum tertiæ personæ, & colligo denotare *vniuersalitatem*, quam non denotant voces primæ & secundæ personæ: hæ enim paucas tantũ quasdã personas designant. Vnde hunc discursum facio. Varia genera personarũ præsto fuerunt in crucifixione IESV, & tamẽ Dominus in exoranda venia nullam facit exceptionem, sed generatim dicit *Dimitte* ILLIS quod est pronomen indefinitum neq; dicit.

Dimitte gentilibus, & non Iudæis, dimitte plebi, & non nobilibus.

Memoria ait. In mentem venit hoc loco oratio, quam S. Stephanus pro suis lapidatoribus habuit, teste B. Luca in Actis. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Et Intellectus vtramque inter se conferens, dicit, vocem ILLIS ambabus esse communem, indeque colligi S. Stephanum ex optimis Christi discipulis fuisse, qui lectionem magistri exactè repetiuerit. Tantum illud notato intercedere discrimen, quod Christus absolutè petiuerit quoduis peccatum condonari, Stephanus verò ad speciale peccatum respexerit, dicens. HOC PECCATVM.

TANDEM Intellectus & reliqua verba sumit expendenda. QVIA *nesciunt, quid faciunt.* Et discurrit in hunc modum. Video hoc esse adiectum, vel vt causam motiuam, qua Patri cœlesti persuaderet esse ignoscendum. Secundo considero, merito hanc causam allatam: quia gratiam postulare, nullamque postulati rationem dare; est hominum imprudentium, vel eorum certè, quibus cura non est obtinendi, quod petunt, ac ideo ad primam repulsam retrocedunt. Verum, qui alterius voto serio cupit facere satis, non modo causam profert suæ peti-

petitionis, sed etiam conatur optimam, efficacissimamque proferre ; vt erat hæc de IGNORANTIA, quam attulit amabilis IESVS. Etenim peccatũ hoc venia dignius est, quo minus est culpę affine minus aũt affine est, quominus est voluntarium. Accedit quod culpã minuunt plurimum animi perturbationes, ac inprimis timor, in constantem virum cadens, id est, tantus qui etiam virum animo fortem in ruinam impellere possit. Cuiusmodi timor primo nasci potest ex impendente periculo vitæ; quo perculsus Apostolus Petrus negauit Christum Secundo, ex metu amittendæ gratiæ virorum Principum; quo metu turbatus est Pilatus, cum Iudæi clamarent. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.* nam B. Ioannes subiungit. *Pilatus ergo cum audisset hunc sermonem, magis* TIMVIT. Tertio, ex periculo amittendæ famæ & bonæ existimationis apud homines: sicut accidit Iudæis vt persequerentur Christum, vt testatur Salomon Sapientiæ 2. c. his verbis. *Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à vijs nostris, tanquam ab immunditijs, &c. Venite morte turpissima condemnemus eum.* Quarto ex periculo fortunarum, si illæ perexiguę Ioan. 19.

sint, & ad vitam tolerandam necessariæ.

Longius vero progrediens Intellectus, ait. Minuit quoque voluntarium ignorantia, quia fieri non potest, vt quis dicatur voluntariè facere, quod facere nescit His duobus fundamentis positis, intellectus dicit. Inter eas personas, quæ interfuerunt crucifixioni Christi, alii ad tantum patrandum scelus inducti fuerunt metu, alii aliis de causis. Itaq; potuisset Dominus illos excusare per metum, sed non fecit, sed potius meminit ignorantiæ: etiamsi enim aliquãdo passiones multum extenuent rationem voluntarii, tamen sæpius id facit ignorãtia, & ideo Dominus hanc potius, quam illas pro eorum excusatione prætendit.

Sed dubitatio hic quædam oritur, subtilior credo, quam vtilior. An verè Iudæi cognouerint Christum esse filium Dei, nec ne? quam data opera prętermitto ob monita superius data.

Volvntas deniq; superioribus discursibus amplius commota, dicit. Iterũ firmiter apud animum meum statuo, me deinceps, auxiliante diuina gratia non solũ promptè iniuriam mihi illatam condonaturum, sed etiam autorem illius pro dilecto amico habiturum, & hoc nomine complexurum,

sicut

sicut amabilis IESVS Iudam complexus est, dicens AMICE, *ad quid venisti?* Conabor etiam eum beneficiis mihi deuincire, ac instar famuli inseruire, sicut Christus seruiuit Iudæ lauando ei pedes, & pretiosissimum suum corpus illi porrigendo, cum tamen sciret se ab eo prodendum, & vendendum.

FACIO finem huic Meditationi, adiuncta monitione, vt ne mireris voluntatem toties idem propositum ignoscendi inimicis renouasse. Id n. duabus ex causis factum est. Prior est, quia iste inimici amor, est quasi substantia & medulla totius meditationis. Posterior, quia quo crebrius bonũ propositum in voluntate confirmatur, hoc magis illam penetrat, & firmius ei inhæret, haud secus quam clauus ferreus sępius malleo impactus, & plus asserem penetrat, & tenacius inhæret. Itaq; si in aliis meditationibus tibi idem accidat, poteris eundem modum tenere. Finemq; facias cum huiusmodi Colloquio.

DOMINE, recordor te per sanctum tuum seruum Iob nos commonefeciſſe, inter vitia, quæ nostræ naturæ ex peccato originali acciderunt, non minimum esse, quod ne ad breue quidem momentum in bono

aliquo proposito persistamus. *Homo*, inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore*, &c. Ac postea subiicit. *Nunquam in eodem statu permanet* Atque ideo opem tuam imploro, & dico cum regio propheta. *Confirma hoc* DEVS, *quod operatus es in me*.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

EXEMPLVM MEDITATIONIS IN ACTIONES.

CAP. III.

ORo huius Meditationis argumento sumpsi sacram IESV Christi Coronationem, de qua Euangelistę sic scribunt. TVNC *milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorium, duxerunt eum in atrium prætorij, & congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: & veniebant ad*

ad eum, & genu flexo ante eum illudebant ei, & caperunt salutare eum, & dicebant. Aue rex Iudaeorum: & expuentes in eum, acceperant arundinem, & percutiebant caput eius arundine, & conspuebant eum, & ponentes genu adorabant eum, & dabant ei alapas.

ANTEQVAM meditationem aggrediare, preparationibus consuetis, summam historiæ recole. *Exuerunt Christum, induerunt purpura, & flexo genu dicebant. Aue rex Iudaeorum.* Pro petitione autem dic. Domine, obsecro, vt largiaris mihi gratiam, vt in imo corde persentiscam verecundiam, cruciatusque in hoc actu perpessos. Pro Loco imaginare atrium sat magnum, & regio palatio dignum, in eo vndique circunstantes milites, & Christum circa medium in vetusta sella assidentem. De hac autem actione primo considerare conuenit eius naturam, tum auctores eius, & circumstantias.

Quod ad primum attinet, dicit Intellectus. ACTIO hæc externa est, quia transit in subiectum ab agente distinctum, id est, in Christum Dominum. Et est ex eo actionum genere, quæ opus post se relinquunt. nam peracta actione Christus mansit coronatus. Progressus vero longius addit. Actio hæc non videtur mihi absimilis Tragœdiæ,

in qua repræsentatur regis alicuius coronatio, in qua duo fieri solent. primo Rex ornatur insignibus regiis, imposita in caput eius corona, cum porrigitur sceptrum, & purpura induitur. Secundo, à principibus regni genu flexo adoratur, & obedientia ei promittitur.

Adhæc inquirit Intellectus originem huius facti, & dicit. Ego credo causam coronationi datam, ex responso Christi ad Pilatum dato, cum quæreret, num esset ipse Rex, respondit enim. *Rex sum ego, & in hoc natus sum. sed regnum meum non est de hoc mundo.* Vnde colligo, milites cum viderent Christum esse in viuendi ratione securum, fortuna pauperem, viribus imbecillẽ, opinione hominum contemptum, in responsis parum prudentem, vt quod diceret regnum suum non esse de hoc mundo (forte enim neque credebant vitam aliam post hanc superesse) arbitrati sunt esse hominem infamem & faruum, secundum S. Hieronymum, nam & Herodes eum tanquam stultum veste alba amictum à se dimiserat. Cum quo conuenit, quod S. Paulus in priore epist. ad Corinthios scribit. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autẽ STVLTITIAM. Actio autẽ, inquit

1. Cor. 1.

inquit Intellectus, est: Imponere coronam spineam capiti Christi, vt refert S. Matthæus. *Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius* Hic Memoria ait, Recordor B. Ioannem ita loqui *Et milites plectentes coronam imposuerunt capiti eius*. Inter quæ duo loca, inquit Intellectus, hoc noto discrimē: quod primus dicat *posuerunt*, alter, *imposuerunt*, quasi dicas. *intus posuerunt* id est, capiti infixerunt Et ita factū credo, vt nempe coronam primo posuerint super caput: deinde crebris arundinis ictib. profundè infixerint. Ita enim scribit autor vetus, & Apostolorū seculo proximus Tertullianus. *Qua corona*, inquiens, *tunc Domini tempora & perfuderunt ludibrio, & lacerauerunt*. Quod fieri non potuisset, nisi improbi illi coronā cōpressissēt.

Hic VOLVNTAS mandat Applicationem sensuum institui, vt oculorum in conspiciēdo isto actu, qui dicant. Nos videmus Dominum non solum non retraxisse caput, sed etiā obtulisse coronationi. Intellectus vero breuiter ita ratiocinatur Ego tali gestu permotus, eius voluntatē scrutatus, liquido deprehendi etiam cum interno quodam sensu eam coronationē sustinuisse. Etsi enim non dubitem, acerbissimū fuisse dolorē, tum ob spinarum magnitudinē, tum ob naturalem

car-

carnis mollitiem, tamen eam generosissimo animo tolerabat. Ex qua fortitudine inquit Voluntas, pro mea confusione, colligo, primo meam vel ignauiam, vel miseriam, quod ad minimum etiã dolorem, ab igne, vel ferro perpessum, fœdos clamores, vel gemitus edam. Secundo, pro meo profectu propono, me deinceps constanti animo aculeata aliorum verba passurum. Si enim exigua hæc pati incipiam, spero Dominum mihi dicturum: EVGE *serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* hoc est, vt & verbera æquo animo ferre queas.

RESTAT, nunc vt materiam huius Coronæ expendamus, quam cerno, inquit Intellectus, esse spineam. Ac aduerto primo, spinas esse tenues, prælongas, acutas & duras, atque ideo habiles ad penetrandum cranii commissuras in intimum vsque cerebrum. Secundo, esse multas, iuxta sanctorum Patrum, piorum sententias. nec enim formam habuit; vt fere depingitur, circuli, vel serti, sed totum obtegebat caput. Vnde S. BERNHARDVS. *Sed & ipsa*, inquit, *eius corona cruciatus est ille, & mille punctura speciosum eius caput diuulnerat.* Hic Meditator commiseratione motus Colloquium instituit

Ber. serm. de passione.

cum

cum anima sua, dicens. Si tibi videtur S. Bernardus illa per exaggerationem locutus, perpende verba B. Vincentii sic loquentis in sermone de passione. *Et capiti eius imposuerunt coronam, quæ eum in capite in septuaginta duobus locis crudeliter vulnerauit: nam erat ad modum pilei.* Et S BRIGIDA c. 51. dicit. *Inde vero Christus meus, & caput totum spinarum punctura lacerabatur.* Ad quod institutum Memoria adducit figuram arietis, quem DEVS prouidit Abraham pro sacrificio filii Isaac. *Leuauit Abraham*, ait textus, Gen. 22. *oculos suos, viditq; post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus.* Stabat videlicet, implicitus densis veprium spinis. Vbi sic ratiocinatur Intellectus. Aries animal est satis grande & robustum, quod vi spinarum non facile retineri potuisset, nisi accessisset densitas. Itaq; concludo plurimos spinarū aculeos capiti Christi fuisse infixos, verūq; esse, quoddicit B. Augustinus, Christum ex abūdanti solitum explere figuras, quæ de ipso extiterunt.

Transit dehinc Intellectus ad subiectum actionis, dicens. Id video esse sacrum venerabilis IESV caput, in quo quia sedem suam habent omnes sensus, & initium capiunt nerui, in quibus consistit sensus Tactus,

m ini-

minime dubitãdum longe atrocioré fuisse dolorem, quam si quoduis aliud corporis membrum spinis fuisset confossum. Vnde commota voluntas, dicit. Statuo apud animum meũ, Deo propitio, deinceps, ad imitandum Magistrum, quemuis capitis dolorem patienter sufferre

ATQVE hic Meditator quatuor habet Colloquia, in quorum primo exemplo sponsæ Canticorum cap 3 dicit. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua* inuitando vna cum filiabus Sion animas pias ad videndum verum regem Salomonem ornatum corona spinea, qua coronanit eum nouerca sua Synagoga. Secundum Colloquiũ est ad Christum hoc modo. Domine, istæ spinæ tuæ sunt peccata mea, in hac animæ meæ terra à te quondam maledicta, exorta, de quibus doleo me nõ tantum dolere & pudefieri, quantum spinosarũ culparum numerus, grauitasque exposcit. Tertium Colloquium instituit cum anima sua, dicens. Quocirca, anima mea, cum conuenienter erratis tuis dolere nõ queas, abstine saltem deinceps ab illis, ne nouas spinas benignissimo IESV vereribus adiungas. Et reuersus ad IESVM dicit. Videtur mihi

mihi iam posse à te dici illud ex Canticis, *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. Imo Domine mi, verissimè dicere potes, nõ iam rore, sed sanguine plenum esse, quia omnia spinarum foramina copiosissimorum fontium instar cruorem effundunt Et hic Voluntas subdit. Constituo Domine deinceps & ego in sudore vultus mei animæ meæ proximorumque saluti incumbere, quousque per superiorum voluntatem licebit.

PROXIME sequitur consideratio de causa efficiente, vel auctoribus actionum. atque Intellectus dicit Primum earum auctorem inuenio Deum, quoniam ipse per Isaiam, sic loquitur. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Isa. 53. In quæ verba sic ratiocinatur Intellectus. Etsi verba hæc proprie ad flagellationem Christi respicere videantur, possunt tamen accommodari quoque coronationi. Cum enim verum sit, quod est verissimum, DEVM eum percussisse, & constet eius caput arundine non semel percussum à milite, cur negem eum tanquam primam causam quoque percussisse, maxime cum indefinita sit oratio, *Percussi eum.* Præterea, ait Intellectus, deprehendo causam eiusdem, sed specialem fuisse ipsum IESVM,

non

non solum consentiendo, sed etiam se offerendo. Ad quod propositum, ait Memoria, mihi duo loci occurrūt, alter noui, alter ve-
Ioan. 10. teris testamēti. Noui est S. Ioannis. *Ego sum pastor bonus, & animam meam pono pro ouib. meis.* Ac vt crederemus, eum non solum de permissione occumbendi locutum, subiungit, quod sponte etiam se velit ad mortem offerre. *Nemo*, inquiens, *tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Et subdit. *Et potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ex veteri testamento Memoria duo profert testimonia. Vnum è
Thren. 2. Threnis. DEDIT *percutiendi maxillam.* Alte-
Isa. 59. rum ex Isaia. *Corpus meum*, ait Messias ipse, DEDI *percutientibus, & genas meas vellentibus.* Vnde colligo, inquit Intellectus, ipsum voluntariè mortuum, maximè autem ex verbis, DEDIT, & DEDI, quæ sunt actiua, quæ forte prophetæ vsurparunt ad demonstrandam voluntatis actionem, qua se obtulit tormentis & morti.

Longius deinde procedens Intellectus ait Obseruo Pilatum fuisse causam quidem coronationis particularem, sed tamē principalem. Etiamsi enim non mandarit eam expresse, sicut ex Euangelistis deduci potest. S. Ioannes enim solus flagellationem illi

illi tribuit, dicens. *Tunc ergo apprehendit Pilatus* IESVM, *& flagellauit.* Et de coronatione S. Matthæus ait. *Tunc milites præsidis suscipientes* IESVM *in prætorium, &c. & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius.* Tamen dici potest mandasse eam tacitè: quia secundum quosdam, milites ideo ad coronationem processerunt, quia viderant eum tam asperam flagellationem non alia de causa imperasse, quam vt satisfaceret Iudæis, ac idcirco credebant se noua ista crudelitate sua etiam gratiam inituros apud ipsum. Quod si forte non fuerit causa efficax & positiua, fuit tamen permissiua vt affirmat S. LEO. *Pilatus* IESVM, inquit, *multis dehonestari ludibrijs, & immodicis vexari permisit iniurijs.* Quanquam fatendum est omnino, & verè auctorem fuisse, quia non solum potuit, sed etiam debuit eam impedire pro ratione officii & Magistratus publici quem gerebat, cui incumbit omnibus modis cauere, ne contra iustitiã quispiã puniatur. Accedit, quod auctores supplicii illius erant ex eius familia de qua peculiarẽ tenebatur Deo rationem reddere, si aliqua in re delinqueret. *Obedite* ait ad Hebræos B. Paulus, *præpositis vestris, &c ipsi enim pervigilant qui* RATIONEM *reddituri pro animabus vestris.*

Ioan. 19.

Matt. 27

Leo serm. 10. de pass.

Heb. 13.

stris. Hic memoria dicit. huc spectare seueram commonitionem factam in primo Regum Heli sacerdoti, quod negligenter educasset liberos. 1. Reg. 3. *Ecce ego facio verbum in Israhel, quod quicunq; audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa suscitabo aduersum Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius: incipiam & complebo. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem, eo quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Quare permota voluntas, siue Principis, siue Prælati vel superioris, siue Patrisfamilias, dicit. Propono me operam daturum, ne subditi mei facile delinquant, & cum deliquerint, correcturum. Video enim licet Heli suos liberos reprehenderit, tamen quia non fecit modo debito, non effugisse diuinam castigationem. Sic enim textus habet. 1. Reg. 2. *Quare facitis res huiusce modi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo. Nolite filii mei, non est enim bona fama, quam ego audio.*

Vlterius progressus Intellectus. Video, inquit, causam particularem, sed executricem huius actionis fuisse Pilati milites, siue exemplum eius, vt dixi, imitati fuerint, siue sua petulantia & insolentia incitati id fece-

fecerint, sicut fuerunt & Iudæi, siue consilio suo, vel fauore rem promouerint. Cum enim hoc spectaculum exhibitum fuerit in atrio Pilati, Principes Sacerdotum, & Magistratus, qui ante plebem ad ostium palatii operiebantur, videntes quo studia turbæ militaris spectarent, verbis & nutib eam animabāt Vnde Haymo annotauit Iudæos magnam voluptatem cepisse ex istis illusoriis genuflexionibus ante Christum, licet ægrè tulerint salutationem illam. *Aue rex Iudæorum.*

Denique cogito causam fuisse dæmonem, nam cum B Ioannes dicat, dæmonem suggessisse Iudæ vt venderet Christum, videtur mihi omnibus aliis persuasisse, vt operam suam conferrent ad affligendum & occidendum Christum. Quod ad tres extremas causas efficientes attinet intellectus indagans numerum dicit. Equidem credo in quaque cohorte multos fuisse, immò omnes. nam S. Matthæus sic loquitur. *Et congregauerunt ad eum* VNIVERSAM *cohortem.* de Iudæis idem affirmat S. Marcus, agens de Concilio generali pridiana nocte in ædibus Cayphæ habito. *Qui omnes,* inquiens, *condemnauerunt eum esse reum mortis.*

Ioan. 13.

Matt. 2.

Marc. 14.

Hi vero idem conati sunt persuadere toti plebi *Principes autẽ sacerdotum*, ait B. Mat-
Matt.27 thæus, *& seniores persuaserunt populis, vt peterent Barrabam, Iesum vero perderent.* Quod & fecerunt. *Respondens enim*, inquit idem, VNIVERSVS *populus dixit. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Postremo, puto probabiliter credi posse omnes quoque dæmones eo confluxisse; magna enim indignatione in illud efferuescebant, quod experti essent tam multos suæ tyrannidi subtractos.

PERGIT Intellectus indagare finem & scopum Agentibus iam dictis propositum. Ac imprimis Patris æterni scopum fuisse adIsa.53. uerto, quem ipse apud Isaiam expressit, dum ait. *Propter scelus populi mei percussi eũ.* FINIS vero Christi IESV inter alios multos fuit, vt nobis exemplum relinqueret, perferendi pœnas cum ludibrio coniunIoan.13. ctas *Exemplum dedi vobis*, ait apud B. Ioannem, *vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et hic Memoria dicit. Idem con1.Pet.2. firmo dicto B. Petri, dum ait *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

Tertio, apud Pilatum eundem finem fuisse credo, qui fuit in flagellatione, vt nempe

nempe immitia Iudæorum pectora ad commiseratione̅m tandem commoueret, & ideo eum in conspectum eorum produxit, dicens: ECCE HOMO Quarto militum scopus non alius fuit, quam vt ex hac Tragœdia suam caperent voluptatem, & recreationem, vt existimat S. Bernardus. Quinto Iudæorum pariter ac dæmonum non fuit dissimilis, nempe vt rabiem suam explerent in vindicandis damnis, quę à Christo, ante acceperant. Quare neque satis iis fuerunt vsitata supplicia, sed noua & peregrina excogitarunt, quæ cum acerbitate dolorum extremū dedecus, & ignominiam coniuncta haberent: vt sic opinionem sanctitatis populo omni: quam ante de illo habebant, eriperent. ECCE *enim totus mundus*, querebantur Iudæorum primores, & *adit post ipsum*. Et ideo B. Matthęus de Pilato dicit. *Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum.*

Ex horum finium quolibet Voluntas fructum capere gestiens, dicit. Ex primo disco propositum facere abstinendi à peccatis, quia illa sunt quæ pungunt caput mei IESV, plus quam spinæ, maximè autem peccatum superbiæ. Secundo, libenti animo amplectendi contumelias & cru-

ces cum speciali intentione Christum imitandi. Tertio, non præuaricandi amplius regulas, vel ordinationes maiorum meorum, ob metum vel gratiam hominum, video enim hunc agendi modum malè successisse Pilato Quarto, non approbandi recreationem aliquam, quæ possit vel in minimum dulcis Iesu contemptum redundare Quinto, forti animo perferendi persecutiones; etiamsi multi in eas mihi inferendas conspirent, exemplo Dauidis, vel potius
Psal. 26. Christi in psalmo quodam dicentis. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: & si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.*

Hvc vsque, vt liquet, Intellectus meditatus est circa Actionē huius mysterii primariam, nempe Coronationem Sed quia eius comites sunt aliæ quædam, conuenit & illas expendere, siue antecesserint, siue proximè sint consecutæ. Sunt autem in vtroque ordine triplices. De primis Intellectus sic loquitur. Animaduerte primam
Mat. 27. fuisse, quod detractæ sint illi vestes. Matthæus enim dicit. *Et exuentes eum.* Vbi consido id non feciſſe milites, eius honorandi, vel iuuandi causa, sed quod per debilitatem corporis id ipse feciſſet tardius, vel certe,

certe, quia suæ insolentiæ & petulantiæ exercendæ inhiabant. Itaque addidit memoria, non potuisse illos aspirare ad præmium, quod Christus promisit sibi ministrantibus *Qui mihi ministrabit, honorificabit eum pater meus.* Vnde colligo, ait voluntas, mihi deinceps amore Iesu omne seruitium, licet vilissimum, quod hominibus defero, illius honoris spe subeundum, quandoquidem sibi factum reputat, quicquid amore sui fecerimus aliis. *Quod vni ex minimis meis fecistis*, inquiens, *mihi feciſtis.* Ioan. 12. Matt. 25.

Adhæc considero, ait Intellectus, eos vt cito libidinē suam explerent, Iesum celerimē suis vestibus spoliasse, nimiaq; vi pellem ex recenti flagellatione adhuc vestibus adhærentem, atque etiam carnis frusta aliqua extraxisse. Vnde noui sanguinis fontes prorupere, & apparuit Christus potius animal excoriatum, quam homo viuus. Considero præterea nuditatem modestissimi Iesv, de qua loquens S Bernardvs, dicit. eum ob summam mētis puritatem, plus horruisse, vel vnum humerum ostendere nudatum, quam alii corpus totum.

Et quia homo verecūdus, semper agitare animo solet, quanto pudore fuerit suffu-

fus, per os Dauid ipse sic loquitur. TOTA *die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me*. Vbi Memoria recolit, quod in libro secundo regum narratur, Ammonitas legatis regis Dauidis
2. Reg. 10 rescidisse vestes vsque ad cingulum. *Erant enim*, inquit scriptura, *confusi turpiter valde*. Quod factum intellectus confert cum Christi facto, dicens. Turpiter confusi erant illi boni homines, quod dimidiæ tantum corporis parte vestibus suis spoliati essent, quanto turpius ergo confusus fuerit Christus spoliatus omnibus?

ALTERA actio ex præcedentibus coronationem fuit, quod amictus fuerit purpura, peruetusta scilicet & attrita, ac sub mentum in nodum astricta in humeros, more Imperatoribus vsitato, dependens. quam vidi, & manibus attigi in Ecclesia Lateranensi Romæ, adhuc sanguineis maculis tinctam. Vnde, inquit voluntas, summopere confundor, quod meminerim me sæpe magno pudore suffusum, quando non erant mihi tam comptæ vestes, quam optabam, sic vt etiam conspectum eorum defugerim, à quibus me videndum verebar.

TERTIA denique fuit contextio coronæ. Vbi cogito, inquit intellectus, nonnul-

los

los ad varia loca se contulisse, vt reperirent præacutas spinas, alios vero occupatos in modo recte eas plectendi, sic vt longiores, acutioresque partem interiorem spectarent, & facilius caput penetrarent.

QVOD ad actiones coronationem secutas attinet, prima fuit, quod porrexerint ei in manum dexteram arundinem: & paulo post rursum ademerint, vt ea verberarent caput, altiusque coronam infigerent, vt contẽplatur S Anselmus in dialogo de passione Domini. *Hanc coronam*, inquit, *cum lancea percutientes capiti eius imprimere conabantur, atque sanguis per eius faciem diffluebat.* Et B. Hieronymus in Matthęum. *An non*, ait, *contumelia Trinitatis est, quando in virga & calamo percusserunt Romani caput iudicis Israhel? dicentes. Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* alludens ad illud Micheæ. *In virga percutient maxillam iudicis Israhel.* Vnde sequitur eum non solum arundine, sed etiam hasta, nec in capite tantum, sed etiam in maxilla percussum. *Mich. 5.*

ALTERA actio fuit illusoria adoratio, dicendo: AVE *rex Iudæorum.* quæ præfigurata est apud Ieremiam. *Factus sum illis in parabolam & derisum.* *2. Reg. 12* *Iere. 24.*

TERTIA fuit, quod conſputus, & alapis cæſus fuerit. Circa quam Intellectus dicit. Ingens interuallũ & diſcrimen eſt inter ſalutationem & colaphizationem. Et tamen hos gentiles imitantur, inquit S. Bernardus, qui dum flexis genibus orant, mente diſtracti ſunt, quia Deum genibus venerantur, mente autem conſpuunt. Huc Memoria producit illud Iob. *Saturati ſunt pœnis meis.* Voluntas verò imperat applicationem ſenſus videndi, qui ait. Cerno diuinum vultum ex plagis tumidũ, vti prædixit Iob. *Exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, & facies mea intumuit.* Sic vt non agnoſceretur amplius. Vnde dixit Iſaias. *Non eſt ſpecies ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus. & quaſi abſconditus vultus eius: nec reputauimus eum.* Hunc tumorem, vel deformationem proculdubio non parum auxit, quod in iſta rabie etiam barbæ pilos illi euulſerint, vt prædictum eſt ab Iſaia. *Dedi genas meas vellentibus.*

Iob. 16.

Iſa. 53.

Iſa. 50.

SVPEREST tandem circumſtantias eiuſdem actionis examinare. Ex quibus, inquit Intellectus; prima eſt nota, nempe Loci, qui fuit atrium prætorii, hoc eſt, domus iuſtitiæ exercendæ deſtinata, & depellendis iniuriis, non autem inferendis, vti hic

hic factum est. Certè, si quæ Christo hic facta sunt, accidissent in patulo campo, vel sylua, aut retruso antro, vel certe in cubiculo aliquo, tolerabiliora essent; at facta sunt intra palatium, in domo publica & iustitiæ, & idcirco prorsus intolerabilia.

ALTERA Circumstantia, ait Intellectus, fuit Temporis, nempe frigidi, ita vt Petrus Apostolus præcedenti nocte opus habuerit se calefacere adignè: quod Christo non parum molestum fuit, cum staret nudus, pallio illo dimidia parte contectus. Quam molestiam auxit tēporis diuturnitas in ea adoratione consumpti Cohors enim militum, decima pars legionis est, quare aderant milites sexcenti sexaginta sex hoc ritu Christo illudentes. Finis demum huic Meditationi imponitur sequenti Colloquio ad Christum Dominum.

O Sapientia infinita. non potuit maior tibi inferri iniuria, quam quod tibi velut fatuo illuserint. Nam si negassent sapientiam tibi fuisse infinitam, non tanta fuisset iniuria, quia veræ sapientiæ nomen saltem tibi reliquissent, at postquam te cum fatuo contulerunt; omnem sapientiæ laudem tibi detraxerunt, Rogo te igitur

vt quo-

vt quoties iniuria aliqua in hoc genere afficiar, vt dicar homo exiguo ingenio, vel iudicio præditus, memoria recolam, quanta iniuria sis affectus, toleremque eam modeste & patienter.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

FORMA MEDITANDI tantum in Puncta.

CAP. IV.

PRo huius Meditationis argumento sumpsi Extremam Cœnam, quam Christus cum suis Apostolis instituit, tum quia sublimium mysteriorum plena est, & optimorum documentorum, tum quia commodè in tres partes distribui potest, secundum tria puncta, in quæ ordinariè Meditatio solet diuidi.

PRI-

PRIMVM PVNCTVM.

Dominus lauit Discipulis suis pedes.

OFFERT se mihi, inquit Intellectus, hic Actionum externarum aliqua, quæ post se relinquunt opus. Pro cuius intelligentia pleniore, primum expendam eius naturam cuiusmodi sit Secundo causam eius efficientem Tertio subiectum, vel personas, circa quas exercetur. Quarto, modū. Quinto, tempus quo facta est. Sexto, locum. Septimo, occasiones. Octauo, finem & scopum eius. Sed omnia breuiter: idemque in reliquis punctis duobus obseruabo, ne æquo longius Meditatio protrahatur.

QVOD ad naturam Actionis pertinet, dicit intellectus. Video esse eius naturale, vel materiale, esse LAVARE PEDES, morale verò, vel spirituale, esse actum maximæ humilitatis, vt ex sequentibus liquebit.

QVOD ad secundum spectat. Causam efficientem actionis video esse Christum. Cuius conditio prima, ad hoc factum spectans, augensq; humilitatem, est, quam explicat S.

Ioan-

Ioannes c.14 *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus* Significans eum habere potestatem & auctoritatem in omnes creaturas. Secunda est hæc. *Et quia à Deo exiuit.* nempe sicut naturalis Patris filius. Vnde Ecclesia eum vocat, *Deum verum de Deo vero.* Quod autem vt homo etiam exierit à
Luc.1. DEO, angelus dicit ad Ioseph. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Tertia est, quæ sequitur. *Et ad Deum vadit.* id est, ad Deum redit, vt sedeat ad dexteram Patris, cum eo regnaturus in sæcula sæculorum. Quarta est, quam ipse post
Ioan.13. actionem indicauit, dicens. *Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Quæ duo significant auctoritatem superioris, alteram supra discipulos, alteram supra subditos quosuis. De quibus conditionibus omnibus Intellectus hoc format argumentum Scio, quo persona nobilior & sublimior est, hoc actum vilem & abiectum eiusdem, reddi humiliorem. At constat Christi personã fuisse nobilissimam, nempe Dei filiũ omnium rerum Dominum, atque huius nobilitatis probè conscium: Lotionem verò pedum, quam exercuit, esse actionem vilissimam, quæ non solet nisi mãcipiis & abiectissimis

commit-

committi seruis. Cõcludo ergò hanc actionem Christi fuisse humilimam.

Quod ad tertium caput attinet, nempe personas, quibus loti sunt pedes. Videtur mihi, dicit intellectus, inde accessionẽ magnam fieri ad humilitatem Christi, primo, quia si officium hoc præstitisset angelis, nõ apparuisset tanta humilitas. Secundo, si viris illustribus: sed cum vilibus & pauperibus præstiterit, fuit humilitas humilima Tertio, quod præstiterit subditis & discipulis: minor enim fuisset humilitas, si non subditis lauisset. Quarto, quod demiserit se ad pedes Iudæ, à quo iam sciebat se prodendum. Et ideo credo Euangelistam eius rei meminisse, cum ait. *Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Immò in eam sententiam facile me adduci sino, vt credam cum quibusdam sanctis eum lotionem inchoasse à Iuda, quo illo honore delato emolliret eius cor; summo scilicet flagrans desiderio, eum à concepto iam scelere deterrendi, & saluandi. Atque hic Memoria subministrat exemplum practici & magna caritate Medici, qui, licet plures ægros visendos habeat, tamẽ initium facit ab eo, qui grauius decumbit. Vnde voluntas dicit.

Statuo

Statuo in animo meo, quoties à me officium vel seruitium aliquod præstandum erit pluribus, me antelaturum semper eum, à quo nonnullam vitio meo sensi auersionem Atque hoc satis sit de primaria Actione lauandi. Ad cuius complementum, inquit Intellectus, considerandæ à me sunt nonnullæ aliæ actiones particulares & accessoriæ. Equidem existimo, licet S. Ioannes tantum commemoret Christum aquam misisse in peluim, illum & peluim & aquam à Domino domus per se petiisse & in Cœnaculum attulisse: sicut enim citra operam alterius voluit infundere aquam, ita & reliqua, auctore Euthymio, voluit solus perficere *Credibile est*, inquiens, *& peluim à Domino domus, & aquam quæsiuisse atque portasse*. Id vero fecit, inquit Theophylactus, ad dandum exemplum nobis, *vt nempe sedulo ac gnauiter ministrantes, nullis aliis qui nobis subministrent, vtamur*. Atque hic potest fieri applicatio sensus visus, imaginando te videre Dominum totum intentum illi ablutioni pedum, omni studio illos lauando, & vndiq; expurgando, ac demum exosculando.

QVOAD Modum, quæ erat quarta consideratio, dicit Intellectus. Video tum

quæ

quæ ad animum spectant, de quibus agendum postea, tum quæ ad externa corporis, augere in hoc actu humilitatem. Primo enim dicit Euangelium eum *surrexisse* à mēsa, nec enim voluit sedēdo magnorum Dominorum more actum illum perficere. Secundò, vt expeditior sit ad opus, superiorem vestem deponit. *Et posuit vestimēta sua.* Nec mihi videtur probabile, quod dicit BEDA, eum se omnibus vestimentis exuisse, licet pluralis numerus vsurpetur, sed credo tamen denudasse brachia decenter, vt perfectè personam serui repræsentaret, secundum illud Apostoli. *Formam serui accipiens.* Phil. 2. Tertio, *cum accepisset linteum*, inquit Euangelista *præcinxit se.* Proprium enim est ministrorum, & opificū vt præcincti officium suum præstent, atque vt ipsi sese accingant. Quarto, eodem linteo, ad confirmandam dictam humilitatem, eorum pedes extersit. Cum ergò tot pedes abluerit & exterserit; necesse est eum valde madidū & sordidum ab opere surrexisse.

Intellectus deinde prosequēs discursum circa interna animi, ait. Cogito humilitatem illam altas radices egisse in imo corde, vt apparet ex dicto illo Petri. *Tu mihi lauas?* temporescilicet præsenti: nec enim Domi-

nus lotionem tunc adhuc inchoarat Coniecit nimirum discipulus ex promptitudine illa externa Domini, iam trahentis pedes in peluim, & alia agentis, eum prorsus ita statuisse. Deinde colligitur ex industria, qua conatus est persuadere Petro, vt sineret se lauari Cum enim videret laborare eũ mera mysterii ignorantia, ei dixit. *Quod ego facio, tu nescis modo.* Quasi dixisset. Ego te excusatum habeo, quia nescis quid arcani in hoc meo facto lateat Verum quia aduertit Dominus hanc monitionem nõ illi suffecisse, addidit. *scies autem postea* erat enim illi arcanum illud postea patefacturus. Ac quoniam Dominus firmiter constituerat hunc actum perficere, adiunxit ad frangẽdum animum Petri terribilem illam comminationem. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Quo dicto quasi iugulatus se pronum abiecit in terram, dicens *Non tantum pedes, sed & manum & caput.* Vnde voluntas concludit. Propono apud animũ meũ, à bono opere semel inchoato siue reducendus sit aliquis à peruersa vita, ad sanctam, siue à sancta ad sanctiorem, nunquam destiturum, etiamsi multa incurrerent, quæ à cæpto me deterrerent, sed cum amabili Iesu eo vsquè prosecuturum, donec ad optatũ finem perducatur.

RESTAT

RESTAT examinanda circũſtantia TEMPORIS. Et primum, dicit Intellectus, ſi tempus vniuerſale ſpectatur, hanc actionem Dominus exercuit in fine ſuæ vitæ: ſi particulare, circa medium cœnę, nam S. Ioannes ait. *Surgit à cœna.* interrumpere cœnam, actio ſeruilis eſt; proprium enim ſeruorum eſt, ſæpe intra cœnam ſurgere. *Secũdo* lauit pedes Iudæ, cum iam animo verſaret prodendi cogitationes. Tertio lauit, nõ multo poſt litẽ ipſorũ, quis videretur eorũ maior, vt etiam exemplo dirimeret illã, ſciens plus mouere exempla, quã verba. Deinde cogito multo tempore duraſſe hanc lotionẽ, quia omnibus duodecim lauit, & diligenter. *Ioan. 13.*

QVOD cauſam motiuam & finalem attinet. Exiſtimo, inquit Intellectus, ad hanc actionem permotum Chriſtum, ſtudio perfectionis eorũ & noſtri, cuius vnicũ & ſolidũ fundamentũ eſt humilitas, vt docet Auguſtinus in ſermone 10 de verbis Domini his verbis. *Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamẽto prius cogita humilitatis.* Pro fine autẽ habuit, vt doceret nos imitari ſuum exemplũ, vt teſtatur Euangeliſta *Exemplum dedi vobis*, inquit Chriſtus, *vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Atque hic tranſit ad breue colloquium

cum anima ſua. Nota diligenter anima mea, non eum dicere, ſe id feciſſe, vt ſciremus tãtum, ſed vt opere quoq; imitaremur. & meritò. Nam vt verum dicam, de hac virtute, vti de quauis alia rectiſſimè dicitur; Hoc plus ſciri de ea, quo plus exercetur. Vnde & poſt allata verba mox ſubiecit Dominus. *Si hæc ſcitis.* vt doceret neceſſariam cognitionem, ſed quia ſola non ſufficit, addidit *Beati eritis, ſi feceritis ea.* Ecce perſpicuè demonſtratã ſublimem huius Actionis humilitatem. Et hoc ſatis ſit, pro cõſideratione primi puncti.

Verum quia in reſponſis S. Petri multa documenta ſpiritalia latent, antequam ad ſecundum veniamus, breuiter illa excutiamus. Ea igitur ob oculos ponens intellectus, ait. Credo Apoſtolum in illo actu memorem fuiſſe notitiæ à Deo reuelatæ, cum diceret. *Tu es filius Dei viui.* & ideo cum videret Chriſtum ſeruili illa ſpecie aduolui ad pedes, attonitum reſpuiſſe lotionem, dicendo. *Tu mihi lauas pedes?* Quæ verba merito admiratus S. Auguſtinus *Quid eſt*, MIHI? *cogitanda ſunt potius, quam dicenda.* innuens multa documenta illis contineri Aliqua ſubiiciam.

Tract. 56. in Ioan.

PRIMVM eſt, hominem ſpiritualem non tantum

tantum interna humilitate, qua censet se omni honore indignum, esse debere conspicuum, sed etiam externa, demonstrando eam palam, vt hic fecit S. Petrvs, cum diceret *Non lauabis*. Secundum sit perseuerandum esse in bono opere semel inchoato, vt indicat verbū illud *in æternum*. Tertium, vt quando animaduertimus opus aliquod inchoatum sine vitio non posse perfici, illud deseramus cum S Petro, qui cum notasset se reum culpæ alicuius fore, si non acquiesceret Christi desiderio, mutato consilio mox dixit *Non tantum pedes, sed & manus & caput*. Quartum est, non plus æquo fidendum in bono opere bene inchoato, nisi in eo perseueretur, vt liquet in eodem Petro. cui licet aliquādo dixisset Christus *Beatus es Simon Bariona*. tamen quia in hoc facto obedire noluit æternam comminatus est separationem à se. Quintum est, quod qui aliquando inspirationi diuinæ resistit, etiamsi alias eidem sit obsecutus, reformidare debeat iacturam pristini feruoris. Sextum. quod etiā amicus, quam primum innotuerit illum viam virtutis deserere, & commonefactum non resipiscere, sit fugiendus & cauendus: quod & Christus minatus est Petro. Septimum, quod potius *Matt. 16.*

omnia incommoda, à quibus tamen peccatum abſit, ſint perferenda, quam conſuetudo piorum ſanctorumque hominum negligenda: ſicut paſſus eſt cum ſumma ſua verecundia B. Petrus ſibi lauari pedes, ne à Chriſto diuelleretur. Octauum, quod, vt primum ſubditus cognouerit actus humilitatis, in quibus ſe exercet repugnare ſuorum ſuperiorum voluntati, ab illis abſtineat. Nonum eſt. concionatores & Prælatos debere prius manibus docere virtutem, exercendo illam, quàm lingua, ſicut fecit Chriſtus, qui primo lauit pedes, poſtea dixit. *Exemplum dedi vobis.* Poſtremum ſit. Subditum non debere voluntati ſuperiorum facile reſiſtere, ob periculum errandi, ſicut accidit B. Petro. Atqve hic ecce vides perſpicuè praxin abundantiæ venationis ſpiritualis, cuius ſupra facta eſt mentio. Finisque huic primo puncto imponitur vno Colloquio ad virtutem S. Humilitatis inſtituto ſub hac fere formula. O raram, & ideo admiratione dignam virtutem. Tanta eſt tua dignitas, & tam præſtans natura, vt non poſſis apprehẽdi, multo autem minus comprehendi à nobis miſeris & vilibus in hac lacrymarum valle, niſi ipſe filius Dei cœlo delapſus ad eam non verbis modo,

ſed

sed factis etiam docendam ad nos veniſſet. Et quoniam nihilominus vix ſubmittere nos, vti arrogans & erecta adhuc eſt natura noſtra, mi Domine poſſumus, rogo te, vt mihi tantum ſuppedites auxilii, vt diffracto ſemel abominabilis ſuperbiæ capite, meæ mentis ſinum poſſim laxare, & tuæ humilitatis theſauro adimplere.

PVNCTVM II.

Inſtituit Sanctiſſimum S. Euchariſtiæ ſacramentum.

RVRSVS mihi hic ſe offert Actio externa, quæ opus aliquod poſt ſe relinquat. nam poſt panis & vini conſecrationem reſtat corpus & ſanguis Chriſti Domini, & tamdiu perſeuerat, quamdiu ſpecies panis & vini incorruptæ perſiſtunt. Vt ergo intelligam dictæ actionis naturam, & dignitatem operis ea producti, dabo operam, duce fidei lumine, ſedulò expendendis conſuetis capitibus. Ac primum quidem naturæ & eſſentiæ: ſecundo cauſis efficientibus: tertio inſtrumentali: quarto motiuis: quinto fini & ſcopo: ſexto tempori: ſeptimo & vltimo, modo quo fecit, breuiter attingendo aliquid de quoq; capite.

QVOD ad primum attinet, dicit Intellectus Firmiter credo hanc esse Actionem supernaturalem & miraculosam, qua panis vinique, substantia, mutatur in corporis, sanguinisq; purissimi Christi substantiam. Et ideo proprio nomine ab Ecclesia vocatur TRANSVBSTANTIATIO. vnde Christus ipse dicit *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Quibus in verbis animaduertēs Intellectus Dominum cibum hunc animę spiritalem, conferre cum materiali corporis, dicit. Volo inuestigare, in quibus cōditionibus conueniant, & in quibus discrepent Primum autem inuenio conuenire in eo, quod vt materialis cibus habet sustentare vitam naturalem in corpore & augere: sic hic spiritualis vim habeat sustentandi augendiq; vitam spiritualem in anima, quę vita consistit in diuina gratia, & vocatur vita in Christo Qui modus loquēdi sumptus est ex illo Christi dicto in eodem capite. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me* Hinc verò intellectus migrans ad ea, quæ non conueniunt, dicit. Video cibum materialem non semper augere corpus, vt quando homo peruenit ad statum, vt dicitur, Consistentiæ. verum hic cibus spiritalis semper adauget gratiam in anima, nullus enim in

Ioan 6.

hac

hac vita eius incremento terminus est definitus. Secundo, ille cõuertitur in substantiam eius qui illum sumit: nam cum calor naturalis sumentis potentior sit, transmutat cibum in sui subiecti naturam. at in hoc euenit contrarium, cum enim sit manducante potentior, conuertit illum potius in in se, vt bene tradit B. AVGVSTINVS. *Cibus,* inquiens, *sum grandium. cresce & manduca-bis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Secundo, cibus materialis solet voluptatem afferre corpori, sic & hic spiritualis animæ. Vbi Memoria suggerit bina scripturæ loca. Ex Genesi illud. *Præbebit delicias regibus.* Ex psalmis verò. *Parasti in dulcedine tua pauperi* DEVS. Hoc tantum differunt, quod ille vnum tantum saporem, & aliquando ingratum præbeat, hic verò omnes sapores, eosq; gratissimos semper reddat, sicut canit Ecclesia. *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem.* Sicut & de eius figura Manna scriptum est. Quanquam verum est, vt hi sapores percipiantur, opus esse vt cibus iste cœlestis fidei caritatisq; dentibus masticetur; sicut necesse est, & materialem masticari vt gratus aliquis sapor percipiatur. TERTIO, sicut ille confortat corpus;

Aug. 7. confes. c. 10.

Gen. 49.
Psal. 67.

ne faeile labatur, sic hic animam, ne labatur in peccatum, teste S. Cypriano, dum ait. *Manifestum est eos* IVVARI, *qui corpus eius attingunt, vt verè Eucharistiæ communionem accipiunt.* Similiter S. Bernardus ait. *Minuit sensum in minimis, & grauioribus tollit omnino consensum.* Expendens autem Intellectus, quomodo hoc fiat, dicit. Equidem arbitror primo eius beneficio remoueri peruersas cogitationes ad peccandum incitantes. Secundo, concupiscentiæ impetum refrenari, temperãdo humores. Tertio tolli occasiones externas. Quartò phantasma moueri recordatione suppliciorum impiis decretorum. Quinto excitari cogitationes, & desideria æternę gloriæ. QVARTO, quemadmodum cibus materialis corpori submistrat vires ad sustinendos labores, sic hic suppeditat vires animæ ad exercenda virtutum opera. Atq; indagans hic modum, quo id fiat, dicit. Credo id aliquando ab eo fieri excitando immediatè voluntatem, vt velit, aliquando etiam commouẽdo appetitum sensitiuum, siue id fiat agitando humores & spiritus, siue per redundantiam voluntatis. Probe obseruo, inquit Intellectus, vt finis huiç discursui imponatur, multis prærogatiuis hunc cibum spiritualem superare materialem.

terialem. Vna est, quod hic prodesse non queat nisi corpori viuo, ille verò possit & animæ mortuæ (mortuæ dico morte spirituali peccati, nam natura sua est immortalis) In aliquibus enim casibus potest conferre primam gratiam. Altera est, quod cibus materialis exerat vim suam tantum in corpus, ac spiritualis in animam & corpus, tum quia eius adhuc in vita existentis humores, modo iam dicto, attemperat, tum quia post mortem illud resuscitat ad vitam immortalem, sicut ipse Christus prædixit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. & ego* RESVSCITABO *eum in nouissimo die.* vnde S. IGNATIVS vocat *pharmacum immortalitatis* & Concilium Nicænum, *Symbolum Resurrectionis.* Nec mirum. Si enim Christus solo tactu manuum suarum resuscitauit filiam reguli, cur caro nostra toties sanctissimo corpore Christi contacta vim resurgendi non accipiat? Quam in rem GREG. Nyssenus affert similitudinem fermenti, quod totam massam in se conuertit. Et nos videmus ferrum à Magnete tactum attrahere etiam aliud ferrum. Ioan. 6.

SEQVITVR vt consideremus Causam efficientē actionis, de qua Intellectus dicit.

Eam

Eam video esse ipsum Christũ, quia omnipotens est, quia vnam substantiam in aliam transmutare non potest, nisi cuius infinita est potẽtia; sicut quod seipsum propriis manibus potuerit dare sumendum Apostolis, sicut Ecclesia canit. *Turbæ fratrum duodenæ se dat suis manibus.* Et multa alia miranda quæ in institutione huius mysterii continentur vt merito dixerit Psalmista. *Memoriã fecit mirabilium suorum.* Secundo est idem Christus, qua sapiens est. Sapientia enim in eo demonstrata est, quod sub panis & vini accidentibus, viuam carnem suam & sanguinẽ occuluerit, vt horrori, si propria specie apparuisset, non esset communicãtibus. In cuius confirmationem Memoria adducit, quod discipuli, cum verba illa Christi, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, nimis carnaliter intellexissent, dixerunt. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?*

Psal. 110.

Ioan. 6.

CAVSAM instrumentalem, qua Christus vsus est in hac actione perficienda inquit Intellectus, video esse verba ab eo prolata. *Hoc est corpus meum.* Quæ verè vim & efficaciam habent transubstantiandi panem in Christi corpus, & vinum in sanguinẽ Christi: tantæq; virtutis sunt secundum Theologos

logos, vt si Christus ante non existeret, de nouo eum producerent. In cuius rei confirmationem Memoria adducit miraculum à Christo factum, quando filium viduæ verbo solo restituit vitæ, dicens. *Adolescens tibi* DICO *surge.* Luc. 7.

Quod ad MOTIVAS causas attinet, etsi credo, inquit Intellectus, fuisse multas, cõtentus tamen ero consideratione vnius, nempe Bonitatis & amoris. Quemadmodum enim illa permouit æternum Verbum vt per vnionem personalem se sanctissimæ Christi humanitati communicaret, quippe cum naturalis eius proprietatis sit se ad alios diffundere: sic eundem promouit, vt migraturus ex hoc mundo se nobis communicaret sacramentaliter sub panis & vini integumento. *Delitiæ enim meæ*, inquit alicubi, *esse cum filiis hominum.* Cum enim Prou. 8. præsentia naturali nobiscum manere non deberet, inuenit modum verè manendi nobiscum, sed præsentia supernaturali, vel sacramentali. Longius verò progrediens Intellectus dicit. Scio, proprium amoris effectum esse, constringere amantes, vt quam arctissima inter se consuetudine vtantur: cum verò amor humanus nõ longius constringere queat, quam secundũ præsentiam exter-

externam, diuinus in Christo amor per sanctam communionē inuenit, vt etiā amantes secum constringantur interius in anima, & quasi vnum quiddam secum efficiantur. Sicut enim verè dicere possumus cibum quem sumimus, cum in carnem nostram & sanguinem transeat, fieri vnum nobiscum, sic nos per hoc sanctissimum sacramentum vnum reddimur cum Christo. Quare S. Cyrillus Hierosolymitanus asserit dignè communicantem fieri cōcorporeum & consanguineū Christi, conuenienter dicto Christi.

Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*

QVOD ad Finem in institutione huius Sacramenti Christo propositum spectat, Primum video, ait Intellectus, esse illum,

1. Cor. 11. quem ipse his verbis expressit. *Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* hoc est, meæ passionis & mortis. In cuius confirmationem, dicit Memoria, propono quod B. Paulus in priore ad Corinthios scripsit. *Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicē bibetis, Mortem Domini annunciabitis.* Secūdus finis est, vt nos pelliceret in amorē sui. Videtur enim mihi se quodammodo accommodasse huius mundi amatoribus, qui nonnunquam vt homines ad amorē sui tra-

hant,

hant, illis cibum præbent, vel potum amatoriū. Cum enim sit ipse amor, (*Deus*, inquit B Ioannes, *caritas est*) in ipsam hostiā se inclusit, vt sic in amorem sui nos traheret 1. Ioan. 4.

MODVM demum perpendens intellectus, quo actio hæc peracta est, dicit, Lego exterius talem fuisse. Accepit Dominus panem in manus suas, fregit, benedixit, consecrauit, & dedit Apostolis. Internum verò Christi affectum ad hanc actionē vehemēciſſimum fuisse colligo ex illa congeminatione verborum. DESIDERIO *desideraui hoc Pascha manducare vobiscum* Deinde, quod vt induceret nos in amorē huius nobiliſſimi cibi, mirificè prædicat eius vim & efficaciam, quod est proprium amātium. Nam nunc promittit non solum præsentiā externā, sed etiam intimam suā nobiscum vnionem inde futurā *Qui manducat*, inquit *meā carnē, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo* Nunc addicit & vitam æternam. *Si quis māducauerit ex hoc pane, viuet in aternū.* Nunc deniq; minatur mortē æternam, si illum non sumamus *Nisi manducaueritis*, inquiens, *carnē filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Finem facit, facto cum anima sua colloquio, hoc modo Lauda anima mea Luc. 22. Ioan. 6.

Salua-

Saluatorem, ducem & pastorem in hymnis & canticis Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, quam laudare sufficis. Pastor tuus est, & tuum pabulum cum quo, tanquam viatico, conducit te ad æternum tabernaculum Crebro itaq; te hoc cibo pasce, & toto pectore desidera, ac etiam pro viribus procura, vt multi pascantur tecum, nec enim etiamsi à mille millibus sumatur vnquam consumitur, sed potius in regno suo magis magisque crescit & dilatatur.

PVNCTVM III.

Mandauit Christus discipulis, vt se mutuo diligerent.

CONSIDERO, inquit Intellectus, impri-mis Christum hanc doctrinam in persona Apostolorum dedisse omnibus eorum posteris. deinde non dedisse per modum consilii, sed præcepti. *Hoc est* PRÆCEPTVM *meum*, ait, *vt diligatis inuicem* quo clarissimè declarat amabilem in suos omnes prouidentiam, dum vnicuiq; mandat, vt omnes amet. Vt autem mutuum hunc amorẽ nobis persuadeat; vocat hoc præceptum suum NOVVM, dicendo. *Mandatum nouum do vobis*, quo

Ioan. 15.

bis, quo nouitate sua nos ad eius obseruationem pelliceret. Omnia enim noua, vt vulgo dicitur, placēt. Meritò autem deprehendo vocari nouum, quia obseruatum verè hominem renouat à peccati vetustate, secundum illud Apostoli. *Si qua ergò in Christo noua creatura, Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua.* 2. Cor. 5. Secundo, quia etsi in lege veteri mandatum fuerit, vt proximum diligeremus, tamen mādatum est tantum, vt eum diligeremus sicut nos ipsos: at in noua Euangelica additur, vt diligamus etiam supra nos ipsos, profundendo, scilicet vitam, pro eius salute. Vnde S. Ioannes dicit. *Maiorem caritatem nemo habet, quam Vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. Tertio dicitur nouum ob nouitatem Euangelii, quæ appellatur Lex noua, eo quod contineat spiritum nouum filiorum DEI, non vt in veteri lege seruitutis, secundum illud B. Pauli. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum.* Rom. 8. Quarto eundem Domini affectum colligo ex eo, quod vocet præceptū suum. *Hoc est præceptum meū, Vt diligatis inuicem.* Etenim, cum verus amicus nō solum amore complecti soleat amicum ipsum, sed etiam res eius, ad ipsum pertinentes, ita Chri-

ſtus ſupponens quod amarent ſe, poſtulabat vt etiam hoc præceptum velut ſuum amarent. Ac intellectus porrò indagans cauſam cur vocet ſuum, dicit ſe credere ita vocare, eo quod ipſe non ſit aliud quã amor, ac proinde ſuum præceptum recte dicatur, quia ſimile ſibi. ſicut multorum filiorum pater, de vno, qui ſit illi ſimilis in vultu, vel moribus dicit: Hic eſt filius meus. In cuius confirmationem Memoria dicit. Huic propoſito ſeruire videtur S. Ioannis reſponſum diſcipulis datum, cum percontarentur, cur toties repeteret dictum illud. *Filioli diligite alterutrum*. reſpondit enim, *Præceptum Domini eſt, &c.*

Hieron. in cap. 6. ad Galat.

Animaduerto præterea, inquit Intellectus, non fuiſſe ſatis Saluatori dediſſe hoc præceptum, ſed etiam motiua adiunxiſſe, quibus ad illud obſeruandum incitaremur. Primum fuit exemplũ ſuum, *Sicut*, inquit, *ego dilexi vos*. quaſi diceret. Non mando vobis rem impoſſibilem, quippe cum ego id præſtiterim, amando vos, Secundum, eſt, & ſic cõciliaturi ſimus eius amicitiam. *Amici mei eritis*, inquit, *ſi feceritis, qua ego præcipio vobis*.

Deinde noto, pergit intellectus, Dominum definiſſe & modũ, quo debeamus nos inui-

inuicem diligere, dicens. *Sicut ego dilexi &c.* Qui modus, licet multa cõprehendat capita, ego duo tãtum attingam Vnus est, quod dilexerit omnes. Quare neq; nos aliquẽ excludere debemus à nostra amicitia, etiã inimicum, quandoquidẽ Christus nec exclusit Iudam suum proditorẽ. Secundus est, quod sic dilexit vt vitam posuerit pro amicis, iuxta doctrinam à se traditam, cum diceret. *Maiorem caritatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15.

Deniq; vt amorem illum mutuũ omnino nobis inculcaret, voluit illum esse symbolum, quod essent sui discipuli. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Quibus verbis hanc puto subiectam esse sententiam. Non ex ieiuniis; aut vigiliis, aut cætera vitæ austeritate, vt discipuli S Ioannis Baptistæ, dignoscemini esse mei discipuli, nec ex superstitiosis & externis ceremoniis, sicut Phariſæi: nec demum ex miraculis, quæ patrabitis, sed duntaxat ex illo cõmuni omniũ amore, quem volo esse signũ, & proprium Christianismi characterem. Hunc certe in intimis animi visceribus insculptũ demonstrauerunt primi Christiani, quorũ, vt scribit B. LVCAS in Actis, *erat cor vnum &* Ioan. 13. Act. 4.

anima vna. Immò scribit Tertullianus eos quasi in fronte signatos tantum factis ipsis in proximum declarasse amorem, vt ethnici stupore defixi dicerent. Videte quo se porrigat Christianorum caritas, qui mutuo se appellant fratres, & tanquam fratres se tractant, ac parati sunt pro se mutuo sanguinem profundere.

Matt. 18. Ex omnibus hactenus dictis, & ex illo, quod semel dixit Dominus: *Vbicunq; fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* colligo, inquit Intellectus, omnes qui in cœtu multorum viuunt, debere omni studio & industria semper cõseruare, ac augere mutuum hunc amorem: sic enim indubitanter confidere poterunt Christum in medio eorum semper versaturum, omniq; fauore & gratia eos prosecuturum. Eadem quoq; sollicitudine quilibet cauere debet, ne vel minimam occasionem præbeat, vt amor ille mutuus imminuatur, vel lædatur: alioquin enim facile ex eorum medio recedere posset Christus, vel pristinus feruor restingui. Ad quod confirmandum memoria adducit pulchram illam B. Augustini in sermone 5. de dedicatione Ecclesiæ similitudinem. *Ligna*, inquit, *& lapides, si non sibi certo ordine cohærerent,*

rent, si non se pacifice innecterent, si non se inuicem coharendo sibi quodammodo amarent, nemo huc intraret. Deniq; quando vides in aliqua fabrica lapides & ligna sibi coharere, securus intras, ruinam non times. Haud secus timere debent qui vitam agentes in communi aliorum cœtu hanc vnionem labefactant, & causam præbent vt amoris fraterni ardor euanescat Quibus adiungit Intellectus. Meritò Dominum tam horribiliterminatum esse iis qui vel paruulis offendiculo fuissent, cum diceret. *Qui scandalizauerit vnum ex istis pusillis, qui in me credunt, expedit vt mola asinaria suspendatur in collum eius, & demergatur in profundũ maris.* Quanto amplius timere debet is, qui multos scandalizat litibus suis & contentionibus, atque vt ita loquar, Christum ex congregatione sancta quasi explodit. Atq; hic meditator interno spiritu accensus, secum Colloquium sequens instituit. Ne fallaris anima mea, vt credas te amare proximum, & reuera non ames, audi quid dicat B. Gregorius homilia 20. in Euangelia. *Signum dilectionis, exhibitio est operis.* Opera autem illa describit accurate Apostolus in epistola priore ad Corinthios. *Caritas patiens est, benigna est, non amulatur, &c.* Quæ

Matt. 18.

1. Cor. 13.

vt melius obserues breuem subiiciam expositionem ex S. THOMA, supponendo Caritatis nomine non intelligi aliud, quam amorem mutuum, quo fideles se mutuo propter Deum complectuntur. Cuius proprium officium sit, ita amare hominem, vt ad cõseruandam cum proximo amicitiam, quicquid necessarium est, agat vel patiatur.

Incipiens autem Apostolus à patiendo dicit Caritatem esse PATIENTEM, multa enim toleranda sunt ex caritate, vt scribit in 2. ad Corinthios cap. 11. Tam grandis autem est hæc patientia caritatis, vt nullis aduersitatibus possit expugnari, secundum illud ex Canticis. *Aqua multæ non potuerunt extinguere caritatem: nec flumina obruent illam.* Nec satis est esse patientem, ad retinẽdam amicitiam, sed etiam multa oportet agere, & aliquãdo de propriis fortunis proximo aliquid communicare, & ideo adiungit BENIGNA *est*. Quæ vox composita est, à bono, & igne. Sicut enim ignis vim habet niuem vel glaciem constrictam dissoluẽdi, vt per terram diffluat, sic Benignitas facit vt bona nostra dispergamus in proximum, secundum illud Spiritus sancti monitum *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Et S. Ioannes disertè negat contrarium

Cant. 8.

Prou. 5.

trarium facientem præditum caritate. *Qui habuerit*, inquit, *substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo*? Et quia supponit Apostolus, caritatem nō permittere, vt opere mali aliquid fiat fratri, declarat, nec permittere, vt fiat affectu; quod fieret, si doleret de prosperis eius successib. hoc enim est inuidiæ, Vnde mox addit Apostolus. NON ÆMVLATVR, nam cum caritas faciat, vt amicum diligamus, sicut nos ipsos, facit etiam vt gaudeamus de bono eius, æquè ac de proprio. Vnde consequitur, eam multo minus toleraturam, vt factis aliquē lædat. Et ideo subiicitur. NON AGIT PERPERAM, hoc est, nō sinit damno aliquo affici amicum: cum certus sit non posse inferri malum ei, quem amat tanquam seipsum. 1. Ioan. 3.

HÆ iam dictæ virtutes, vt vides, hominem Christianum in communi muniunt & corroborant; ac sequentes eum armant cōtra tres speciales animi affectiones, quæ facile possint detrimentum afferre proximo. Prima est existimationis & honoris proprii, & ideò dicit Caritas NON INFLATVR. neque enim patitur vt vel interius in animo quis contra alium insolescat,

cum constet id non posse fieri, sine alterius contemptu. Vt ergo nemo se contemnit, ita salua caritate qua proximum amat sicut se, non potest alium contemnere. Ac eadem de causa non potest ambire, vt sit illius superior, & ideo adiungit. NON EST AMBITIOSA, immò potius optat se subiici omnibus,

Gal. 5. illisq; seruire, sicut S. PAVLVS consuluit Galatis. *Per caritatem spiritus seruite inuicem.* Altera affectio praua, quam refrænat Caritas, est amor opum. Vnde si quis amico aliquid donarit, vel mutuo dederit, vel alio modo impertiuerit, non quærit, nec repetit eam eo modo qui amicum possit turbare, vel scandalizare, & ideo sequitur. NON QVÆRIT *quæ sua sunt.* Nec vlla ratione sibi vsurpat, vel procurat, quod videt pertinere ad amicum, sicut de se loquitur Paulus ali-

2. Cor. 10. bi. *Non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Vnde & reprehendit

Phil. 2. eos in ep. ad Philipp. qui caritatis huius sunt expertes. *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ* IESV *Christi.* Tertia affectio, quam caritas moderatur, est IRA. & ideo subiungit. NON IRRITATVR. hoc est, non sinit se prouocari ad indignationem cõtra quemquam propter iniuriam aliquam illatam, sed potius omnia cõdonat secundum consilium

silium Pauli Colossensibus datum. *Donantes vobismetipsis, si quis aduersus alium habet querelam.* Col. 3.

Armat adhæc Caritas Intellectum, ne malum cogitet de proximo, & ideò dicit Apostolus. NON COGITAT *malum.* Cuius dicti duplex est sentētia. Vna, quod non permittat in mentem venire cogitationem de alio lædendo, quales cogitationes detestatur meritò propheta Michæas, dum ait. *Va qui cogitatis malum, & operamini malum in cubilibus vestris.* Mich. 2. Altera, quod nec admittat siniſtras suspiciones & iudicia de aliis. cuiusmodi & Christus reprehendit apud B. Matthæum. *Vt quid cogitatis malum in cordibus vestris?* Matt. 9.

VOLVNTAS similiter rectè dirigitur à caritate, maximè, vtne exulter in aduersis proximi casibus, & ideo subdit Apostolus. NON GAVDET *super iniquitate.* Quod autem contrarium accidere possit, manifestum est. Nam sicut qui ex animi perturbatione delinquunt, scrupulum aliquem & remorsum conscientiæ sentiunt, sic qui scientes prudentes peccant, solent exultare, secundum sapientem. *Qui lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prou. 2. Dico ergo caritatem nunquam permittere, vt

quis de damno fratri illato gaudeat sed potius cum B. Paulo doleat. *Ne iterum cum venero*, inquit in secunda epistola ad Corinthios, *humiliet me Dominus apud vos, & lugeam multos ex vobis, ex his, qui ante peccauerunt.* Adhæc, qui caritate præditus est, non solum non gaudet de alterius malo, sed ex animo congratulatur eius bono & fælicitati. Vnde subiungitur. CONGAVDET *autem veritati.* Quæ veritas est triplex Prima consistit in doctrina, vt quando docentur vera. Secunda consistit in vita, quando interior animæ vita, respondet in bonitate vitæ externæ corporis. Tertia deniq; est in iustitia, quando cuiq; præstatur, quod ei debetur, vt bonis præmium, & malis pœna, Sic faciebat S. Ioannes, dum ita scribit. *Gauisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ sicut in caritate ambulas.* Deinde caritas illud quoque bonum efficit, vt patienter tolerentur proximi imperfectiones, siue naturales siue morales, iniuriæ quoq; & persecutiones, secundum illud B. Pauli monitum *Debemus firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere.* Similiter inducit hominem, vt facile fidem præstet fratri aliquid (modo veritati non repugnet) asseveranti, & ideo dicit. OMNIA CREDIT,

2. Cor. 2.

Ep. 2.

Rom. 15.

CREDIT. Inducit item ad sperandum omne bonum animæ salutare, & ideo adiungit. OMNIA SPERAT. Demum ne spes excidat, quando prorogatur promissi executio, efficit vt æquo animo expectetur tempus effectui destinatum, & idcirco concludit, OMNIA SVSTINET. Sicut & Habacuck exhortatur cap. 2. *Si moram fecerit, expecta eum.* Finis autem hic imponatur cum Colloquio ad Spiritum sanctum,

O diuine Spiritus ad te amoris, omnis & caritatis fontem refugio, & rogo humiliter, vt meum, omniumque proximorum meorum pectus digneris adimplere: sicut enim in festo Pentecostes cum impleres corda fidelium, effecisti, vt non secus se mutuo diligerēt, ac si corpus haberent vna anima informatum, sic spero, & nobis euenire posse.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

FORMVLA MEDITANDI in solum Scripturæ sacræ textum.

CAP. V.

PRo huius meditationis argumento sumpsi historiam cæci nati, quia continet personas, verba, & actiones varias. S. Ioannes cap 9. Euangelii sic eam inchoat, ET *prætereiens* IESVS, *vidit cæcum à natiuitate, &c.* Facta igitur oratione præparatoria consueta historia in hunc modum summatim ob oculos ponitur Cæcus, postquam luto illuminatus fuit à Christo, sæpius à Pharisæis examinatus est, vt calumniari possent miraculum, ac deniq; turpiter ab illis eiectus à Domino inuentus est, iam fide vera, & notitia filii Dei illustratus, vnde & genibus flexis eum adorauit. Pro petitione deinde dic. Domine, præbe mihi, quæso, gratiam audacter doctrinam tuam defendendi, & imprimis aduersus eos, qui vitam solitariam & spiritualem irrident. PRo loco deniq; in hoc initio repræsento mihi plateam, in qua versabatur cæcus, deinde viam piscinæ, tum ædes Pharisæorum.

Aggrediens ergo Intellectus consideratio-

nem

tionem voculæ, ET, Particula, inquit est copulatiua, & principium capitis. vnde appareret hanc cæci illuminationem proximè secutam post ea quæ antegresso capite sunt narrata, de Christi è templo digressu, cum Iudæi eum vellent lapidare. Vbi animaduerto incredibilem Christi benignitatem, tum quod æquo animo tantam contumeliam sustinuerit, tum quod non destiterit eo ipso tēporis puncto nouo beneficio gentem illam afficere. Imò duplicem hic beneficentiā noto, cum B. Chrysostomo, nempe Dominum hoc miraculū patrasse non modo in commodum pauperculi istius cæci, verum etiam vt prædura lapidatorum suorum corda hoc caritatis officio emolliret, ac vt loquitur Apostolus, *carbones ignis super eorum capita congereret.* Rom 12. Et hic VOLVNTAS dicit. Statuo in animo meo, me, adiuuante diuina gratia, in posterum benefacturum aduersariis meis, etiamsi recenti me iniuria affecissent, vt paream dicto Christi. *Bene facite his, qui oderunt vos* PRÆTERIENS. Matt. 5. Credo, ait Intellectus, Christum data opera viam iniisse, in qua erat iste cæcus, vt illum illuminaret. Hic memoria dicit, conuenire huic rei parabolam de eo qui Hierosolyma discedens incidit in latrones. Luc. 10. Circa quam

discur-

discurrens intellectus, confert Christum cum tribus qui sauciatũ à latronibus viderunt, & dicit. Video de sacerdote scriptum. *Et viso eo pertransiit.* De Leuita similiter dicitur. *Cum esset secus locum, & videret eum pertransiit.* De Samaritano verò *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum misericordia motus est.* Vnde concludo, inquit, Christum instar Samaritani accessisse cæcum, aspexisse, & à cæcitate curauisse.

VIDIT. Non existimo simplicem quendam fuisse intuitũ, & perfunctoriè factum, vti fuerat istius sacerdotis, & leuitæ, sed firmum & immotum vti fuerat Samaritani. Tamque serio intentum se Christus demonstrauit, vt occasionem discipulis dederit scisciandi. RABBI *quis peccauit?* iam enim forte obseruarant nihil fortuito, sed consideratè omnia ab eo fieri. Memores ergo eorum quæ audierant ad paralyticum dicta, cum sanasset eum iuxta piscinam. *Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare*, cogitabãt, si ille ob peccata sua, in paralysin incidit, forte & hunc miserum hominem propter peccata sua, parentum ue natum cæcum. Hic voluntas confusionis sui actum exercet, propterea, quod conspecto in

Ioan. 5.

cto in viis paupere, sæpe vultum auerterit, contra doctrinam B. Ambrosii ita in Lucam scribentis. *Verum ne cæcum illum tanquam fastidiosi pauperum citò reliquisse videamur, & transisse ad diuitem. expectemus eum, quia expectauit & Dominus.* Lib. 8.

INTERROGAVERVNT. Obseruo Euangelistam vti numero plurali, & quæstionem illam attribuere omnibus discipulis: quod fecit vel quia omnes eam proposuerunt, vel quia omnibus idem animus fuit, eo quod vni proponenti cæteri applauserint. Mihi certe videtur ita res contigisse. omnibus enim hominibus innatum est curiosè in aliorum facta inquirere, calamitatesque & ærumnas attribuere eorum noxæ, vel possumus dicere Euangelistam per Synecdochen plurali numero pro singulari vsum Vnde colligo plurimum referre, versetur aliquis in societate bonorum, necne? fit enim, vt quod ab vno fit, omnibus tribuatur. Ad quod propositum Memoria quærens simile exemplum, ait. Occurrit mihi murmuratio Iudæ de vnguento pretioso, à Magdalena in caput Christi effuso, vt narrat S. Ioannes. *Dixit ergò vnus ex discipulis eius* IVDAS Ioan. 12.

Iscario-

Matt. 26. *Iscariotes, &c.* Et nihilominus S. Matthæus attribuit eam omnibus discipulis, dicens. *Videntes autem discipuli indignati sunt.* Vnde disco, quã sedulò cauere debeant, qui in cœnobiis, vel alia congregatione pia viuũt, ne prauum exemplum præbeant, cum videamus lapsum vnius in totam redundare communitatem. Quomodocunq; autem res se habuerit, hoc est, siue vnus, siue plures quæstionem illam proposuerint, nõ tamen abfuit curiositas, & idcirco dicit voluntas. Cauebo hoc vitiũ eo studiosius, quo communius est. Potest enim fieri, quod Euangelista ex industria scripserit quæstionem positam à discipulis, vt innueret hanc imperfectionem posse quoq; cadere in homines spirituales, si parum cauti sint.

QVIS PECCAVIT. Intellectus indagans causam huius quæstionis ab Apostolis motæ ait Forte mota est, ob responsum aliàs
Ioan. 5. Domino datum Paralytico. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* ac ideò existimarint, nullum cuiquam malum, nisi ex peccato antegresso, euenire, & ideo videri hunc quoque occum deliquisse. Quod autem cogitarunt, hoc verbis etiam expressérunt: difficile enim est conceptus animo inclusos diu reti-

nere

nere, iuxta illud Iob. *Conceptum sermonem tenere quis potest?* Iob. 4. Hic voluntas dicit. Propositum facio custodiendi & refrenandi mentem meam, ne facile sinistram de proximo opinionem, vel aliquid aliud considerate concipiam: sic enim non facile in inconsiderata verba erumpam.

HIC AVT PARENTES EIVS. Hæc quæstio, inquit Intellectus, videtur mihi vel curiosa, vtpote qua alienæ conscientiæ arcana inquirantur, vel æquo audacior, quasi ipsorum iudicio doctrina illa locum non haberet, in cæco dicto, quando quidem, peccare non potuerit, antequam natus esset. Et ex altera parte non ignorabant scriptum Ezechielis 18 *Filius non portabit iniquitatem patris*, ac proinde necob peccata parētum poterat cæcitas illa contigisse.

NEQ. HIC *Peccauit, neq; parentes eius.* Hic, ait Intellectus, imprimis conſidero, inuictam Domini mansuetudinem, qui cum iure eos posset de curiositate, vel arrogantia reprehendere, non tamen fecit, imo benigno responso instruxit, non omnes calamitates hominibus contingere ex antegresso peccato proprio, vel parentum, sed aliis quoque de causis. Atque hic Memoria suggerit Dominum & alias, nunc suauius,

nunc acrius curiosis discipulorum postulatis respondisse. Suauius quidem B. Petro, cum de B. Ioannis vita expiscaretur. *Hic autem quid?* Respondit enim *Quid ad te? tu me sequere* Acrius verò cum eidem dixit. *Vade post me Sathana, scandalum es mihi* Vnde voluntas colligit pro superioribus non esse semper arguendos asperius subditos, sed dissimulatione nõnunquam vtendum: deinde pro grauitate lapsuum reprehensiones faciendas Longiusq; progrediens intellectus addit. Deprehendo in hoc cæco magnam patientiam, & humilitatem, quia ad iniuriam sibi à discipulis illatam conticuit. Adhæc animaduerto singularem Dei erga suos prouidentiam; suscepit enim cęci defensionem, dicendo. *Neq; hic peccauit. &c.* Similem huic actum producit Memoria, de defensione Domini pro Magdalena, cõtra querelam Marthæ dicentis. *Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare?*

Ioan. 21.

Matt. 16.

Luc. 10.

SED VT MANIFESTENTVR Geminum, ait Intellectus, mihi videntur hæc verba habere sensum. Vnus est, vt dicatur eum ideo cæcum natum, quo Christus eum postea illuminaret. Alter, esto sit ex causa naturali vel morali ita natus, Christum occasione

casione illa vsum ad faciendum miraculum. Ego cum B. Augustino libenter assentior primo sensui. Neq; ideo mihi in mentem venit cogitare, cæcum, si id sciuisset, conquesturum fuisse de iniustitia, natus enim erat in peccato originis, ratione cuius solus poterat cæcitate illa multari. Secundo, quia etsi creator ordinarie omnibus hominibus videndi impertiat facultatem, tamen facultas illa donum Dei est. Conditio verò doni est, vt sicut confertur gratis, ita sine iniuria vlla negari queat. Tertio, etiamsi debita fuisset, velut ordinaria, & ad integritatem hominis necessaria, tamen sine vlla iniuria à Domino illi negari potuit, quia id ad manifestandam eius diuinitatem profuit, cuius beneficio mundus erat saluandus quæ salus cum fuerit bonum commune, merito à quouis particulari homine priuato alicui damno erat anteponenda. Quocirca mihi persuadeo, si huic homini ante natiuitatem constitisset se nasciturum propter dictam causam, illum æquo animo laturum fuisse. Quarto, & vltimo, etiamsi omnes dictæ causæ defuissent, tamen adhuc Dominus iure negare potuisset illi aspectum, corporis, quia egregiè eum postea com

pensauit aspectu multo nobiliore, nempe animæ, quando diuina fide à Christo donatus est. Qua de causa laudamus, verbi causa, chirurgum, qui cauterio inussit brachiũ, vt salutem afferret capiti.

OPERA DEI. Loquitur in plurali, quia primum Deus in hoc homine declarauit suam bonitatem, sanando eum in corpore & anima. Secundo omnipotentiam: cæco enim nato restituere videndi facultatem per se non potest nisi qui infinita præditus est virtute. Noto etiam quicquid hic factũ circa cæcum, vocari opus Dei, quia voluit Christus, & factis miraculosis, & verbis disertis, inquit Chrysostomus, patefacere se esse Deum.

ME OPORTET operari. Credo Christum ideo dicere se astrictum ad patranda miracula, vt confirmaret, quod dixerat capite præcedenti. *Ego non quæro gloriam meam*, & quo ora Iudæorum obstrueret, qui facile obmurmurassent, si cognouissent ei liberũ fuisse abstinere à miraculis. Nec ideo adempta illi fuit libertas arbitrii: sed tantum indicat, se obligatum fuisse ad parendum æterno patri. obedientia autem perficit potius liberum arbitrium, quam tollit. Vnde colligo, inquit voluntas boni Religiosi, me

non

non secus obligatum ad obsequendũ mandatis, vt existimem moraliter mihi impossibile, vel vt non obsequar, vel vt contrarium faciam. Ac pariter non posse me quacunq; obmurmuratione, vel ludibrio ab hoc instituto deterreri, sicut nec Christus sannis & irrisionibus Pharisęorum à faciendis miraculis abduci potuit. Denique statuo, me prauum illum affectum radicitus ex imo corde euulsurum, quem dæmon solet iniicere, nempe vt ideo ægrius, quod alioquin sponte eram facturus perficiam, quoniam à superiore mandatum est. Video enim Christum gaudere & gloriari sibi, quæ facturus erat, esse imperata.

OPERA EIVS, *qui misit me.* Hic quoque loquitur numero plurali: etiamsi enim redemptio nostra, propter quam missus fuit, vnicum opus fuerit quasi vniuersale, continebat tamen in se multa particularia: ex quibus vnum erat, per doctrinam & miracula demonstrare se esse filium Dei. Si vero sigillatim de hoc miraculo locutus est, arbitror ideo plurali numero vsum, vt me doceret, vnum præstando præceptum, se reliqua non obliuisci, sed memoriæ impressa tenere. Credo etiam eum vsurpasse periphrasin illam, vel circumlocutionem. *Eius*

qui misit me. loco, PATRIS, vt clarius ostenderet, quantopere obligatus esset ad patrandum hoc miraculum, dicens se speciatim missum in hanc rem, atq; etiam ad patefaciendam suam subiectionem, quatenus erat homo. Poterat quidem, inquit B. Augustinus, tum qua homo, tum qua Deus appellare opera sua, sed maluit partim ex humilitate, partim ex desiderio omnem gloriam in Deum conferendi, attribuere Patri.

DONEC DIES EST Metaphora est, ait Intellectus, quasi dicat, *dum viuo.* Nam sicut laboribus ordinariè dicatus est dies, nō nox ita bene operādi tempus homini concessum est dum adhuc est in viuis, secūdum illud Psalmi. *Nos qui viuimus, benedicimus Domino.* Psal. 113.

VENIT NOX. Nox, eādem metaphora, hic pro morte ponitur, quando nemo potest operari, iuxta illud. *Non mortui laudabunt te Domine.* Adhęc obseruo, quod dicat. *Venit*, tempore præsenti, ad declarandum ingens moriendi desiderium, iuxta dictum postea prolatum. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. Pascha*, id est, transitum ex hac vita. Luc. 22.

QVAMDIV *sum in mundo, lux sum mundi.* Per-

Persistit in eadem metaphora. vt sit sensus. Sicut, quamdiu sol ille corporeus supra terram existit, non potest non radiis suis orbem illustrare: Sic ego, cum sim lux *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ex Patris mei mandato teneor doctrinæ meæ radios, miraculorumque splendorem emittere in μικροκόσμον hominem. Huc Memoria adfert, quod B Ioannes Euangelista scripsit de S. Ioanne Baptista. *Erat lucerna ardens, & lucens* In quæ verba dicit Intellectus. Noto eorum ordinem, primo enim vocat ardentem, tum lucentem, & sic ratiocinor. Quemadmodum lucerna illuminare non potest, nisi ardeat, sic neq; concionator, neq; Prælatus potest efficaciter inflammare alios, nisi & ipse sit inflammatus. Hunc autem modum illuminandi homines per opera bona, consuluit Christus, cum dixit. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Matt. 5.

CVM HOC DIXISSET. Verba sunt Euangelistæ, repetitioque summaria dictorum Christi. quod ideo factum cogito, vt commonefaceret nos ea nõ esse à Domino fortuito prolata, sed admodum cõsideratè, tum propter rationes iam allatas, tũ vt innueret, quandoquidẽ Dominus verbis filius

Dei satis esset declaratus, idem etiam confirmaretur factis miraculis.

EXPVIT *in terram, & fecit lutum ex sputo, & linuit lutum super oculos eius.* Pergo credere, inquit Intellectus, Dominum illuminasse cæcum luto. Primo, vt demonstraret id factum virtute non naturali, sed diuina: lutum siquidem non solum non insitam habet huiusmodi vim, sed prorsus contrariam, hoc est, excæcandi. Ne vero quis tribueret vim illam aquæ, Luto non aquam adhibuit, sed sputum. Quo etiam, inquit Ambrosius, ostendit se esse hominem diuinum, vtpote cum potentissimum illud sputum ex ipso Christi corpore processerit Hic Memoria adducit duorum cæcorum exemplum, quos B. Matthæus refert illuminatos: vnius c. 9. & alterius, c. 20. vt intellectus vtrisque collatis indicet, in quibus conueniant, & in quibus discrepent, fructusque aliquis spiritualis excerpatur Quod prætermitto facere, ne nimium prolongetur Meditatio.

Matt. 9.

VADE, LAVA *in natatoria Siloe.* Primo animaduerto, ait Intellectus, Euangelistam ipsum sollicitum fuisse de interpretatione vocis *Siloe. Quod interpretatur*, inquit, *Missus*, vel Legatus. Vnde Augustinus tractatu

34. collegit esse nomen Messiæ. *Iam quis sit Missus*, inquiens, *agnoscitis: ille enim nisi fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus*. Et longius progressus Intellectus dicit, Credo Dominum voluisse restituere oculorum lumen subito illi, vti fecerat aliis, misisse autem ad aquas Siloe, vt, quoniam per totam vrbem iter faciendum erat, ab omnibus lutum oculis appositum conspiceretur, & postea ab iisdem in reditu videndi facultate donatus agnosceretur, sic manifestius illustriusq, efficeretur miraculum. Vel id factum est, vt fides eius & obedientia probaretur.

ABIIT ERGO, *& lauit, & venit videns*. Sunt verba Euangelistæ. Et ego, inquit intellectus, credo illa non solum dicta, vt exitus rei intelligeretur, verum etiam vt aduerterem, recuperatum sensum oculorum fuisse quasi obedientiæ eius præmium, cæterarumq; virtutũ, quas in hoc facto declarauit. Inter quas primo est Patientia, qua passus est luto liniri oculos videtur n potius murmuraturus fuisse, dicturusque luto magis excęcari, quã illuminari oculos: esse ineptũ illum modũ restituẽdi aspectũ, potius se debuisse ẏbo vnò sanari, sicut quidã sanatus est apud B. Lucam cap. 18. Verum

nullum eiusmodi verbum effutiit. Secunda virtus est Fides, qua credidit, non vacillando vnquam in illa, neq; in principio, neque per viam, licet ratio humana suggerere illi potuerit hoc remedium vel noxium esse, vel saltem inutile, vtpote probè conscius, multos in illa piscina ablutos, nec tamen illuminatos. Tertia est obedientia, quam demonstrauit dando se in viam, & lutum abluendo. Ad hoc propositum Memoria proponit murmurationem, & exiguam obedientiam Naaman, quando Elizæus ei
4. Reg. 5. mandauit vt septies tingeret se aquis Iordanis, si vellet liberari à lepra.

VICINI, *& qui viderant eum prius, quia mendicus erat, &c.* Hic Euangelista, ait intellectus, exprimit quæ contentio orta sit inter vicinos de hoc cæco, esset ne ipse, an alius; vt animemur ad ferendas patienter aliorum obtrectationes, & querelas de nobis. Ex responso autem à cæco facto, cum dixit, EGO SVM, colligo, inquit Intellectus, eius humilitatem: nec enim puduit eum fateri se fuisse cæcum. & mendicum, sed disertè confessus est, ad animandos homines spiritales, vt audacter, quando ita conuenit, patefaciant suam vilitatem, & ad pudefaciendum eos, qui præ verecundia

illam

illam cælant. Quanquam & hoc responsum ab eo datum auguror, vt se gratum ostenderet benefactori, testimonium præbendo miraculo.

QVOMODO *aperti sunt tibi oculi*? Naturale est homini indagare causam rerum miraculosarum, raroque contingentium, & idcircò isti percontantur, qua ratione cæcus facultatem videndi receperit? Obseruo autem eos non quærere, quomodo videat, sed quomodo aperti sint eius oculi; quod pertinet ad amplificationem miraculi, nonnulli siquidem cæci sunt, qui integrum oculi organum habent quidem intra suas pelliculas, sed ob impedimentum, ad videndum inidoneum. verum huic cæco, nullum vnquam oculorum organum fuisse videtur, vt apparet ex modo loquendi istorum. *Quomodo aperti sunt tibi oculi*? Supponunt enim palpebras iam corrugatas & cõtractas, quod natura facere solet, ne detur vacuum. Et ideo quidam Doctor existimat, Dominum ex luto duos quasi globulos cõflasse, & sublatis palpebris concauitatem vtramq; complesse, & dum lauarentur palpebræ in veros oculos commutatos, forte vt demonstraret se esse, qui quondam hominem primum ex luto condidisset.

RESPON-

RESPONDIT *ille homo*. Vicini tantum percontati ab illo erant, quo modo sanatus esset: ille verò addidit, & à quo sanatus esset, suæ lætitiæ declarandæ causa, quæ naturaliter dilatat cor, & promptiorem hominem ad loquendum reddit. Noto præterea pronomen ILLE, quo indicauit, Christi nomen iam fuisse celebratum. Considero deinde, quod vocarit *hominem*, vt demonstraret, illum, vt erat, esse hominẽ cum quo nullam ante consuetudinem habuisset: & ideo nec nomen eius expressit. Tantum rumore dicerat vocari IESVM. Nec dubito eum hac ratione à Spiritu sancto motum obtexisse suspicionem, vel malitiam ipsorum, quandoquidem facile vel suspicari, vel comminisci potuissent, eũ ex intima amicitia cum IESV inita, finxisse se cæcum, & petiisse à cæcitate liberari.

QVI DICITVR IESVS. Quamuis nunquam ante vidisset IESVM, videtur tamen potuisse scire, sibi redditum lumen à IESV. poterat enim à circumstantibus, vt alius quidam cæcus fecerat, nomen expiscari, vel ex communi hominũ fama didicisse, vocari Iesum illum qui faceret miracula, vel denique ab ipso Christo, cum luto oblinirentur oculi, cognouisse. Quomodocunq; autem resciuerit,

uerit, prodendo eius nomen, & demonstrauit se gratum benefactori, & miraculorum Christi factus est prædicator. LVTVM FECIT. In hoc respondendi modo noto prudentiam hominis, dum ait Chtistum fecisse lutum, cum tamen facientem non vidisset, poterat enim sensu tactus illud cognoscere, cum oculi oblinirentur. Et ideo sputi nullam mentionem fecit, quia tactu non potuit percipere, lutum sputo esse temperatum. Vnde colligo, ait volũtas, me in sermone debere esse circumspectum, ne errori, vel offensioni locus detur. VBI EST ILLE? Ita locuti sunt, aut quod scisciterentur, vbi esset IESVS, vt se illi adiungerent, vel vt eum, tanquam festi violatorem ad Pharisæos pertraherent, aut vt suo iudicio alterutrum cognoscerent. Sed bene respondit cæcus, se nescire, vel quia reuera nesciebat, vel quia animaducrtebat dolũ latere in quæstione.

ITERVM *interrogabant*. Repetierunt Pharisæi interrogationem, quia non erant contenti responsione vicinorum. Et aduerto eum vsurpare tempus imperfectum, quia multi idem erant deinceps scisciturí. Ex responso autem eius consecutum est inter eos schisma, vt alii ad Christi partes accederent, alii verò veritatis lucem pertinaciter refuge-

refugerent, dicentes. *Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit*, quasi dicerent, fieri non posse, vt spiritus Dei insit illi, qui debitum cultum non defert diebus festis. Arbitrabantur enim inter seruilia opera lege vetita numerandam illam compositionem luti, & linitionem super oculos cæci à Christo factam. Qua re animi sui malignitatem ostendebant, quod ex re tam leui, tam grande crimen conficerent, ex musca elephantum, cum non ignorarent chirurgos quotidie, atque etiam diebus festis occupatos in conficiendis vnguentis & emplastris, quæ longe plus temporis quam confectio luti requirunt. Longius verò progrediens intellectus ait, homines nimium suis affectibus indulgentes, ex vno actu, statim inferre generales propositiones & perpetuas, vt quod semel factum est, ordinarie & semper fieri credatur. Qui verò Christi partes adierant, dixerunt. *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Conferens autem intellectus has duas responsiones dicit. Istos non asserere affirmatè Christum non esse peccatorem, sed dicere quasi admirantes de contrario, idq; cum aliqua dubitatione: illi verò id asseruerunt absolutè. Vbi veram video reddi doctri-

doctrinam traditam à Christo apud B. Lv- Luc.16.
CAM, dum ait. *Filii huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.*

TV QVID DICIS? Dubium est, cuius sint hæc verba, obstinatæne factionis an conuersæ. Obstinatæ videntur, ob verba mox subiecta. *Non crediderunt ergò Iudæi de illo.* Contra, videntur conuersæ, ob verba immediatè, dictæ interrogationi annexa. *Qui aperuit oculos tuos.* alii enim potius addidissent *Qui Sabbathum non custodit.* Verum forte ab vtraq; factione hæc quæstio posita est, cum enim inter se essent discordes, communi consensu illum iudicem constituerint, & ita obstinati quæstionem inchoarint, *Tu quid dicis de eo?* conuersi verò reliquuum addiderint. *Qui aperuit oculos tuos.* cum proposito, vt posita ob oculos beneficii magnitudine liberius profiteretur veritatem, sicut & fecit, dicens.

QVIA PROPHETA est. Noto hic, inquit Intellectus, primo conuersorum modestiã, quod non sint ex hoc responso ipsis fauente facti insolẽtiores, & aliis insultarint, sed tantum spectarint confirmationẽ veritatis.

HIC EST *filius vester?* Cum causa cecidissent obstinati, non conquierunt, sed nouam moliti sunt technam, vt suæ libidini satisfa-

satisfacerent, aduocant parentes, sperantes se ab illis, quoniam plebęi & viles homines essent, ac proinde timidiores, extorsuros, vt vel negarent filium suum cæcum natum, vel mentirentur Christum cum eo clam egisse vt se cæcum fingeret. Id enim indicare videntur verba illa. *Quem vos dicitis, quia cæcus natus est.* q d. vos spargitis filium vestrum esse cæcum natum; consultius foret, si nõ sparsisletis: iam cum sparseritis, rationem reddite. *Quomodo ergo nũc videt?* quod si non potestis, palinodiam canite, ne vos dicti pœniteat.

SCIMVS, *quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est.* Mediocritatem in responso secuti sunt, quia demonstrarunt se, partim audaces & veridicos, confitendo esse suum filium, & cæcum natum, partim timidos, & fortè nec veraces, negando se nescire, quomodo visum recepisset: cognoscere enim potuerant ex filio. verum metu Iudæorum nimio prohibiti sunt, vt ait Euangelista, à sincera confessione: nec eorũ testimonium plus valuisset quam filii iam ætate prouecti: quicquid enim dicturi erant, id ex ore solius filii prodiisset, vnde aiunt. *Ætatem habet, ipse de se loquatur.* Noto præterea in illis duo metus signa. Primum est, quod

cum

illis duo metus signa. Primum est, quod cum ex confessione miraculi facti minimè sequeretur eos credere Christum esse Messiam, tamen de ea re conticuerint. timidus enim non solum malum, sed etiam speciem & vmbram mali reformidat. Alterum est, quod quicquid fassi sunt, quasi per transennam enuntiarint, dicendo. *Scimus, quia hic est filius noster.* verum alterũ, quod inficiati sunt, quia in eorum damnum & exitiũ tendebat, duplici formula verborum negarũt. *Quomodo autem nunc videat nescimus. aut quis eius aperuit oculos nos nescimus* significanter autem vsi sunt pronomine, Nos, Videntur mihi duo isti miselli, repræsentare quosdã in religione tyrones nouos, sed tepidos, qui optarẽt se gratos esse Deo pariter & mundo, & vt vulgo dicitur, duab. sedere sellis, quod Christus pronũciauit impossibile *Nõ potestis*, inquiens *Deo seruire & mãmonæ.* Matt. 6.

Da Gloriam Deo. Cum Pharisæi nihil extorquere possent à parẽtibus, rursum adorti sunt bonum cæcum, eiusq; conscientiam in testẽ veritatis aduocarunt exigentes, vt non secus de ea sentẽtiam ferret, ac si staret corã omnium rerum inspectore & iudice Deo: quod fecerunt, vt vel aliquod exprimerent fœdus initum à Christo cum illo desimula-

mione cæcitatis, vel cæcum inducerent, vt non Christo, sed Deo suam illuminationem acceptam ferret.

Nos scimus, quia hic homo peccator est. Emphasis est in pronomine Nos. ac si dicerent: Crede nobis, vt hominibus eximia doctrina & sanctitate pręditis, Est & emphasis in verbo scimus, q. dicant, certo & explorate cognoscimus, non dubitanter, & per suspicionē duntaxat. Obserue in hoc modo loquendi vitium detractionis, quando Christum absentem asseuerant esse peccatorem, quem præsentem non asseuerarent: dixisset enim illis, quod alias dixit *Quis ex vobis arguet me de peccato.*

Si peccator est, nescio. Sciebat certe cæcus eum non esse peccatorem, quia paulo ante vocarat eum prophetam, id est, iustum & sanctum. Sensus ergo est, Nescio, id est, non opus est iam hoc disputare & discutere, peccator sit, necne. Hoc modo respondendi declarans, se eorum opinionē non solum æstimare falsam, sed etiam vsq; adeo friuolam & malignam, vt prorsus indigna sit responsione. Vbi voluntas dicit. Propono in posterum fugere disceptationes & lites, quæ solent in colloquia incidere, maxime quãdo res maioris momēti inde turbantur aut impe-

impediuntur. Similiter statuo me, quoties in sermonem friuola quædam & inutilia, refutatione que digna inducta fuerint, quantacunque possum modestia saluo auctorum honore & verecundia, redarguturum.

Vnum scio, quod cum essem cæcus, modo video. Quoniam cordi illi erat miraculũ patefacere, nõ dubitauit hac verborũ forma vti.

Quid fecit tibi? Quoniam æstuabant desiderio eripiendi gloriam Christo, eandem quæstionem, iterum atq; iterum inculcant: spe vana, credo illecti, illum in aliqua euariaturum, immemoremque ante dictorum futorum. Verum ille animo erectior factus audacter occurrit. *Iam dixi, vultisne iterum audire?* Qualem audaciam suggerit spiritus Dei, & bona conscientia, secundum illud Psalmistæ. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Psal. 118.

Nunquid & vos ex discipulis eius vultis fieri? Iam animaduerterat, Pharisæos capitali odio Christum persequi, & ideo vndique criminandi occasiones quæsiuisse. Nihilominus valde prudenter indicauit se in eam opinionem venisse, idcirco toties examen huius miraculi ab ipsis iteratũ, vt possint certo explorare eius veritatẽ, ac deinde si discipuli eius fierent, solidã conuersionis

ſuæ cauſam redderent. Noto adhæc vocem FIERI, qua oſtendit ſe iam ſatis inſtructum in modo adiungendi ſe Deo, conuenienter illi Chriſti dicto. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Et alibi, *Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Obſeruo & particulam ET, quæ non obſcurè inſinuat ſe iam factum diſcipulum, & ideo illos inuitabat. Vbi voluntas dicit. Conſtituo in animo meo, & ego, quoniam ſpiritus diuini proprium eſt alios ad diuinum ſeruitium trahere, me minimum bono vitæ exemplo multos attracturum ad faciendum officium Chriſtiano homine dignum: ſicut fecit S Andreas, qui ſimulatque in notitiam Chriſti venit, id indicauit fratri ſuo Petro, dicens, *Inuenimus Meſſiam*, eumq; ad Chriſtum adduxit. Idem fecit S Philippus adducens Nathanaelem.

Ioan. 15. Ioan. 6. Ioan. 1.

Tu Diſcipulus eius ſis, Reſponſum eſt Phariſæorum, per modum iniuriæ vel contumelię prolatum, vt affirmat S Baſilius Reg. breuiorum 24. his verbis. *Conuitium eſt, ſeu maledictum omne verbum, quod eo animo profertur, vt ex eo contumelia ſeu ignominia alteri afficiatur: licet verbum ipſum per ſe non videatur contumelioſum, atque hoc manifeſtum eſt ex Euangelio.* In eo enim dicitur. *Et maledixerunt ei.* Senſus ergo eſt. Tu homo indoctus & im-

& improbe, sis istius scelerati hominis auditor, per nos licet. Hic quoq; obseruo impudentiam impiorum hominum, qui veritate conuicti erumpunt mox in contumelias & verba probrosa.

Nos autem Moysi discipuli sumus. Anteferunt Moysen Christo, causamque reddunt, quod sciant Deum locutum Moysi, de Christo autem nesciant, vnde sit. Hic noto ex prauo affectu corrumpi iudicium intellectus. quia vel ex eo solum quod in scriptura legerant, vel ab aliis narrari audierant, credunt Moysen collocutum cum Deo, & tamen asseueranter iactant se scire. *Nos scimus.* De Iesu vero aiunt, nescimus vnde sit, cum tamen oculis suis cernerent tam grandia ab eo patrari miracula.

In hoc est mirabile. Aduerto sensim huius boni cæci animum magis magisq; inflammari: nam nunc palam omni excluso vel pudore vel metu suscipit Christi defensionem. Est vero emphasis in pronomine HOC, vt verborum illorum hic sit sensus Nō possum satis mirari, homines tam eruditos latere potuisse, cæcum natum non posse vlla virtute humana, sed tantum diuina illuminari, maximè si oculus illi nullus ante fuerit. quibusdam enim cæcis oculos habenti-

bus, & ob accidens aliquod facultate cernendi destituris, ars medicinæ potest vsum videndi restituere, non tamen potest restituere pupillam, quę mihi restituta est. Itaq; meo iudicio deberetis cõcludere hunc hominem missum esse à Deo, quandoquidem diuina sunt eius opera.

Scimus autẽ, quia peccatores Deus non exaudit. In plurali numero dicit, scimus, vt indicaret axioma illud esse cõmune, hominũ etiam idiotarum, nempe nõ exaudiri à Deo peccatores, sed eos tantũ qui intimo corde eum colant, eiusq; mandatis obsequantur. Hic voluntas dicit. Statuo diuina iuuante gratia, me deinceps integræ & exactæ diuinorum mandatorum, ac præterea etiam regularum mearum obseruationi strenuam operam daturum, vt quando in orationibus Deũ precabor, vt liberet me ab aliqua tentatione, afflictionéve, vel vt singularem impertiat gratiam, confidere queam me exauditum iri. Hic offert se occasio examinandi duas quæstiones. Vna est, sitné verũ Deum non exaudire peccatores? Altera, an peccatores non possint facere miracula? Sed quia speculatiuæ sunt data opera eas prætermitto, vt pareã documento initio libri tradito.

A seculo non est auditum Deprehendo in hoc cæco mirabiles diuinæ gratiæ effectu

nam

nam in intellectu video magnam accessionem factã ad rerum diuinarum notitiam: in voluntate verò robur liberè annunciãdi miracula Christi. Sumit enim hic probandũ Christum non esse peccatorẽ, ex eoq; à principio mundi nullus cæcus natus ab homine peccatore sit curatus. Et opinor eũ hac generali loquendi forma etiam comprehendisse Moysem, vt eum indicaret postponendum Christo, quem illi prætulerant. Vnde disco, quanta modestia in sermone seruanda sit, quantusq; honor sanctis, hominibusque virtute præditis sit deferendus.

In peccatis natus es totus. Hypocrisis diu cœlari nequit. Finxerunt hactenus Pharisæi se strenuos obseruatores legis, & gloriæ diuinæ defendendæ studiosos, vt voto suo potirentur: Iam vero quia vident se frustra laborasse larua hypocrisis detracta, palã declarant fastũ, quẽ intus in pectore aluerunt. Siquidem à cæco conuicti, Christũ esse hominem diuinũ, conuertuntur ad iniurias & opprobria, obiicientes illũ peccatis esse plenũ, in corpore & anima, in corpore ratione cæcitatis, in anima ratione culpæ Id.n.vno sensu designat vox Totvs. Alio vero potest significare totũ vitæ tempus, quasi à primo natali die fuerit obnoxius peccatis. Potest

& tertius esse sensus, vt quantus est, quantumq; habet sit peccato obnoxium; & cæcitas, & mendicitas, & generis humilitas, & sermonis imprudentia, aliaq; id genus.

Et tu doces nos? In vtroq; pronomine magna est emphasis, magnamq; eorum demõstrant superbiam. Sic enim loqui voluisse videntur. Tu homo idiota, plebeie, ignorans, mendice, & à Deo custigate ob peccata audes docere nos, qui sumus legis peritissimi, omniaq; intelligimus, quæ in ea continentur. Nos inquam, qui nec sanctitate quidem vitæ cuiquam cedimus. nos, à quibus tu hesterno die eleemosynam minimi oboli postulares. Quo responso egregie mentis suæ demonstrarunt cæcitatem, existimãtes hominem illum, quoniam cæcus natus esset, non posse à Deo sic in rebus diuinis instrui, vt ipsos docere posset. Contrariũ affectum humilitatis obseruauit S. Ambrosius li. 2. in Lucam, in persona B. Virginis, quæ etiamsi perfecte illustrata esset à Deo, tamen à simplicibus pastoribus discere non erubuit. *A pastoribus*, inquit, *etiam Maria fidem colligit. à pastoribus populus ad* Dei *reuerentiam congregatur. mirati n. sunt de his, quæ dicebantur à pastorib. ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

Et

ET EIECERVNT *eum* nempe tanquam indignum suo consortio. Erant enim ex illo arrogantium hominum genere, de quibus quidam propheta scripsit: *Qui dicunt, recede longè à me: noli me tangere, quia mundus sum.* Nec dubito eum ignominiosissimè ab illis explosum, cū oris sibilis, complosione manuum, excussione pulueris, ac forte etiā lapidum eiaculatione,

AVDIVIT IESVS, *quia eiecerunt eum.* Salutaris illi fuit hæc ignominiosa eiectio, quia Dominus, simulatque eum cognouerit, (vti nunquam deserit suos, maximè autē amore sui aliquid perpessos,) studiosè eum per vias quæsiuit, & reperto dixit. *Tu credis in filium* DEI. Vbi obseruo, Dominum, cum vellet ei corporalem donare visum, non exegisse ab eo consensum sicut nunc facit; cum vult animæ donare visum spiritualem. Cuius causa est, quod ad fidem suscipiendam nostrum requiratur liberum arbitrium, secundum illud Augustini dictum. *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.* Noto etiam modestiam Domini, nec enim, licet filius DEI esset, dixit. Tu credis in me? deinde dexteritatem in catechizando. Modo siquidem illo loquendi insinuauit, ipsum in se tanquam Deum & hominem credere.

Aug. ser. 15. de verb. Apost.

QVIS *es Domine*, *vt credam in eum?* Promptissimè non solum credidit, sed etiam factis monstrauit. Simulatque enim audiuit. *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* respondet, *Credo Domine*, ore nimirũ confitendo, quod credebat in corde, & genibus flexis adorauit eum, nam subiicit Euangelista. *Et procidens adorauit eum.* Memoria huc apportat responsum Samaritanæ à Domino datum. *Ego sum, qui loquor tecum.* Quod conferens cum illo Intellectus, dicit. Apertè dixit illi mulieri, se esse Messiã quem ipsa dicebat venisse. hic aurem non apertè. Cuius rei causa est, quia multi alii, maximè Pharisæi præsto erant, vnde conueniebat vt modestè de se loqueretur. Cum autem cæco dixit. Ego sum, qui loquor tecum, solus soli locutus est. Vnde disco, inquit voluntas, non prędicare meas laudes, nisi necessitas vrgeat; & cum vrserit, parcè & modestè. Finis huic Meditationi imponitur sequenti Colloquio.

Ioan. 4.

DOMINE, quoniam venisti ad illuminandos cæcos, illumina obsecro cæcam animam meam, vt sua mala interna externaque recte obseruare queat, & deprehendere, ac deprehensa oculis tuæ diuinæ maiestatis obiicere, vt plenam consequar indul-

dulgentiam. Confido benigniſſime Saluator, te illuminaturum me, quoniam petiui, tum illuminaueris cæcum à nemine rogatus.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

PARADIGMA MEDITATIONIS in Puncta ſimul & Textum.

CAP. VI.

DRo huius Meditationis argumento exiſtimaui maximè idoneam fore *Orationem Chriſti in horto Gethſemani*, tum quia varia in ea occurrunt perſonæ, ſermones, & facta: tum quia intra vnum punctum & alterum multa ſe offerunt ruminanda. Diuidetur autem more conſueto in tria puncta.

PVN-

PVNCTVM I.

Finita Cœna exijt Christus cum discipulis in montem olivueti, & ingressis in hortum dixit. Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.

INTELLECTVS inchoans discursum sic loquitur. Hoc primum punctum, continet earum actionum vnam, quæ dicuntur Externæ, & nullum opus post se relinquunt, vti est, profectio Saluatoris ad hortum Gethsemani. Et quia est motus localis, vt perfectius intelligatur, video tria esse consideranda, nempe locum, vnde profectio cæpit, spatium, quod conficitur, & terminum ad quem peruenitur. Locum quidem vniuersalem, vnde disceditur, video esse vrbem Hierosolymitanam: particularem vero ædes, in quibus fuit cœnaculum.

LONGIVS deinde tendens Intellectus ad indagandum causas discessus, dicit. Primum cogito eum vrbe excessisse, vt Iudæ, Iudæisque animum adderet ad se capiendum, exploratum enim erat illos ægrè id molituros publicè in vrbe propter tumultum populi. Ex cœnaculo deinde credo discessisse, tum quia

quia non videbatur conueniens, vt in illo comprehenderetur, vbi tam sublimia peregerat mysteria, tum ne damno aliquo afficeret hospitem, à quo tanta beneuolentia erat exceptus.

Hoc discursu mota voluntas ait. Propono me diuina adiuuante gratia omnes actiones meas etiam pias & sanctas, quas in meum vel proximorum commodum exercebo, ea cautela & modo instituturum, vt neq; de bona meæ personę existimatione aliquid detrahã, neq; proximo vllam damni, scandali, vel querimonię occasionẽ prębeã.

Migrans deinde Intellectus ad secundum dicit, totum viæ spatium à Christo confectum vsq; ad hortum vocari *torrentem Cedron* quæ vox significat, *obscurum*. Decurrebat enim hic torrens in ima valle, quæ est intra montem Oliueti, & collem supra quẽ exstat Vrbs ipsa quæ vallis quoniam angusta est, depressa, & arboribus densa vmbrosum & obscurum transitum efficiebat. Neq, existimo à Christo institutum illac transitum fortuito, aut fortuito id ab Euangelista narratum, sed æterna Dei prouisione, nimirum ad præfigurandam obscuram mœstitiam sacrę Domini passionis, cui mox initium dandum erat.

Atque

2. *Reg.* 15. Atq; hic Memoria ait. Occurrit mihi hic transitus à rege Dauide per hunc ipsum torrentem quondam factus, quando fugiebat suum filium Absolonem: nec enim dubium est, hunc illius typum extitisse.

Ad tertium vero transiens Intellectus, nempe ad profectionis terminum, dicit. Primus, & magis vniuersalis termini locus est mons
Luc. 29. Oliueti, vt refert S. Lucas. *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivet.* Particularis vero est villa Gethsemani, qua voce intelligo designari *Vallem pinguem*, quia eius terra erat fœcunda & fertilis. Cõgruenter autem teste S. Hieronymo, voluit Dominus in hac valle comprehendi, loco pascendis pinguibus tauris idoneo, à quibus erat capiendus, vnde apud Psalmistam
Psal. 21. dicit. *Tauri pingues obsederunt me.* Denique video magis particularẽ locum, fuisse hortũ in dicta valle situm. Vbi discurrens Intellectus ait: Sicut in horto ab Adamo terreno datum est nostræ ruinæ principium per delectationem, sic secundus Adamus & cœlestis reparationi nostræ initium dare voluit in horto per suam passionem.

Quare mota voluntas, Propono, inquit, me, quotiescogitatio subdit adeũdi hortos, aliáue loca, recreandi animi causa, operam

daturum

daturum vt in mentem quoque veniat tristitia, quam Christus perpessus est in horto.

Conspecta huius motus natura, intellectus transiens ad considerationem circumstantiarum, initium facit à Fine, dicens. Eũ non alium credo esse, quam in horto oraret. Vnde colligo, voluntatem dicere, sẽ tanta moderatione cibum velle mihi porrigere, vt facile & subito possim orationi vacare, vt fecit Christus, & docet B. Hieronymus. Altera circumstãtia est TEMPVS, quod video fuisse nocturnum, & ideo ad ambulandum satis incommodum. Vbi voluntas ait. Statuo nullum laborem, nullumq; discrimen defugere quocunque tempore, modo frui possim hoc sancto Meditationis exercitio.

Et quoniam omnis actio proficiscitur à suo Agente, intellectus eum indagans dicit. Inuenio comites itineris Christi fuisse discipulos, vt docet B. Ioannes, vbi intellectus. Video, inquit, discipulos secutos Christum, licet inuitati non essent, vt indicant verba Lucæ, dum ait. *Secuti sunt autem illum & discipuli.* Paulo ante enim promiserant se cum illo iturum in carcerem, & in mortem, si necesse foret: deinde tanto amore eum prosequebantur, vt

Ioan. 18.

Luc. 22.

nec

nec ad minimum momentum abesse ab eo possent. De quo facto voluntas sic loquitur. Ego etiam Apostolorum exemplo conabor tanto amoris affectu complecti omnes qui mihi imperare habent, vel aliquam mei curam gerunt, vt infixurus sim eos cordi meo velut DEI VICARIOS.

Et porro procedens Intellectus dicit Audio Dominum in ingressu horti dicentem ad discipulos. *Sedete hic, donec vadam illuc, & orem Orate, ne intretis in tentationem.* Quæ verba examinans Intellectus ait: Vox SEDETE dicta est tanquam à Patre amantissimo ad filios carissimos. Iubet autem eos sedere, & non stare, aut genua ad orandum flectere, forte vt commodius quiescerent: erant enim magna tristitia obruti, eo quod metuerent breui Dominum è manibus ipsorum subripiendum, ac pro-
Prou. 17. inde & toto corpore langueſcebant. *Spiritus enim tristis*, ait Sapiens, *exsiccat ossa.* Deinde, quia sciebat eos breui omnes fuga dilapsuros, & ideo voluit esse viribus magis integros & recentes. Animaduerto quoque eum vti Imperandi modo, non enim dicit. Si velitis, orate, sedendo, facite quod lubet, &c.

Quo loquendi modo paternam erga suos cu-

ram

curam amplius declarat, exemplumque omnibus superioribus præbet, vt oculos sæpe in subditos coniiciant, vtrum re aliqua egeant, & libenter necessaria adiumenta vel solatia suppeditent, iis maximè, qui minimam sui curam gerunt, & necessaria quandoque negligunt. Deinde, vt etiamsi ipsi nonnunquam ad magnam seueritatem rigoremq; affecti sint, tamen non omnes promiscuè ad eam pertrahant, sed cuiusque vires & qualitates metiantur, & aliquando imbecillitati aliquorum condescendant, aut certe consilio, vel precibus ad duriora etiam præstanda, quæ tamen vocationi cõgruant, prudenter inducant. Denique ait Intellectus colligo ex verbis illis. *donec Eadam illuc.* Christum ingenti amore prosecutum fuisse suos discipulos. videtur enim digito locum demonstrasse, ad quem tendebat, eiusq; vicinitatem. Qua de causa adiunxit & illa alia. ET *orem* innuendo, non diu se ibi perstiturum, vti & factum est. Atque hæc satis sit cõsideraſſe de primo puncto. RESTAT nunc vt expendamus nonnulla verba interuenientia inter hoc & secundum punctum. Verum, prius percurrenda sunt duo verba intra primum punctum comprehensa.

Primum est, *Secundum consuetudinem.* Vbi Intellectus ait. Ex multis Euangelii locis apparere Christum sæpius se eo contulisse, tum quod locus vbi esset proximus, vt commodè sub noctem adiri posset, postquam interdiu docēdo se defatigasset tum quia erat solitarius, habendis precibus idoneus, non quod ipse illis opus haberet, sed vt nobis exemplum daret, qui semper opus habemus, & ideò quoties commoditas suppetit, orationi vacare deberemus: nec dubito Euangelistam ea de causa dicta verba, *Secundum cōsuetudinem*, apposuisse. Quanquam nobis necesse est vt solitudini corporis, coniungamus solitudinē cordis, quam tanti facit B Gregorius vt eam longè priore anteponat.

Qvod iam ad verba attinet inter primū & secundum punctum interiecta, dicit Intellectus. Video esse hæc. *Orate ne intretis in tentationem.* Et primo cogito per tentationem hic intelligi illam patiendi, quam ipse vocauit scandalum dicens. *Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte.* hoc est, iacturam fidei facietis, contra quam tentationem vult eos armari oratione, quæ non solum tuetur nos contra tentationes præsentes, sed etiam impetrat ne veniant in futurum,

turum, conuenienter duabus expositionibus, quæ dictis duobus verbis inhærere videntur. Prior est, vacate orationi, ne contingat vobis tentatio, secundum illud consilium B. Hieronymi *Semper aliquid manib. operare, & te semper diabolus inueniat occupatum.* Otiosi siquidem obnoxii sunt variis tentationum telis. *Multa enim mala*, ait sapiens, *docuit otiositas.* Et. *Otium est origo omnium malorum.* Posterior est, *Orate Deum hoc ipsum, & ne tentemini.* ob periculum lapsus. Et hoc credo Dominum voluisse propriè indicare illis verbis. *Ne intretis in tẽtationem.* perinde ac si dicerem alicui, *ne intres in aquas*, ne illis circunderis & obruaris secundum illud Psalm. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Hier. ep. 4. ad Rust.

Eccles. 33.

Psal. 68.

PVNCTVM II.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, eisq; dixit. Tristis est anima mea vsq; ad mortem.

INQVIRIT mox Intellectus causam cur Christus tres istos discipulos, & non

alios secum habuerit, & dicit. Cogito primum id factum, quod plus illis, quam aliis, fisus sit, vnde & alias seperatim eos assumpsit, vt in excitatione filię archisynagogi, & in transfiguratione sua. Secundo, quia existimauit illos, quoniam in monte Thabor spectatores fuissent suæ gloriæ, constantiores fore quoque in hac contumeliosa persecutione. Tertio, quia in quolibet horum erat aliqua præeminētia S. Iacobus enim inter illos futurus erat primus Martyr. S. Ioannes prærogatiuam virginitatis vsurpaturus, & S. Petrus Ecclesiæ primatum.

Deinde intellectus oculos conuertens in verba. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Animaduerto, inquit, Euangelistas ante hæc verba præmittere ista. *Capit pauere, tædere, & mœstus esse.* Ex quibus omnibus, inquit, colligo binas actiones, quæ dicuntur, immanentes, vel internæ. Appetitus, nempe timorem & tristitiam. Quarum primo causam, secundo subiectum, tertio magnitudinem, quarto & vltimo finem inuestigabo.

Inchoans autem Intellectus discursum suum, per modum colloquii cum ipso Christo Domino, de causa dicit. Deprehendo, mi

mi Domine eandem causam esse quæ ordinarie etiam in nobis est; eamque geminam. obiectum scilicet externum & principium internum, id est, animum. Obiectum enim quamprimum apprehensum est tanquam conueniens, vel disconueniens, vim habet commouendi affectus, & huic vis ineſt tales actiones producendi. Sed simul aduerto, Domine, quod in te longe alium modum causandi obtineant, quam in nobis hominibus imperfectis. Siquidem in nobis obiectum, simulatq; apprehensum est, tanquam conueniens vel disconueniens, ordinariè, & certo modo quasi necessario ita concitat passiones, vt sæpenumero rationem percurrant, vnde & accidit vt eadem ratio impedire nequeat, ne exurgant, & postquam excitatæ sunt, non possit pro libito suo eas refrenare vel reprimere. Verũ in te Domine, deprehendo contrarium, sola enim obiecta non habuerunt vim contristandi animam tuam, nisi anima rationis mandato ad id viam muniisset, & ideò anima verè dicitur voluntariè actum tristitiæ produxisse, vt indicauit Euangelista, cum Christum sic loquentem inducit. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem* non enim dixit *Tristata est*, in passiuo. Et eadem de

causa obseruo, te quoties voluisti, timuisse, & non quando obiectum vrgebat, quod significant & verba illa. *Cœpit pauere*, q.d. eum internè dedisse causam pauori. Transiens deinde Intellectus ad indaganda obiecta, ait. Video fuisse tormenta, mortem, peccata, & nominatim illud quod in excruciando & occidendo Christum committebatur. Hæc enim apprehensa vti certo futura, efficiebant timorem, & imaginata quasi iam præsentia, creabant tædium & melancholiam.

Transeundo deinde ad quærenda subiecta, vel potentias, quibus insunt dicti affectus, Deprehendo, inquit Intellectus, fuisse vtrumq; Appetitum, sensitiuum & intellectiuum; vel voluntatem: quod colligo ex voce Anima, quæ continet duos illos appetitus. Progrediēs deinde lōgius, dicit. Duos dictos affectus fuisse in parte sensitiua conuincor ex modo illo loquendi, *Caro autem infirma*. quæ verba etiam de se Christum dixisse, docet B. Remigius, & alii. Quod autem fuerint quoq; in volūtate, primum colligo ex illis verbis. *Veruntamen non mea* volūtas, *sed tua fiat*. Secundo, quia duo illi appetitus tam arcto inter se vinculo sunt colligati, vt vno commoto commoueatur & alter, nisi impe-

impedimentum aliquod interueniat. Et quoniam ratio nulla se offert, cur Dominus talem communicationem impediat, videtur mihi securè dici posse quod peruenerit quoq; ad voluntatem Intellectus verò prosequens suos discursus redit ad Colloquium cum Christo.

Cvm Domine humana voluntas in te considerari possit, quatenus naturaliter operatur, hoc est, nullo antegresso discursu, sed tãtum secundũ primam intellectus apprehensionem, qua subitò mouetur in rem cognitam: & rursum cum eadẽ considerare queat, quatenus antegresso prius discursu operatur, Video, has duas commotiones fuisse in voluntate tua vtroq; modo iam exposito. Nam cum intellectus tuus apprehenderet mortem, velut naturæ malum, subito voluntas futurã extimuit, & tanquam apprehensione præsens contristauit. Cum enim teste tuo B. Damasceno omnis creatura naturaliter diligat cõseruationem sui, naturaliter quoq, horret eius contrarium, id est, mortem, vt singillatim quoque affirmat B. Cyrillus de te verbo facto carne. *Caro*, inquit, *factum permittit carni sua, vt propria patiatur, & ideo tanquam verus homo mortem in ianuis existentem pertimuit.*

Et quoniam tua voluntas nonnunquam moueri potest ex consideratione Intellectus facta cum principiis humanis, quo casu appellant isti voluntatem inferiorem: alias verò ex consideratione rerum diuinarum cum principiis diuinis, aut humanarum, cum mediis diuinis, quo casu vocant voluntatem superiorem, animaduerto vtraque ratione inueniri in voluntate tua ambos affectus. Etenim in inferiore dolebas, mortemq; timebas, ob castigationem incumbentem populo, quē amore humano velut populares tuos complectebare, & multo magis propter afflictiones, quas habitura erat Mater tua sanctissima quam eodem amore ardentissimè prosequebaris. Video etiam te contristatum in parte superiori propter scelera in tua crucifixione committenda, quatenus iis DEVS pater atrocissimè offendebatur. Intellectus dehinc ad animam suam conuersus tale Colloquium instituit.

Quoniam, o anima mea excipere potes, Christum à suæ conceptionis primordiis fuisse in anima beatū, ac proinde ab omni dolore & timore immunem, scire debes, cum beatifico gaudio quod erat in appetitu intellectiuo, potuisse cohærere dolorem

vel

vel mestitiam in appetitu sensitiuo. nam cum sint potentiæ inter se distinctæ, quæq; potuit propriam suam actionem exercere. Quod autem vterq; actus gaudii & tristitiæ potuerit quoq; inesse voluntati, credibile facit diuersitas obiectorum. Obiectum enim gaudii beatifici erat diuina bonitas, tristitiæ verò malum proprium naturale, vel secundum alios, spirituale.

RESTAT nunc excutienda magnitudo pauoris & tristitiæ, dicitque intellectus. Colligo incredibilē fu sse vtriusq; magnitudinem. Nam, excepto quod tormenta Christo illata superarint grauitatem omnium tormētorum homini vnquam illatorum, eo quod per phātasiam distinctissimè, liquidissimeq; sint apprehensa, hoc exasperarunt magis dolorem in appetitu sensitiuo, quo spiritus animales in eo exstiterunt viuaciores, & efficaciores Eodemque gradu, vel etiam maiore dolores affecerunt voluntatem, nam cum lumen Intellectus phantasiæ lucem haud secus superet, quam solis splendor radios stellarum, in intimos acerbitatis tormentorum grauitatis peccati, & offensæ diuinæ recessus penetrauit, ac, ideo dictos affectus longe vehementius concitare potuit. Atque hic voluntas tale

Colloquium habet cum Intellectu. Non alia equidem de causa passus sum, vel mandaui potius, vt in tam subtilem, tamq; distinctam horum affectuum inuestigationem te immergeres, quam vt hoc vehemétius dolore, & toto pectore compati possim IESV doloribus obruto, non autem vt curiositatem à natura tibi insitam pasceres. Secundo colligo dolorum immensitatem ex verbis ab eo adiectis. *Vsque ad mortem.* Videtur enim mihi in hunc modum loqui voluisse. Tanto oppressus sum pauore & mœrore, vt non longè absim à morte. Vel, anima mea patitur dolores morientib. non absimiles Deinde eandem coniicio ex illis verbis. *Et factus in agonia*, id est, in extremo cum morte cõflictu. Quartò ex sudore sanguineo, proculdubio non nisi ex summis intimisq; animi & corporis angustiis profecto: sicut enim moribundi impendẽte vitæ exitu solẽt sudare, hoc est humorem inhærentem sanguini venis incluso profundere foras, sic Christo tãtus obrepsit metus mortis, vt cum humore & sanguinẽ foras propulerit, ac tanta quidẽ copia, vt imbueret terram, sicut testatur S. Lucas. *Et factus est*, inquit, *Sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Nec dubito tunc Christum

Luc. 22.

morte

morte occubiturum fuisse, nisi miraculosè in vita conseruatus fuisset.

POSTREMVM quod diximus expendendum de his affectionibus, est FINIS, ob quē pauorem illum & mœrorem Dominus assumpsit. Vbi intellectus dicit. Primum finem hunc puto esse, quod voluerit esse partes suæ passionis sacratissimæ, sicut fuit flagellatio, coronatio, irrisio, &c. Secundus erat, vt se hominem vera carne non phantastica, aut imaginaria præditum demonstraret. nam timuit, tristatus que est aliorum hominum instar. Tertius, vt solaretur nos, si quando terrore concuteremur, vt notauit S Augustinus. *Nostra*, inquiens, *humana infirmitatis affectus, non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit Dominus: vt si cui ex fidelibus membris suis inter humanas tentationes contristari, & dolere contingeret, non ideò se ab eius gratia putaret alienum, & non esse ista peccata, sed humana infirmitatis indicia.* In psal. 87.

PRO complemento huius secundi Puncti superest, vt intellectus discutiat nonnulla verba textus, eo quod exacta eorum notitia iuuare possit ad plenā cognitionē rerum gestarum. Incipiens ergo à verbo

PAVERE,

PAVERE, dicit. Inuenio ea non significare quemlibet leuem timorem, sed qui incutitur cum quodam animi stupore, & vocari potest TERROR, ac vocabulum græcum significat metum, cuius magnitudine homo quasi examinatur, & viribus deficitur. Et tibi non displicet, addo significatum eius conuenire cum significato verbi PAVIRE quod significat, percutere, vt significet palpitationem, quo cor commouetur vt palpitet. Alterum verbum est TEDERE, & significat fastidium, & deiectionem animi, qua homo obruitur ex nimio cordis dolore. Tertium est MOESTVS ESSE. Mœstitia propriè est profunda melancholia, qua homo ex diuturno mœrore affligitur. Vnde noto, inquit Intellectus, illam domini mei tristitiam tam intensam fuisse, vt quamuis exiguo tempore durarit, tamen exæquarit mœrorem longissimi temporis.

PVNCTVM III.

Dominus tertio orauit, & qualibet vice visitans tres discipulos inuenit eos dormientes.

QVONIAM diuisio cuiusq, rei non parum iuuare solet ad intelligentiam in

ter capita distinguam; quæ dicturus sum de mysteriis huius ternæ orationis. Primum erit, quæ petitio in ea contineatur. Secundum, à quo fiat Tertium cui fiat. Quartum quo modo. Quintum quo fine. Sextum & vltimum, sitne exaudita, an non.

Incipiendo à primo primæ orationis puncto; quæ fuit. ABBA *pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Ego credo, inquit Intellectus, Dominum verè deprecatum mortem, idq; significari voce *transeat.* Et confirmo ex modo loquēdi alias vsurpato. *Vt transeat ab eo hora*, vbi per synecdochen nomen partis vsurpauit pro toto. VT HORAM pro tempore, & pariter continens nominauit pro contento, nempe tempus, & locum pœnarum & tormentorum, quæ erat tunc passurus Deinde ex aliis illis verbis. *Transeat à me calix iste*, vna cum illis. Si non potest transire calix, donec B. BAM *illum*, quasi diceret Si non potest transire calix iste, nisi bibam illum. Ex quibus omnibus liquet eum loqui de sua persona, & non martyrum postea pro Christo passurorum.

QVOD ad secundum attinet, oratorem video esse IESVM verum hominem & Deum. Hic intellectus ad animam conuersus. Recognosce, inquit, anima mea humilitatem

tui

tui IESV in hac precatione, quia eam faciat ad patefaciendam suam humanitatem qua minor est Patre, vt dicit B. Athanasius *Minor Patre secundum humanitatem*: atq; ad præbendum tibi exemplum, vt in afflictionibus tuis ad orationem confugias.

In Symbolo.

QVOD ad tertium, video quod eam diuingat ad Patrem, nam dicit, *Abba pater, Pater enim misericordiarum est, & Deus totius consolationis* vt vocat eum Apostolus. Quæ duæ conditiones magnam iniiciunt spem impetrandi.

2. Cor. 1.

QVARTO, video modum orandi externum esse, quod flexis genibus primum deinde pronus in terra orarit. *Positis genibus* habet textus, *procidit in faciem suam* demonstrans hoc gestu, inclinationeq; corporis submissionem animi, qua orationem fundebat. Modus internus deinde est, quod fecerit ex intimo corde, vt geminatio illa ostendit. *Abba pater*, Abba enim idiomate Syriaco idem est, quod Pater. Eundem affectum clarius declarat pronomẽ MI, quod adiunxit S. Lucas. Itaq; dixerit. Pater, Pater mi. Idem conuincit denique tertio iterata eadem petitio. Cæterum animaduertoillud quoq, quod affectu non fuerit eousque proiectus, vt præcise & absolute petitionẽ illam

Luc. 22.

illam proponeret, sed semper conditionem adiunxit si ita placeret: vt liquet ex particula conditionali, SI. *si possibile est, transeat.* Et iterum: *Orauit, si fieri posset, transiret.* Et. *Si vis, transfer calicem hunc à me.* Ac deniq; *Si non potest hic calix transire.* Idem demonstrant exceptiones in qualibet repetitione factæ. vt *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Item. *Non sicut ego volo, sed sicut tu* Et. *Fiat voluntas tua.* Non ergò absolutè petiuit oppetere mortem, sed tantum habuit simplex desiderium, & voluntatem conditionatam.

QVOD ad fines Christo in hac oratione propositos attinet, Arbitror primum fuisse, vt demõstraret se veri hominis instar mortem pertimescere. Secundum, vt in ærumnis perfugium haberemus ad orationem, sicut paulo ante disertis verbis docuerat. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ioan. 13.

QVOD deniq; impetrationem attinet, animaduerto, inquit Intellectus cum nõ exauditum in primario suæ petitionis capite, vt non moreretur. Et per modum Colloquii ad Dominum dicit. Constabat tibi decretum à Patre æterno factum te debere mori, quod non poterat mutari, cur

cur ergo contrarium petiuisti? Etiamsi constaret, tamen petiui. nec ideò insipienter egi, vti pronunciauit Dauid. *Clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad* INSIPIENTIAM *mihi.* Id enim feci ad declarandam meæ carnis infirmitatem, atque hoc impetraui. Nec cogitandum est meam voluntatem fuisse paternæ contrariam, quia ille animæ meæ potentias cohibendas non putauit, quo minus naturales suas exererét actiones, haud secus, quam si purus homo fuissem, sicut tu: & idcirco plus me conformaui cum eius voluntate, immò simulatq; ab angelo indicatum est bibendū calicem, ipsę quoque mihi se conformantes libenter amplexæ sunt mortem sicut tunc demonstraui discipulis dicens, *Surgite, eamus.* id est, obuiam procedamus inimicis. Atque ego ipse, percunctatus eos, quem quæreréť, dixi. *Ego sum.* Et cum cordis gaudio subiecí, *Si ergo me quæritis, sinite hos abire,* meque in eorum manus tradidi. Atq; hoc sufficiat de prima oratione. Transeamus ad alteram.

Psal. 21.

PATER MI, *si non potest hic calix transire, nisi bibam illum fiat voluntas tua.* In quam sic ratiocinatur Intellectus. Aduertere videor, tam voluntatem Christi, quam partem sensitiuam sensim in sua petitione ter-

giuer-

giuersari. Cum enim hanc secundam orationem per negationem inchoet *Si non potest hic calix transire*, videntur cæpisse intelligere petitionem fore impossibilem. Vnde voluntas dicit. Propositum facio me nunquam primæ meæ sententiæ constanter inhæsurum, vt primum aduertero non consentire cum opinione superiorum.

TERTIA & vltima oratio fuit, vt dicunt Euangelistæ. *Et orauit tertio eundem sermonem, dicens*. id est, eandem orationem, eadem conditione prolatam, qua duæ priores. & quod eo amplius est, eodem tenore animi constantis, sic vt neq; tristitia, neque pauor, licet maximus rationem turbarint, vel effecerint vt orandi formam mutaret.

SVPEREST nunc expendere visitationes, quas Dominus inter orandum, fecit ad discipulos tres Circa quas Intellectus discurrens ait Video eum, cum in prima inueniret dormientes, illos in commune reprehendisse. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* ad commonefaciendos forte superiores, vt non abstineant à reprehensione etiam eorum, quos sibi habent carissimos, quando delinquunt. Disco quoque ex B. Marco speciatim reprehensum fuisse Petrum his verbis. *Simon dormis? non potuisti*

vna hora vigilare mecum? ad informandos Prælatos maiores vt quando opus est, etiam reprehendant prælatos inferiores. Aduerto præterea, inquit intellectus, correctionem hanc fuisse verè fraternam, suauẽ, & amoris plenam, nam addidit. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* hoc enim in sensu multi sancti hæc verba exponunt. atque si dixisset. Explorata mihi fuit spiritus vestri promptitudo ex promissis paulo ante factis, & quamuis iam inueniam vos dormientes, tamen id non tribuo ignauiæ, sed naturali carnis vestræ imbecillitati. Memoria huc adfert non
Gal. 6. absimile consilium ab Apostolo Paulo in epistola ad Galatas datum, dum ait *Si quis praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, corripite eum in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.*

De altera visitatione, considero & admiror, quod scribit S. Matthæus *Et venit iterum, & inuenit eos dormientes, & reliquit illis iterum abiit.* Qua in re noto Domini māsuetudinem singularem: nam cum paulo ante eos arguisset, videretq; non profuisse, naturaliter videtur debuisse in eos commoueri, & grauius coarguere, & tamen contrarium facit, ne verbo quidem eos compellans

pellans, contentus pœna verecundię quam ipsi sibi accersierant. nam B. Marcus dicit. *Et ignorabant, quid responderent ei*, nempe egregiè pudefacti. Vnde dicit Voluntas, Statuo & ego quoties animaduertero superiorem abstinere à reprehensione meorum lapsuum non abuti eius mansuetudine, sed meipsum pudore suffundere: similiter si contingat mihi curam iniungi aliorum, vbi notaro subditum pœnitudine duci de errore commisso, ne afflictionem addam afflicto, rem dissimulabo.

De postrema denique visitatione ita scribit S. Matthæus. *Tunc venit tertio ad discipulos suos, & dicit illis. Dormite iam & requiescite.* Quæ verba, inquit Intellectus, plus admiror, quam superiora. Iam enim Dominus non solum tacet, sed etiam eos inuitat ad quietem, vt exponit S. Augustinus.

Restat vt quædam verba textus scrutemur. Primum est, SVRREXISSET, Ex quo colligo, ait Intellectus, Dominum totam orationem perfeciisse genibus flexis, maximè si verum sit non aliam sententiam verbis illis, *procidit in faciem suam super terram*, esse subiectam, quam quod in genua prolapsus vultu in terram inclinato

orauerit, non quod vultu terram attigerit. De quo dicit voluntas. Magno pudore suffundor ad hoc exemplum. nam simulatq; me dolor aliquis renum pupugerit, aut genua oblanguerint stans vel sedens orationem prosequor. ALTERVM verbum considerationе dignum, est pronomen SVVM, quod Euangelistæ semper in hoc facto adiungunt, quando mentionem faciunt discipulorum, vt. *Egressus est cum discipulis suis.* Et rursum. *Secuti sunt eum discipuli sui.* Et illud *Tunc venit tertio ad discipulos suos.* Et deniq;. *Et dixit discipulis suis.* Qua forma loquendi declarauit, quanto amore eos complecteretur, conuenienter dicto illi. *Cum dilexisset* SVOS, *in finem dilexit eos* In finem, vel quia dilexit vsque ad mortem, vel quia summo amore.

Ioan. 13.

Luc. 22.

SVB finem orationis tertiæ, teste Luca, apparuit angelus Domino vt eum confortaret. *Appparuit autem* illi, inquit, *angelus de cælo confortans eum.* In quæ verba discurrens Intellectus, ait Hanc confortationem totam credo extrinsecus factam, vt v.c. varias adduxerit rationes, cur æquo & libenti animo oppetere mortem deberet, non autem robur addiderit internæ voluntati Firmiter enim in animo suo constitue-

rat

rat pati & mori excluso omni gaudio, excepto solo beatifico. Et ideo hortabantur non vt alacriter, sicut alii martyres, sed vt fortiter omnes cruciatus perferret.

Finis imponitur hoc Colloquio. Optarim Domine tibi gratias referre pro tantis cruciatibus, quos propter me perpessus es, sed quomodo potero eas exprimere verbis, cum mente earum magnitudinem concipere nequeam? Decreui ergo silere, precando bonitatem tuam, vt me tuarum participem facias pœnarum, quo eas probans rectius comprehendam earum atrocitatem, atq; ita etiam ardentiores gratias agam.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

EXEMPLVM MEDITATIONIS *secundum applicationem sensuum.*

CAP. VII.

PRo hac Meditatione commoda mihi visa est materia de CRVCIFIXIONE Domini; in eam enim incidunt multa, quæ occasionem præbent reipsa practicè ostendédi, quæ tradita sunt supra de documentis, vt apparebit in discursibus. Primum sit, quod principium crucifixionis iam in meditatione alia fuerit propositum, longisq; discursibus tractatum in c 2 in verba à Domino nostro de cruce dicta. *Pater dimitte eis*, &c. Incipit ergo dicere Auris. Videor mihi audire Dominum verba illa voce admodum plena & sonora pronunciantem. Atq; hic subsistit Auditus: Ad quæ permotus intellectus breuem discursum facit dicens. Vnde ego colligo, quod magno affectu caritatis enunciarit: experientia enim docet, à nobis voce clara & sonora proclamari, quod ex corde intimo proferimus. Vnde natũ vulgare prouerbium apud quosdam, ore paruo vel angusto postulata, quæ exiguo affectu postulantur. Vbi voluntas pro suo

suo profectu spirituali illico dicit. Ego vero primum non paruo verecũdiæ affectu tangor, q; sæpenumero dum interfui in Ecclesiis, vel congergationibus publicæ orationi vocali, vel ex incuria, vel tædio ore non responderim, sed mente tantum, vel etiam neutro modo, aut si voce responderim id feci tam submissa, vt vix ipse eam audierim. Deinde propono me in posterum semper responsurum voce conuenienter clara & firma, etiamsi forem defatigatus, idq; ad imitandum meum magistrum IESVM, qui etiamsi tam malè tractatus esset, tam grandi voce inimicis deprecatus est veniam. Atq; hoc modo inducar ad amplectendam quoque exhortationem Ecclesiæ dum me admonet, vt laudes diuinas plena voce decantem. *Sit laus plena*, inquit *sit sonora*. Verum conabor addere & attentionem, & gaudium, vti hortatur eadem verbis sequẽtibus. *Sit iucunda. sit decora mentis iubilatio.* Quod cõsulit quoq; B. Bernardus suis monachis sermone 47 in Cantica. *Vnde vos*, inquit, *moneo dilectissimi, purè semper ac strenuè diuinis interesse laudibus, strenuè quidem, vt sicut reuerenter, ita & alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes* VOCIBVS,

non precidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & REMISSIS vocibus muliebre quiddam balba denare sonãtes, sed VIRILI, vt dignum est, sonitu & affectu voces sancti spiritus depromatis Hæc satis sint de Aure. Cæterum antequam transeamus ad oculos visus es mihi monendus, actionem sensus, licet breui expediatur, & discursum quoque intellectus habeat breuem, voluntatis tamen functionem posse prolongari in quærendo profectu suo, sicut iam feci in hac actione Aurium. Veniamus ad oculos.

Diximus supra, si meministi, B. Bonauenturam credere Dominum hæc verba protulisse, dum cruci in terra adhuc iacenti affigeretur. Oculi itaque mei aspicientes sanguinem è manibus, pedibusque Christi erumpentem, testantur illum fuisse rubicundum & purpureum magis quam sit corallii vel chrysolithi. Quo colore motus Intellectus breui discursu dicit. Hinc colligo certo vehementissimum fuisse dolorem, quem sensit in tormentis. Nam cum fuerit complexionis temperatissimæ, quæ Tactui magnum addit vigorem, non potuit non profluere sanguis, nisi naturalibus omnibus perfectionibus suis constans

inter

inter quas est rubedo. Qua re inflammata voluntas ait. Statuo & ego, me dum disciplinam facio guttulam aliquam sanguinis expressurum, vt indicium aliquod prębeam imitandi Christi, vt cum illi placuerit, desiderio accendar profundēdi totum per sanctum martyrium, sic vt ne vlla quidem guttula in me permaneat.

Transeundo deinde ad sensum GVSTVS imaginare te degustare vinum Domino porrectum, quod S Marcus vocat *myrrathum*, & S. Matthæus addit, *cum felle mixtum*, & deprehendes esse valde amarum, ac proinde labra ad aliquod tempus amaritie imbui. Vbi intellectus hunc instituit discursum. Porrectio vini aromatici facta crucifixis introducta est quondam ad confortandum illos, quo constantius dolores ferrent, at meo IESV doloribus obruto illud permiscent felle, vt cum vini efficacia labia amaritudine insolita affligerent. Atque hic voluntas sentiens se animatam ad patiendum. Propono, inquit me diuina opitulante gratia primum fortiter, deinde etiam alacriter, quandocunq; euenerit, potum amarum vini, vel alterius rei assumpturum, memoremq; futurum huius amarissimi poculi Christo porrecti: pudoroque

ſuffundar, ſi contingat me vel conqueri de qualitate potus mihi à maioribus meis appoſiti, vel etiam condire aromatis, vt magis palato arrideat. Memini enim S. Bernardū in Apologia ad Guilielmum Abbatem acriter, ſed meritò inuehi in Monachos, qui melle, aliisq; ſpecieb. aromaticis ſua vina, vt dulciora eſſent, condiebant Atq; hic mihi in mentem venit commonefacere te, vetitum non eſſe ſenſum vnū multis obiectis ſuis, ſi ſint in meditatione plura, applicare. Quare & hic poteris digitum intingere, in diuinum illum ſanguinem, applicare ori, & inexplicabilem inde exugere ſuauitatem, vt ſcribitur de Manna. Quo adducit Memoria id, quod Eccleſia de ſanctiſſimo ſacramento canit. *Panem de cælo præſtitiſti eis, omne delectamentum in ſe habentem.* Quæ verba etiamſi propriè de ſpecie panis intelligantur, extendi tamen à nobis poſſunt ad ſanguinem ſub ſpecie vini exiſtentem Quo diſcurſu dulcedine quadam perfuſa voluntas. Propono, inquit, me ſedulam operam nauaturum, vt delibem ſuauitatem ſanctæ communionis, ac nominatim ſanguinis quoties ſum ſacris, ſi ſim ſacerdos, operaturus.

AD ODORATVM exercendum, cum nullus hic

hic occurrat odor materialis (nisi credamus, quod quidam sancti perhibent, fuisse in monte Caluariæ ingentem fœtorem ex crucifixorum cadaueribus) accipiemus odorem metaphoricum & spiritualem (id enim monuimus in documentis posse fieri) Is autem sit ipsa oratio à Domino pro crucifixoribus facta Imaginor itaq; me astare cruci, & percipere orationis illius suauitatem, cuius odor in cœlum ascendens tam gratus fuit æterno Patri, vt mox postulata impetrarit. In cuius confirmationem Memoria profert illud B. Pauli ex epistola ad Hebreos. *Exauditus est pro sua reuerentia.* Heb. 5. Deinde testimonia Euangelistarum. nam de Centurione dicit S. Marcus. *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait. Verè hic homo filius Dei erat.* Marc. 15. Et S. Matthæus de militib. *Et qui cum eo erant custodientes* IESVM, *viso terræmotu, & ea quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes. Verè filius Dei erat iste.* Matt. 27. Deniq; S. Lucas loquēs generatim de iis qui sub cruce manserant. *Et omnis*, inquit, *turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant percutientes pectora sua reuertebantur.* Luc. 23.

SVPER-

SVPEREST Tactus. Imaginor itaq; me manibus diuinum sanguinem tangere, & sentire esse calidissimum, & quasi bullientem vbi Intellectus breuiter sic discurrit. Calor hic etsi oriatur ex naturali calore cordis, qui erat ob bonitatē complexionis admodum viuidus, tamen augescebat maiorem in modum ex vigore diuinæ caritatis sancto pectori inhærētis. Iam si amor naturalis vim habet, vt ferunt calefaciendi carnem cordis, cor autem sanguinē, multo magis id faciet amor diuinus, vt expertus est B.P. FRANCISCVS XAVERIVS, qui dicto amore tantopere æstuabat, vt non pateretur veste pectus contegi, & idcirco sæpe manibus subleuabat. vti solet depingi. Memoria hic dicit. Memini me legisse in quodā scriptore, primitiuæ Ecclesiæ fideles tam multos actus heroicos in vita sua demōstrasse, & cum summo animi gaudio atrocissima supplicia, mortemq; ipsam toleraſſe, quod eorum pectoribus recēs ille Christi sanguis adhuc efferuescceret: ac in intellectu quidē ob assiduam contemplationem passionis Christi, in corde verò per ardentissimum amorem. Quo sanguine vel amore plenam quoq, animam habuisse videtur B. RODOLPHVS Aquauiua in noua Indiarum Ecclesia,

Horat. in eius vita.

cum

cum ad primum impiorum gentilium impetum qui eum trucidarunt, in genua prociderit, & veste propria manu in humeros deducta ceruicem nudam cædendam præbuerit. Vnde inflammata voluntas, dicit. Et ego idem facere conabor, assiduè frequentando Meditationes de hoc sanguine amoris plenissimo: Sic enim sperare potero, intellectu sic considerationibus instructo, & voluntate amore inflammata, eosdem vel saltem similes effectus secuturos, nempe vt fortiter sustineā omnes cruces & ærumnas, quas necesse erit pro mea vel proximorum sanctificatione sustinere. Et hæc sufficiant de applicatione sensuū quoad obiecta propria Sequitur vt dicamus de applicatione eorundem ad obiecta communia primaria, & secundaria.

Atq; initio facto à QVANTITATE, applicando Oculos ad sanguinem è manibus & pedibus profluētem, dicit. Video magnam esse sanguinis copiā. Quod si & manus humi delapsum sanguinem circum circa pergerent tāngere, inuenirēt, totū solum cruore imbutum. Vbi sic breuiter ratiocinatur Intellectus. In flagellatione, nec palmę manuum, nec plantæ pedū flagellis tactæ fuerāt, sed quia amor diuinus eum impulerat, vt opta-

vt optaret toto corpore pati, noluit palmas & plãtas esse à passione immunes, & sic impleretur, quod scriptum est ab Isaia. *A planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas.* Isa. 1. Ingens autẽ sanguinis copia profluxit, tum quia in manibus pedibusq; sunt venæ permultæ, & bene magnę, tum quia admodum erant laxa eorũ vulnera Clauis enim crassis cruci affixus fuit, vt põdus corporis de sublimi pendẽtis commodius possent sustinere. Et hic Memoria suggerit vaticinium in Canticis. *Manus meæ distillauerunt myrrham.* Cant. 5. Vbi intellectus ait veram effici doctrinam S. Augustini asserentis, Christum abundantissimè complesse, quicquid de illo fuit conscriptum. Nam verè nunc potest dicere. Manus meæ pluunt, & non tantum stillant, imò flumen effundũt nõ iam myrrhæ, sed sanguinis. Vnde statuo, inquit voluntas, quoties mihi deinceps vel manibus laborandum, vel pedibus iter conficiẽdum erit ex superiorum mandato, prõmptè & alacriter id perfecturum, etiamsi multo mihi sudore constaret, non dicam, & sanguine, quia dignus non sum.

Quod ad Figuram attinet, imaginor me oculis videre, & manibus tangere, Figuram & superficiem ligni crucis nõ fuisse, omnino pla-

no planam, sed quasi rotundã, eo quod improbi illi noluerunt operam locare in ea læuiganda. Deinde fuisse angustiorem humeris Christi. Vbi, inquit Intellectus, breuiter ita contemplor Necesse est Figurã hanc auxisse Christi dolores, nam præterquam quod non possit trabi illi vtpote rotundæ commodè incumbere, corpore ob naturalem grauitatem, & imbecillitatẽ ex flagris acceptam valde depresso, humeri etiam ad crucis latera dilacerati sunt, qui nouum & specialem conciliarunt dolorem. Vnde voluntas incensa, clamat animum sibi esse deinceps ad acriores corporis diuerberationes faciendas, etiamsi humeris inde dolor accessurus sit maior, modo ne lacerentur vt facere solebat S. Catharina Senẽsis, & bonus P. N. Paulus Achilles. qui crebro sic in hostẽ domesticũ desæuiebat, vt aliena ope indigeret in induẽdis, exuendis q; vestibus.

NVMERVM, quoties Dominus suam orationẽ repetiuerit, possunt percipere Aures, sicut & numerum ictuũ, dum Christus cõfigeretur clauis. Oculi quoq; possũt numerũ clauorum perspicere. Sed & Tactus poterit dinumerare ossa corporis vi magna suis iũcturis in crucifixione emota & distracta, secundũ illa verba Dauidis in persona Christi

dicta

Psal. 21. dicta. *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* Et Intellectus subito ratiocinatur. Cogito piè eum ter repetiuisse, istam orationem Vulgo enim dicitur. Ter transit. Quod enim semel tantum dicitur, non semper serio, vel ex corde dicitur. Et ideo si v c suspirantem aliquem audiamus, attendimus an idem secundo faciat, & si tertio repetat, credimus eum serio suspirare & magno aliquo dolore angi Ac fortasse etiam S. Paulus idcirco ter Dominum rogauit, vt à sua tentatione liberaretur, indicans se serio id postu-

2. Cor. 12. lare. Similiter de clauis, quos videt esse tres, concludit, acerrimos dolores Christum perpessum, cum vterq; pes vno transfigeretur clauo. Quod si quatuor fuerint, colligit atrociorem fuisse Christi cruciatum, qua si separatim singuli pedes trãsfixi sunt, diuturnior fuerit afflictio Quod idem colligit ex diuulsione ossium. Et pro proprio profectu, de primo dicit voluntas. Toties petam mihi cõdonari noxam ab inimico, quoties necessarium erit, vt credat me toto pectore id flagitare. De secundo, statuo me libenter latiturum in cubiculo, & non hac illacuè discursurum, quoties mihi fuerit mandatum, vel vtile iudicauero ad rectè orandum. nisi aliud dictet caritas propter iuuãdos proximos.

Pro

Pro motu imaginor me coniicere oculos in os Domini; notareq; quod illud moueat, crebriusque ob frequentem respirationem aperiat. Videor mihi quoque audire eundem motum miserabilem percipere. Sed & sacrum illud pectus intueor, & cor vehementer palpitans, propiusque me adiungens, dum cum omni reuerentia manum illi admoueo, videtur sensibiliter repercuti. De quibus motibus dicit Intellectus. Ego plane iudico motum illum non solum oriri ex summis corporis doloribus verum sigillatim etiam ex contractione pulmonum, quam effecerit, tum situs ille corporis supini in cruce hærentis, tum violenta brachiorum extensio, vt peruenirent ad crucis foramina ante facta, quæ quidem fecerant vt pectoris thorax tanto fortius calcaret pulmones. Hi vero ita impediti, quo minus naturali suo motu attraherent aerem ad refrigerandum cor, coacti sunt breuibus, & crebris respirationibus, ne suffocaretur cor, ordinarias longiores supplere, quod ingentem illi & dolorem & angorem creauit. In cuius confirmationem, Memoria affert illud Psalmi 142. *Anxiatus est super me spiritus meus, & in me turbatum est cor meum.* Et subiungit Intellectus. Cogito, cum fla-

gella non potuerint proximè pertingere ad cordis substantiam noluisse Dominum illud immune à cruce relinqui in sua sacra passione, & ideo permisisse illas corporis distractiones in cruce, dum clauis configeretur, quo dictam agoniam, & oppressionem cordis patefieret. Vnde pro meo spirituali profectu constituo, inquit voluntas, petere à Domino Deo, vt præter dispicentiam quam mihi largitur ob lapsus factos, etiam dolore aliquo affici sinat meum cor, vt discam quadantenus compati cordiali eius dolori. Et quia locutio est quædam species Motus, de qua inter alia quæri potest, sitne longa an breuis, videor mihi auditu percipere Dominum verba orationis pro suis crucifixoribus cunctanter & quasi syllabatim pronunciare, eorum instar qui longè, multo interiecto intervallo, aliquem alloquuntur, vt intelligantur. Vnde propono, ait voluntas, me orationes vocales recitaturum tardè, & in choro versum sociorum non anticipaturum, & in Litaniis non ante dicturum *Ora pro nobis*, quam sacerdos sanctum enuntiarit.

Pro QVIETE imaginor me coniicere oculos meos in oculos Domini, qui perpetuo eos retinuit apertos, & in cœlum sine vllo palpe-

palpebrarum motu defixos Quare excitatus Intellectus ait. Illa oculorum defixio, luculentum indicium est, orationem ab eo summa mentis attentione, & intentissimo voluntatis affectu fusam. Nam & immotos solemus tenere oculos, cum attentè in præclarum aliquem virum aciem oculorum dirigimus, maximè si beneficium aliquod ab eo expectemus: sicut claudus direxit in S. Petrum & S. Ioannem, cum dicerent. *Respice in nos* vbi subiungit textus. *at ille intendebat in illos, sperans se aliquid accepturum.* Act. 3. In confirmationem huius Memoria adducit illud Psalmi. *Sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum: & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Psal. 122. Cogito ergo, subiicit Intellectus, IESVM crucifixum sic oculos in cœlum defixisse, quasi conspiceret Patris cœlestis binas manus, liberalitatem scilicet & misericordiam, quarum beneficio sperabat se gratiam condonationis pro suis crucifixoribus impetraturum. VBI voluntas commota, Propono, inquit, apud animum meum, me oculos firmos retenturum in Meditatione, vel oratione vocali, vt quando recito

Officium diuinum ex obligatione, vel deuotione, nec patiar eos huc illucque vagari. Idem dico de quauis alia oratione, siue memoriter eam dicam, vt Rosarium, siue er libello legam.

Cogito, inquit Oculus, redire ad contuendum pectus Saluatoris, & videre quemadmodum cordis palpitatio cessarit: missaque manu in pectus experior iam esse quietum. Vbi Intellectus omnino, inquit, mihi persuadeo incredibilem pati angustiam Dominum, quia non nisi in grauissima cordis oppressione solet cessare pulsus illius. Et voluntas dicit. Et ego volo operam dare quieti & cessationi à peccando; id enim Dominus per Isaiam clamat. *Quiescite agere perversè.* Et hæc satis sint de sensibilibus communibus primariis, pergamus ad secundaria.

Isa. 1.

Et incipiendo à DISTANTIA imaginor me intueri illam, quæ erat inter manus & pedes Saluatoris, clauorumque foramina iam in cruce facta; deinde propius accedentem attingere crucem, & manu metiri distantiam; tantamque deprehendere, vt opus fuerit plurimum extendere brachia pedesque Christi. Vbi Intellectus. Colligo, inquit, per certissimam consequentiam, id

factum esse cum acerbissimo, maximoque Domini cruciatu, sic prorsus, vt verè competeret illi epithetum, quo Isaias eum appellat, *Virum dolorum*, id est, doloribus plenissimum: quo sensu dicimus hominem boni temporis, qui totum se tradit recreationibus & ludis. Videor quoque mihi videre oculis, manibusque tangere, quanto spatio diuulsæ sint ossium commissuræ. De quo Intellectus ait: certo mihi persuadeo in illa diuulsione Dominum nostrum grauissimos sensisse dolores, quia vltra corporis extensionem; & neruorum deductionem acerrimam, accessit commissurarum distractio, quæ afflictionem nouam ei pepererunt. Et voluntas pro suo profectu, dicit. Pœnitet me magnopere & pudet, quod aliquoties frustra indoluerim me à caris meis amicis abstractum: statuoque me deinceps nolle talibus de causis, etiamsi ad promouendum spiritum prodessent, contristari. Cuius confirmandi ergo Memoria profert reprehensionem à Domino factam discipulis, quod tristarentur, dum loqueretur de suo ab illis discessu: confido enim id in maius meum gaudium cessurum, sicut cessurum suum discessum prædixit discipulis dicens *Expedit vobis, vt ego vadam.* Et rursus. *Isa. 53.* *Ioan. 16.*

Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.

Pro SITV cogito me (vt piè quidam contemplantur) me cernere Christum iam crucifixum pronum in terra, eo quod milites inuertissent crucem, vt clauorum acumen incuruarent. Idemq; me proxime assistentem Tactu percipere. Quo in situ, inquit Intellectus, video noui doloris accessionem factam ex grauissimo crucis tergo incumbentis pondere, quo pænè suffocabatur. Aduerto & motum, quo manibus pedibusque iam fixis atrocissimo cum cruciatu ad se attrahit crucem, vt vere ad litteram
Isa. 63. compleatur in eo illud Isaiæ. *Torcular calcaui solus.* Ideo enim vtitur verbo actiuo, vt indicaret se à tergo premere torcular sanctæ crucis. Noto etiam à cruce calcati coronam capitis circa collum, & contra à terra eandem premi in frontem. Fingoque me videre, quemadmodum mouendo caput, nunc in vno latere, nunc in altero humi nitatur. Et intellectus repetit. Rursum ardenti hic affectu multa patiendi rapior. Voluntas vero dicit. Ego quoque sponte me tribus sanctorum votorum religionis clauis volo cruci affigere, & me mortificare in iis, quæ maiorem carni dolorem conciliat, siue sint

cilicia,

cilicia, siue disciplinæ, modo accedat Patris spiritalis consensus.

DISCONTINVAM cogito deinde me aspicere totam Domini nostri pellē, tota enim erat flagris sauciata & lacerata. Idem quoque Tactu mihi probare videor, dum manum hinc inde cuti admoueo. Vnde colligo, ait Intellectus, magnos fuisse Christi in carne dolores. Docent enim Philosophi dolorem non esse aliud, quam diuulsionem continui. Et voluntas dicit. Ingenti se pudore affici, quod in tam crebris corporis diuerberationibus, ne semel quidem hucvsque pellem discontinuarit. Videor quoque videre & tangere CONTINVAM brachiorum, pedumq; distensionem vsq; dum perueniatur ad clauorum foramina. Vnde concludo, ait Intellectus, hunc vehementissimum fuisse dolorem, quia nulla intercedente interruptione, vel relaxatione, quę moderari solent cruciatū, fuit continuata. Quare propono, addit voluntas, me nunquam quoque interrupturum vel remissurum cursum disciplinarū consuetum, quantocunque me dolore afficiant.

ASPERVM & intueor, & manibus tracto delicatum corpus IESV, cutis enim lacera in rugas contracta est, tum ex aeris

frigore, tum quia corpus erat nudum. Vnde, inquit Intellectus, animaduerto nouum oriri cruciatum, eo quod partes pellis à vicinis longius auellantur. Memoria opportunè huc adfert vaticinium Dauidis in per-

Psal. 118. sona Christi dicentis. *Factus sum sicut vter in pruina.* vter enim, vt & aliæ pelles contrahuntur, si nocte serena aeri exponantur, & maximè si pruina tingantur. Imaginor item me videre, tangereque clauos, sed vndequaque admodum asperos, ex incisionibus. Vnde, inquit Intellect s, adauctos consi lero dolores Domini duplici nomine. Semel, quia lentius claui fuerint per manus & pedes in lignum impacti. Iterum, quia grauius dilaceratint membra illa cum neruis suis, maximè cum scelerati illi non prius madefecerint, vel vnxerint clauos, vt facilius citiusque infigerentur.

Contra aspicio funes, quibus distensio peracta est, fuisse læues & glabros, ac bene peruncto. Quod, inquit Intellectus, eo factum autumo, vt distēsio illa celerius & facilius perficeretur: consideroque eadem arte creuisse dolores, videmus enim dolorem minui, si distensio vel interrumpatur aliquando, vel lentius exerceatur. Itaque hoc consilium secuti sunt, vt sibi minuerent laborem,

borem, & Christo augerent dolorem. Nam, vt apparet in quibusdam picturis, qui attraherent pedes, funem ad pedem crucis protraxerunt, inde à tergo sursum vsque ad crucisverticem, pedibus suis in transuersas crucis partes firmatis magna vi ad foramen clauorum adduxerunt. Quocirca, inquit voluntas decerno in posterum, quoties laborum aliquorum socios habuero, me leuiores facilioresque aliis attributurum, mihi vero plures & grauiores reseruaturum omni deposita querela, sicut hic video fecisse bonum meum IESVM.

LIQVIDVM, & tenuem oculis meis videre videor sanguinem pii IESV ex manibus, & pedibus profluentem, manibusque contingere. Sed pariter aduerto eum statim densari, & quasi ex frigore congelascere. Vnde colligo, inquit Intellectus, temperatam fuisse Christi complexionem, quæ tam delicatum sanguinem generarit, deinde coniicio, quam immensus & intensus eius fuerit in nos amor, nam cum in moribundo homine etiam intra corpus soleat frigescere & quasi congelari, tamen in Christo mansit calidissimus & tenuissimus, ob cordis fornacem igne diuini amoris æstuantem. Vnde voluntas. Pudet, inquit, me

tarditatis & torporis in cultu pietatis Christianæ & erga proximos charitate: videorque vnus ex illis, de quibus loquitur Dauid, *Psal. 118.* *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, nempe ex defectu huius ardentis amoris. Atque ideo renouo propositum, me serio dedendi huic sancto Meditationis exercitio, nam, vt idem testatur, vim habet hunc sacrum *Psal. 83.* ignem accendendi. nam ait. *In meditatione mea exardescet ignis* Prorsusque confido, cordi meo euenturum, quod suo euenisse *Psal. 21.* idem testatur his verbis. *Factũ est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Atque ita factum LIQVIDVM non sibi soli seruiet, sed effluet ad commodandum aliis, *Prou. 5.* sicut faciendum consuluit Sapiens. *Deuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.*

Animaduerto pręterea sanguinem hunc esse TRANSPARENTEM, ob suam claritatem, qua emanat ex venis: licet condensatus postea nigrescat, & fiat OPACVS. Qualem transparentiam, ait Intellectus, credo insinuari ab Ecclesia, quando de sanctis *Apoc. 7.* Innocentibus sic loquitur. *Isti sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & DEALBAVERVNT eas in sanguine agni.* Indicant enim hæc verba sanguinẽ qui-

quidem rubicundum fuisse, sed tam clarum & pellucidum, vt candorem animarum sanctarum non tolleret. Idem forte S. AGNES innuit, cum dixit. *Sanguis eius ornauit genas meas.* Quia hic pretiosus sanguis, vere animabus iustis confert candorem puritatis, & caritatis rubedinem. Hoc ornamẽtum pro facie animæ suæ eligere deberet eorum voluntas, qui vanissimè se occupant tantum in ornando corporis vultu, & in eo gloriantur.

DE PVLCHRITVDINE corporis Christi, hic nihil occurrit contemplandum, quia à *planta pedis*, vt loquitur Isaias, *vsque ad vertícem non est in eo sanitas.* Itaque conuertemus nos ad animam, quæ permansit, vt semper, venustissima. Isa. 1.

Cum enim pulchritudo consistat in debita proportione membrorum, colorumque conuenientia, imaginabor mihi, videre me potentias animæ omnes, tam inferiores quam superiores, tum inter se, tum cum anima ipsa proportionatissimas, ordinatissimasque. Quod ad colores attinet, persuadeo mihi me conspicere in ipsa animæ essentia iustificantem gratiam, in voluntate caritatem, ac denique omnia cœlestia charismata & dona: erat enim plenus

Ioan.1. plenus gratia, vt est apud B. Ioannem & veritate, ac speciatim in sacrosancta humanitate eius eminebat vnionis personalis cum diuino verbo gratia, merito vt appellatus à Psal.44. propheta fuerit, *speciosus præ filiis hominum*. Conuerto itaque me ad considerandam, Corporis DEFORMITATEM, obseruoque totum esse immutatum, lacerum, liuidum, contusum, squalidum, & sigillatim cerno vultum ita deformatum, vt completa sit Isa.53. prophetia Isaiæ dicentis, *Non erat ei aspectus, neq; decor* & verè potuerint dicere, *Nec reputauimus eum*. Voluntas autem pro suo commodo spiritali dicit. Constituo apud animum meum deinceps studiosius operam dare pulchritudini animæ interiori, quæ in virtutum acquisitione & incremento posita est. De corpore vero solicitus ero, vt potius deformem ieiuniis, vigiliis, disciplinis & aliis cum Dauide alicubi dicentis. *Genua* Psa.108. *mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum*, id est, propter vnguenta, aliasq; delitias illi subtractas.

Quod ad SIMILITVDINEM pertinet. Videtur, dicit Oculus, mihi Christus quoad externam corporis figurã simillimus agno Paschali. Primo quidem, quatenus fuit excoriatus: secundo, quatenus assatus. Pendet enim

enim sanctæ crucis ligno, velut ex veru; nec alium colorem refert quam assati ad ignem agni, ac proinde & illi similior est, quam cuique homini vestibus nudato. Ideoque verè de eo dixere Iudæi. *Est dissimilis nobis.* Sap. 2.
Finis sit cum hoc Colloquio.

Etiamsi vos, ô Iudæi, locuti sitis de dissimilitudine vitæ & morum, & verissimum sit vos vita & moribus ab eo distare, tamen adiungo, quod vos illum vobis dissimilem feceritis in corpore, sicut ab eodem dissimiles vos fecistis in anima. Ego autem, Domine mi, adiuuante tua gratia, cupio & in corpore & anima, tibi esse, quoad fieri potest, simillimus Quam vt copiosissimam mihi largiaris, supplex rogo.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

FOR-

FORMVLA MEDITANDI orationes vocales.

CAP. VIII.

QVONIAM Magistri rerum spiritualium consulere solent iis, qui desiderant attentè & cum fructu recitare orationes vocales, vt de iis meditentur, sicut B. P. N. Ignatius in Exercit. Spirit. libro præscribit, existimaui formulam aliquam illius præscribendam. Materiæ autem loco assumpsi Dominicam Orationem, eo quod ab omnibus crebertimè soleat recitari.

Principio ergo facto à prima voce, Pater, Intellectus discurrens dicit Hoc nomen appellatiuum est, & considero conuenienter hanc appellationē tribui Domino Deo. Primo, quia si patrem vocamus eum qui nos generauit, & corpus tantum produxit, quāto magis Pater erit Deus, qui solus creauit animam nostram longè corpore nobiliorem. Itaq; Patrem vocamus, quia contulit nobis esse naturale. Secundo, quia nobis impertiit etiam esse supernaturale, nempe gratiam iustificantem, de quo esse loquens cū Nicodemo dixit: *Nisi quis renatus fuerit*

Ioan. 3. *ex*

tu aqua & spiritu sancto, nõ poterit intrare in regnum cælorum. Longius vero progrediens ait, si Deus est pater, sequitur nos esse filios secundum illud Apostoli *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Et *Ipse enim spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei* Atque hic prorumpit in colloquium cum anima sua præ lætitia summa gestiente, in hanc formam. Maximum quæstũ fecisti anima mea, quod cognoueris Deum tibi esse Patrem, inde enim sequitur nobilissima dignitas, nempe te esse eius filiam, vt testatur S. Ioannes *Vt filij Dei nominemur & simus.* Et quod multo magis mirandum est, in tua potestate esse positum, vt ius filiæ consequare. Dedit eis, inquit B. Ioannes, *potestatem filios Dei fieri,* Ama ergo illum, & honora, cum per os Malachiæ dicat. *Si Pater ego sum, vbi est honor meus?* Ac confidenter ab eo necessaria postules, quia vti benignus Pater tibi succurret. Ideirco siquidem apud B. Lucam dixit, *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis, dabit spiritum bonum petentibus se.* Satis de prima voce, transeo ad secundam

Rom. 8.

1. Ioan. 2.

Mal. 2. 6.

Luc. 11.

NOSTER Considero, inquit, Intellectus, quod

quod dicat *noſter*, non *meus*. Primo, quia Deus omnes nos generauit & regenerauit. Secundo, vt innueret, quod debeamus nos mutuo fraterno amore proſequi, quandoquidem ſumus eiuſdem Patris filii. Atque hic aliud Colloquium habet cum anima mea, tibi tot eſſe fratres, & in cœli patrimonio cohæredes: cum enim ille ſit infinitus & immenſus, infinitos quoque homines ſuperabundanter locupletare poteſt: imo hoc ampliusexultare debes; quo enim copioſior numerus exſtiterit beatorum, hoc cuiuſq; beati gloria magis augeſcet. Ibi ſiquidē quilibet tantopere gaudet de aliena, ac de propria gloria. Atque hæc merces propria eſt amoris fraterni, quem in hac vita coluerunt, & facit omnia communia.

QVIES IN COELIS Intellectus primum indagat conditiones huius ciuitatis, vel palatii, & inuenio Dauidem eam appellare glorioſam. *Glorioſa*, inquit *dicta ſunt*
Pſal. 86. *de te ciuitas Dei*. Et alibi dicit, ſe ex ſolo atrii cœleſtis aſpectu animo defectum fuiſ-
Pſal. 83. ſe. *Defecit anima mea in atria Domini*. Et conſequenter ſubdit. Credo ſic prorſus eſſe, quandoquidem inferioribus domiciliis, quæ ſunt quaſi illius ſtabula, hoc eſt, huic mundo tam nobilia laquearia

tia conceſſit, innumeris, ſplendidiſſimisque ornata ſtellis Longiu que pergens, video, inquit, ſpeciatim alicubi deſcriptam huius habitationis pulchritudinem ſub nomine ciuitatis. *Ciuitas*, habet Apocalypſis, *in quadro poſita eſt. & erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide? ipſa vero ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingula porta erant ex ſingulis margaritis, & plateas ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. Et ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus, & portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic.* Apoc. 12

Atque hic prorumpe in Colloquium cum variis ſanctis; initio facto à Dauide. Merito ô glorioſe rex amore huius patriæ incenſus, deſiderioque citiſſime eo perueniendi dixiſti. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Tu quoque Apoſtole Paule deſideraſti cito vita hac defungi, vt eo pertingeres, *deſiderium habens diſſolui*, vt ſcribis ad Philippenſes, *& eſſe cum Chri-* Pſal. 41. Phil. 1.

sto. Sicut & tu propheta sancte doluisti in Psalmis tam diu prorogari tuum excessum

Psal. 119. dicens. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, mihi incola fuit anima mea.* Et conuersus ad mundanos ait. Infelices filii Adæ, qui huius mundi illecebris immersi, mentis oculos non attollitis ad contemplandas immensas delitias, quibus sancti in omnem æternitatem perfruuntur in cœlo: & quamuis ad breue tempus nonnunquam attollatis, tamen iam capti dulcedine corporalium, spiritualia bona contemnitis, vobisque euenit, quod Salomon

Prou. 22. in Prouerbiis scribit, *Anima saturata calcabit fauum.*

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM Intellectus assumpta similitudine de filiis carnalibus, accommodat spiritualibus dicens. Quemadmodum illi, dum sunt probi & virtute prediti conãtur euehere parentes suos ad honores: sic hi omnibus viribus contendere debent, vt nomen sanctum Dei patris ipsorum ab omnibus creaturis celebretur & glorificetur, quia omnium est creator, Pater & patronus. Longiusq; procedens, dicit. Video id imprimis prestari debere à me, ad meã & proximi salutẽ, conuenienter illi

admo-

admonitioni Christi. *Sic luceat lux vestra coram hominib. vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matt. 5.
Vnde persuasa voluntas dicit. Scio bona proposita hoc meliora esse, quo sunt magis de particularibus rebus. Itaq; propono me deinceps sermonem cum aliis habiturum de rebus spiritalibus, monente id S. Petro in priore epistola: *Si quis loquitur, tanquam sermones Dei.* 1. Pet. 4.
Secundo, statuo me adiuuante diuina gratia ad gloriam DEI directurum omnes actiones meas, etiam eas, quæ ad tolerandam vitam sunt necessariæ iuxta consilium Apostoli. *Siue editis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10.
Tertio, & vltimo conabor eum etiam in omni conuersatione glorificare, secundum illud monitum B. Petri. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent* DEVM. 1. Pet. 2.

ADVENIAT REGNVM TVVM. Videtur mihi, inquit Intellectus, nomine Regni posse intelligi & Regnum Gratiæ in hac vita, & Gloriæ in altera. Pro primi declaratione Memoria profert locũ B. Matthæi, *Quærite primum Regnũ Dei, & iustitiã eius.* Hoc Matt. 6.

enim regnum gratiæ consistit in iustitia, pace & gaudio, teste Apostolo *Regnum dei*, inquit, *non est esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium*. De quo Christus apud B Luc. dixit. *Regnum Dei intra vos est* Pro altero autem Regno Gloriæ propono, ait Memoria S. Paulum, qui vno coniectu oculorum in illud facto, vnaque guttula delibata, in has laudes erupit. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Et alibi dicit. *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Itaque æstuans desiderio illius possidendi cupiebat cito dissolui, eoque potiri. Atque hic transi in Colloquium cum voluntate dicens. Quoniam, quę tua imbecillitas est, non es tam feruens, vt cupias dissolui, & paradisi delitiis perfrui, saltem ornare aliquando saltem degustare illud pertinentis cogitationes secundum exhortationem Apostoli. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

Rom. 14.

Luc. 17.

1. Cor. 2.

2. Cor. 12.

Col. 3.

FIAT VOLVNTAS TVA. Oramus, inquit Intellectus, hac petitione, vt à nobis hominibus fiat voluntas Dei in terra, haud secus quam ab Angelis præstatur in cœlo, non

modo

modo in prosperis rebus, sed etiam in aduersis Et hic Memoria subministrat exemplum Iob qui illam compleuit in aduersis dicens. *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Exemplum Christi, qui in oratione in horto, licet dixisset. *Pater si vis, transfer calicem hunc à me.* Tamen subiunxit. *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Ac voluntas dicit. Tanto amore Deum complector, tantoq; desiderio teneor perficiendi eius voluntatem, quanto teneri possem lautum cibum degustandi, vt possim imitandi Christi causa cum ipso dicere. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei.* Longius inde pergens Intellectus, indagare conatur qualis sit Dei voluntas Et Memoria illi proponit illud B. Pauli ex priore epistola ad Thessalonicenses *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Hic igitur Intellectus deberet primum inquirere, in quo consistat hæc sanctificatio. Secundo, quibus mediis paretur Tertio, quibus modis impediatur, & alia similia, quæ breuitatis causa omitto. Contentus sum sola patefactione malitiæ voluntatis propriæ, quæ se opponit diuinæ, & sic describitur. Voluntas propria est, qua quis vult quippiam,

Iob. 1.

Matt. 26

Ioan. 1.

1. Thes. 4

quod non est voluntati diuinæ consentaneum, nec prodest proximo, sed tantum sibi. Vnde merito B. Bernardus eam appellat *Lepram*, quoniam sicut hæc leprosum reddit abominabilem, sic voluntas propria reddit nos abominabiles Deo, & dignos qui æterna damnatione puniamur. Et ideo dictus Sanctus subiunxit. *Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit.* Atque hic prorumpit in colloquium contra propriam voluntatem, dicens. O maledicta, & centies millies maledicta propria voluntas apage te hinc, & in infernum domum tuam recede, quo soles tuos sequaces protrahere.

PANEM. Hac voce, ait Intellectus, primo postulamus panem materialem pro corpore sustentando, deinde quicquid ad sustentationem eandem pertinet, vt vestes, domicilium, &c. conformando se Apostolis, qui solis illis erant contenti, vt testatur
2. Tim. 6. S. Paulus, cum ait. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Vnde voluntas. Propono, inquit, me, ad quemcunque statum peruenero, operam datum, ne inexplebili opum cupiditate irretiar, vt immunis reddar à laqueis diaboli.
Ibid. *Qui enim volunt diuites fieri*, teste Apostolo,

lo, *incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli.*

Progrediens porro Intellectus sic loquitur. Sicut Saluator, dum sanitatem restitueret corporibus, conferebat & animis eorundem salutem, imo illam ad hanc referebat, vti ipse declarauit in paralytico, cui sanato dixit *Sanus factus es totus, iam noli amplius peccare.* Sic nunquam credā Dominū hic tantū voluisse docere ad sustentandum corpus petendū esse panem, sed voluisse etiam peti panem animæ spiritualem. Qui mihi nunc videtur posse esse duplicis generis, vt vnus sit verbi Dei, alter verò sacratissimum corpus Domini in S. Eucharistia. Pro confirmatione prioris panis Memoria illud apud B. Matthæum suggerit Non in solo *pane vixit homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei.* Circa quod ita discurrit Intellectus Qui manducat ex hoc pane libenter, potest probabiliter credere se esse in numero prædestinatorum. dicit enim Christus apud B Ioannem, *Qui ex Deo est, Verba Dei audit.* Contra timere debet se esse in numero reproborū, qui non manducat libenter, quales erant, quibus dixit Dominus. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Ioan. 5.

Matt. 4.

Ioan. 8.

Huius panis inopiam, inquit Memoriam, minatus est Dominus populo suo per os
Amos 8. prophetæ Amos dicentis. *Ecce dies venient, dicit* Dominus, *emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi Verbum* Domini. Et prosequens Intellectus discursum de altero pane S. Eucharistiæ dicit. Non voluit nos docere Dominus, vt hunc panem peteremus; magnam enim illius copiam reliquit, tum instituendo sacerdotes, qui eum vsque in finem mundi consecrent & conseruent, iuxta promissionem illam. *Ego ero vobiscum vsque ad*
Matt. 28. *consummationē seculi:* tum quia ipse inuitat
Prou. 9. nos ad illum accipiendum dicens. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum,*
Ioan. 6. *quod miscui vobis.* Immo, apud B. Ioannem comminatur mortem æternam ab illo abstinentibus. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Verum voluit nos postulare abundantem gratiam, vt dignè illum sumere possemus. Quibus rebus persuasa voluntas ait. Statuo me magno ardore animi à Deo petiturum, vt mihi hoc auxilium non deneget, quo frequentatione sacræ communionis illa donorum cœlestium, quam secum affert, copia perfrui queā.

NOSTRVM. Iusti, inquit Intellectus, merito hunc panem possunt appellare *Nostrum*, licet Christus appellarit suum cap. 9. *Venite comedite panem meum*. Cum enim simus facti eius fratres, omnia quoque facta sunt communia.

QVOTIDIANVM. Hoc, ait idem Intellectus, æquè de corporali ac spiritali pane intelligendum est Itaque vti ille quotidie, sic hic quotidie sumendus esset. De contrario enim vsu dolet Cyprianus, scribens. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis?* Hic Memoria dicit. Memini B. Matthæum, vbi alii quotidianum, legere, *supersubstantialem*. Qua varietate, ait Intellectus, indicatur & huius cœlestis panis nobilitas, & supernaturalis effectus gratiæ, quē confert dignè communicantibus.

Ambr. l. 5. de sacr. c. 4.

Matt. 6.

DIMITTE NOBIS *debita nostra*. Duo debitorum genera, ait Intellectus, debemus Domino Deo. Primum est culparum & iniuriarum delinquendo S. D. M. illatarum, quas præcipuè hic petimus nobis condonari: easque libenter & promptè condonat, rectè ad petendū comparatis, imo nonnunquam præuisa tali præparatione condonat, antequam petatur, sicut Dauid de se confitetur. *Dixi*, inquit, *confitebor aduersum me*

Psal. 31.

iniuſtitiam meam Domine, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Ad exercēdam hanc condonationem culpæ Dominus inſtituit ſancta ſacramenta, & ſpeciatim S. confeſſionis. Alterum genus debitorum, continet pœnas luendas in Purgatorio pro peccatis venialibus, vel pro mortalib. per pœnitentiam condonatis, idq; in compēſationem damni, quod conati ſumus inferre delinquēdo Quod autem Deus nullo damno afficiatur, inde prouenit, quod damni capax non eſt Has igitur pœnas etiam petimus nobis remitti.

SICVT & NOS *dimittimus debitorib. noſtris.* Adiunxit, inquit Intellectus, hanc ſimilitudinem Dominus precationi, vt intelligeremus efficaciſſimum medium ad exorandam noſtrorum peccatorum à Deo veniam eſſe, ſi viciſſim inimicis noſtris iniurias nobis illatas remittamus. Id enim diſertè apud
Luc. 6. B. Lucam monuit dicens. *Dimittite, & di-*
Matt. 6. *mittemini.* Et, *ſi non dimiſeritis hominib. nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Idq; confirmat parabola ſerui, qui vbi obtinuit maximi debiti condonationem à Domino, nihil tamen exiguo debito conſerui remit-
Matt. 6. tere voluit. vbi S. Auguſtinus. *Quoniam veritas*, inquit, *mentiri non poteſt, qui ad tam magnum*

magnum tonitruũ non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Atq; hic Voluntas. Propono, ait, me abrasurum, immò radicitus è corde euulsurum omnem rancorẽ vel auersionẽ ex quacunq; etiã minima offensa exortã, vt Dominus quoq; vicissim me liberet omni debito culpæ & pœnæ. Spondeo etiã me operam daturũ, vt quos nouero inter se esse discordes, quam primũ reconcilientur.

ET NE NOS *inducas in tentationem.* Id primum pro certissimo habeo, inquit Intellectus, Deum neminem tentare ad damnum nostrum. Sed Memoria contra obiicit verba B. Iacobi dicentis. *Ipse neminem tentat*, itaque videtur superuacanea hæc petitio. Vbi intellectus ad duo illa conciliãda Deprehẽdo, inquit, B. Iacobum loqui de tentatione noxia, nam paulo ante dixit. *Deus enim intentator malorum est.* Secundo hac petitione non peti ne tentationes veniant, sed ne veniant noxiæ, vt indicat verbum INDVCAS. Nam tentari, quando abest periculum lapsus, salutare est & proficuum. *Qui non tentatur*, ait Salomon, *quid scit?* Et ideò tentatione pulsati, gaudere potius debemus, quam dolere. *Omne gaudium*, inquit B. Iacobus, *existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.*

Iac. 1.

Eccl. 34.

Iac. 1.

Petimus

Petimus ergo, ne succumbamus tentationibus, sicut Christus petere docuit discipulos in horto dicens *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem* Progressus autem longius Intellectus adiungit. Tentationem multũ prodesse, quia si ei resistamus, adauget meritum & gratiam in hoc mundo, & gloriam æternam in cœlo, vt docet idem B. Iacobus. *Beatus vir*, inquit, *qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam gloriæ, quam promisit Deus diligentibus se*. Vbi Memoria appositè ait. Memini S. Paulum in altera ad Timotheum epistola propter expugnatas tentationes magna sibi promittere. *Bonum*, inquiens, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex*. Intellectus vero longius procedens, animaduerto, inquit, Deum, vt bonus exitus tentationum sit, eas temperare secundum cuiusque vires. Vnde B. Paulus *Fidelis*, ait, *est Deus, qui non permittit vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum*. Tamen cognosco, addit, necessarium esse, vt nostris quoque partibus non desimus. *Non enim coronabitur*, ait Apostolus idem, *nisi qui legitimè certauerit*. Sicut & ipse

Matt. 26

Ibid.

Cap. 4.

2. Cor. 10.

2. Tim. 2

& ipse suis non defuit, dum scribit, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Quæ castigatio non tantum posita est in diuerberando corpore, sed etiam in cauendis omnibus rebus, quæ possint nos à virtutum studio arcere, sicut ibidem Apostolus declarat exemplo certantis in stadio. *Omnis, inquit, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Vltimo adducit Memoria dictum Iob *Militia est vita hominis super terram.* Ex quo, inquit Intellectus, colligo necessarium esse in hac vita sustinere tentationes, si vita sit militia, vel vt versio alia habet, ipsa tentatio. Confirmorque in hac sententia, dum considero ex duobus primariis tentatoribus, vnum semper nos circuire, nempe diabolum, vt tradit S. Petrus, dum ait. *Fratres, sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Patulis vnumquemque oculis semper obseruat, vt quamprimum aliquem ad tentationem dispositum offenderit, ei insiliat. Sicut fecit Dom no nostro in deserto agenti: quem simulatque aduertit esurire, cum ieiunasset 40. diebus, & 40. noctibus, vt habet

1. Cor. 9.

Iob. 7.

1. Pet. 5.

Matt. 4. B. Matthæus, tentauit in gula. Et idcirco credo mox post vocem ESVRIIT adiungi. *Et accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Tam que frequens apud illum est tentandi vsus, vt nomen obtinuerit tentatoris, vti & hic appellatur. Alter Tentator est caro nostra, vt indicat

Luc. 1. B. Iacobus. *Vnusquisq;*, inquiens; *tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Qui tentator non est extra nos, vti dæmon, sed intra nos, vel potius nos ipsi.

SED LIBERA *nos à malo.* Considera, ait Intellectus, posse malum aliquod contingere, primo corpori nostro, vt morbos, persecutiones, & similia: deinde personis nobis sanguine iunctis, vt patri, matri, filiis, cognatis, &c. Adhæc potest nobis malum aliquod euenire quoad fortunas, famam & existimationem. Quibus omnibus obrutus fuit B. IOB. In altera vita quoque possimus puniri pœna vel Purgatorii, vel inferni. Ab omnib. igitur his malis petimus à Domino liberari.

AD similitudinem huius Meditationis quilibet poterit de quauis alia oratione meditari. Hæc autem concludi potest hoc Colloquio. Domine, quia docuisti nos

istam

istam Orationem, vt discęremus modum quem in re aliqua à te postulanda tenere deberemus oro te vt gratiam mihi largiaris eam cum debita attentione & reuerentia instituendi, ac petita impetrandi.

PATER NOSTER.

AVE MARIA.

PARS TERTIA.

DE IIS QVÆ MEDITATIONEM CONSEQUUNTUR.

PROOEMIVM.

TENDIMVS *ad Operis finẽ, hoc est ad partem Tertiam, in qua agendum de iis quæ Meditationem consequuntur. inter quæ est Examen meditationis iam factæ, de qua agemus in prima parte capitis vltimi totius operis. Sunt alia quidem, quæ & in ipsam Meditationem incidere solent, tamen quia sua natur aà meditatione distincta sunt, vt in progressu liquebit, hac parte à nobis tractanda sunt. Inchoabimus autem à Tractatulo de Distractione, cui subiiciemus alterũ de ariditate spirituali, & tertium de Consolatione spiritali. ac demũ quartum & extremum de modo Examinandi conscientiam.*

TRA-

TRACTATVS I.

DE DISTRACTIONE.

Quid sit Distractio.

CAP. I.

QVONIAM Aristoteles docet plenam priuationum notitiam haberi non posse sine perfecta notitia habituum oppositorum, conueniens videtur, vt prius exponamus quid sit ATTENTIO, vt eo facilius, clariusq; intelligatur quid sit DISTRACTIO, cum nihil aliud sit quam priuatio attentionis.

QVOD ergò ad nomen Attentionis pertinet, non dubium est venire à verbo Attendo. cuius duplex est significatum instituto nostro cõgruens Primo significat extensionem: secundo applicationem animi ad actiones potentiarum cognoscentium, tam internarum, quam externarum. Ex secundo significato, vt mox dicam, oritur primum, illudq; est quasi nominis Attensionis materia.

Pro intelligentia autem sciendum est, animam nostram per supradictas potentias spirituum animalium ministerio operari: qui spiritus insunt dictarum potentiarum neruis, ac per eos, quia vacui sunt, decurrunt, haud secus quam sanguis in venis. Illud quoque obseruandum, quo plures spiritus confluunt, hoc efficaciorem reddi cuiusque potentiæ operationem. Ad eam autem concurrunt multi, ad quam se anima ad intensè operandum applicuerit. Iam quia dictorum neruorum canales sunt angusti, aduentu multorum spirituum laxantur. Videre id licet, si alicui occludatur vnus oculus, tunc enim spiritus, quia aduertunt se quasi otiosos continuò defluunt ad alterum oculum patentem, & pupillam laxantes visibiliter illum inflāt. Quod si oculum clausum iterum reseres, statim videbis eos in pristinum statum relabi. Non secus videmus intumescere venas, quando brachium constringitur, quia tūc multus sanguis cōfluit. Ab hac extēsione neruorum multitudine spirituum effecta, quādo intensè operamur, nomen Attentionis sumptum est, quæ in hunc modum describi potest. Attentio est applicatio animi ad exercendam operationem in vna tantum potētia. Quod fit

fit spirituum animalium opera & beneficio. Et hæc satis sint de attentione: nunc transeamus ad Distractionem.

Distractio, si vocem spectes, deriuatur à verbo *distraho*, id est, in diuersas partes traho. Quando ergo anima, exempli causa, operando in Intellectu, pariter vult aliquid videre per oculum, dicitur distrahi: quia incedit velut tracta ad duas diuersas potentias, & actiones. Vnde fit vt neutra actio rectè fiat, secundum versiculum communem. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Contra, quando vniuntur spiritus, dicimus operationem sequi viuidiorē, secundum illud aliud dictum. *Virtus vnita est fortior dispersa* Clarè id videmus in æneo tormento, quo enim puluis intra illud plus fuerit contusus & depressus, hoc maiorem edit strepitum. Vnde homines, quibus acer visus nō est, oculos claudūt, vt rectius quippiam videāt: sic enim restringuntur, & nerui in oculo existentes, & pauci spiritus qui in eo restant arctius vniuntur, & efficacius, firmiusque siue propinqua, siue remota conspiciunt. Dico ergo, tunc distractum hominem esse, quando eo tempore, quo cogitare cœpit de vna re, qualiscunq; illa sit, mox cogitationē deflectit ad

aliam, vel priorem deferendo, vel imperfectè continuando. Vel certe quando mente cogitans de vna, sensu vult simul attendere ad aliam. Hoc sensu dicitur distractus Mercator, qui dum rationes expensarum mercium excipit, cogitat de naue cum nouis mercibus aduentura Dicitur autem huiusmodi cogitatio, distractio, quia discrepat ab actu rationes exigendi, quas præ manibus habet. Quamuis verum sit magis propriè vsurpari hanc vocē in actionibus mentalibus, vt in Exercitio studiorum, & similibus: strictius autem in exercitio Deuotionis, vt orandi, audiendi sacrum, vel concionem. Deniq; S. Bernardus serm. 47 in Cantica inter distractiones etiam numerat, cogitationes bonas, quando alienę sunt ab eo quod præ manibus est. *Purè*, inquit, *diuinis laudibus interesse debetis, ita vt nihil, dum psallitis, cogitetis: nec solum dico vitāda cogitationes vanas & otiosas: vitanda sunt & illa, illa duntaxat hora, & illo loco, quas effictiles fratres pro communi necessitate, quasi necessario admittere compellun ur: sed ne illa quidem profectò recipere tunc consuluerim, qua paulo ante in claustro sedentes in codicibus legeratis: qualia & nunc me viua voce differente, ex hoc auditorio Spiritus sancti* recen-

recentia reportatis. Salubria sunt, sed minimè illa inter psallendum salubriter reuoluitis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud, quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris.

De Causis Distractionum, quas habemus in nobis.

CAP. II.

PRIMA Causa sunt quinq; sensus corporis externi, vt iam demonstrabo Incipio à Visu. Ieremias in threnis ait. *Oculus meus depraedatus est animam meam.* Thren. 3. Quod testimonium tam clarũ est, vt expositione non indigeat Experientia enim docet, nõ quouis anno, mense, die, sed quauis hora, vel etiam momento id nobis contingere. Causa est, quia cum vsq; ad calcaneum vitæ sensuali simus assuefacti, facile à consuetudine peruersa in mille abripimur, proh dolor, vanitates. Accedit quotidiana rerum sensibilium necessitas, ob quam sensus in perpetuo quodam sunt exercitio De GVSTV dicit. *Ossuna in abecedario de Recollectione* hominem spiritualem non debere vesci cibis, acuto vel admodum sensibili sapore affectis, eo quod præter alias causas suis vaporibus

refrigerantibus crebro distrahant Memoriam. De odora: v verò idem scribit, non solum nõ boni odoris res debere à spirituali homine circumferri, sed nec mali & tetri, nisi id faciat sui mortificandi causa.

Facile notat distractionem animi is, qui è memoria aliquid recitat, aut actionem aliquam, quæ attentionem postulet, exercet, si casu, aut gesticulationes aliquas vel motus videat, vel audeat insolitum strepitum, quia facile obliuiscitur. Cuius rei causa est. Nam cum animæ nostræ virtus insit finita, quo plus intenderit vni rei, hoc minus poterit alteri, idq; fit, quod vna pars spirituum deserta Memoria migret ad oculos, vel aures, & sic memoria in recitando langueſcit: totque spiritus possunt recurrere ad illos sensus, vt Memoria prorsus deseratur, ac succedat omnium obliuio.

Greg. p. 3. admon. 85. S. Gregorius in Pastorali accommodatè ad hãc rem vtitur hac similitudine. In fontibus hoc minus aquam in sublime exilire, quo ex locis depressioribus delabitur, tamque originis locus depressus esse potest, vt ne guttula quidem sursum exiliat. Quæ defectio cernitur quoque in ipsis sensibus externis, quando v. c. quis tanto studio audiendæ rei incumbit, vt oculis licet patentibus

ibus non animaduertat quis transeat, nec vocem quamuis sonoram se vocantium exaudiat: quod non alia de causa contingit, quam quod vno eodemque tempore animus noster non possit nisi vni rei perfectè esse intentus.

ALTERA causa est Phantasia, quæ multis modis distrahitur. Primus est, cum illi se offerunt species rerum alias sensu externo perceptarum. Secundus, cum ipsa fingit res prodigiosas nunquam visas vel auditas, vel varias rerum species coniungit, vt humano capiti ceruicem equinam, vel hominem aut domum inuersam. Tertius est, cum sensibus corporeis percipiantur non solum rerum imagines, sed etiam accidentium, vt colorum, locorum, temporum, & similium, ac constet multas res corporeas iisdem accidentibus affectas, crebro fit, vt dum meditatur homo de circumstantia vnius rei, dilabatur ad circumstantiam similem rei alterius Declarabo id exẽplo, quod verè accidit. Meditabatur quidã in verba ECCE HOMO à Pilato ad Iudæos dicta, cum iis demonstraret Christũ flagellatum, & purpura amictũ: ratione autem coloris rubei phãtasia illi repręsẽtauit Cardinalẽ purpura itẽ indutũ. A Cardinali *Matt. 27.*

transiuit ad sacellum Papæ, in quo multos alias ita vestitos cõspexerat: occasioneque loci meminit quo adorationis genere venerentur Papam, ac denique descendit ad modum, vt ad inclinationes, exosculationes. & cætera. Vides itaq; quomodo color meditantem transtulit ad personam, persona ad locum, locus ad actionem, actiones deniq; ad modum.

TERTIA causa Distractionum sæpenumero sunt animi passiones, maximè si sint immoderatæ, & malè mortificatæ, quamuis enim illæ sedem suam habeant subtus in corde, tamen in capite distractiones efficiunt, eo quod summam habeant cum phantasia coniunctionem. Tam arcta enim est cõiunctio appetitus sensitiui, cum potentiis cognoscendi facultate præditis, siue internis, siue externis, vt vix commota sit aliqua passio, quin illico ab aliis sentiatur potentiis, quæ operam suam quoq; mox præstant, Verbi causa. accendatur quispiam ira ob iniuriam illatam: phantasia mox repræsentat, mira agilitate grauitatem iniuriæ, obligationem & facilitatem vindicandi, & si inimicus sit præsens minacibus oculis eum intuetur, si absit, commordet labra, digitos, iurat se vlturum contumeliam. Illustre

lustre huius coniunctionis, & cooperationis subitæ exemplum habemus in organo. quamprimum enim organista in infima licet organi parte attigerit dentes eius, quos vocant, extemplo resonant fistulæ etiam sublimes, ob communicationē, quam habent cum venti receptaculo in medio collocato. Idem liquet in campana, quæ licet tecto imposita, tamen sonat, si ab ædituo infra in templo constituto pulsetur, nempe ob cōiunctionem vtriusq, per medium funem. Quo exemplo potest cognosci & alius quidam passionum animi effectus, nempe, quod sicut campana, postquam ędituus destitit funem trahere, aliquandiu adhuc per se sonat, & commouetur, sic homini passioni obnoxio, quod maximè apparet in ira, etiamsi semel deposuerit voluntatem vindicandæ iniuriæ sæpenumero, etiam dum minime expectat, recurrit cogitatio vindictæ Eundem effectum procreat Amor, iuxta illud Christi. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* ac si diceret, vbi est, quod amas, ibi sunt tuæ cogitationes. Quod egregiè declarat imago quædam circa crucifixum Christum, in ære incisa; in cuius vno latere nixus genibus pictus est homo diues, ex cuius fronte variæ exeunt lineæ, in varias res *Matt. 6.*

terminatæ, alia in nauem tempestate maris iactatam, alia in mulierem circundatam liberis, alia in venationem canum: quibus significatur illum dum vacaret precibus, vi amoris mente distractum fuisse ad talia cogitanda. De quo modo orandi conquestus est Deus apud prophetam, dicens

Isa. 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Ex altero latere depictus erat pauper mendicus item supplex, ex cuius fronte, quia tot amoribus occupatus non erat, vna tantum linea egrediebatur, & terminabatur in latere Christi aperto. Eosdem effectus habet quæuis alia passio. Sunt ergo homines huiusmodi perturbationibus animi obnoxii similes falconibus, qui funibus alligati ad manum venatoris, quocunq; auolare intendant, q. laqueo retinentur Ac notatu dignum est, etiamsi funiculi coriacei, quibus falco cõstrictus est, essent ex filo, etiam serico vel aureo, modo multi sint æque illos valere ad retinendum falconem Sic anima non solum impeditur in oratione ab eleuatione mentis in rebus magnis, sed etiam in paruis etiamsi in speciem sint piæ & sanctæ, quando amantur inordinatè.

De

De causis externis Distractionum.

CAP. III.

PRIMA causa externa est Dæmon, qui vehementer persequitur sanctum orationis exercitium, vt docet Cassianus in Collationibus. *Orationibus*, inquiēs, *maximè insidiantur dæmones.* Etsi ad distrahendum, eum imprimis iuuent tres causæ internæ iam explicatę, sicut iam iam declarabo, incipiendo à prima, de sensibus exterioribus. *Cass. l. 10. c. 14.*

Agit enim per illos, primo procurando, vt obiecta ad distrahendum idonea in illos incurrant. Secundo, vt ferantur in eiusmodi obiecta Tertio, fallendo sensus, vel cum obiicit res phantasticas & falsas, vel cum earum species in sensus imprimit. Luculentum huius rei exemplum exstat in Chronicis Franciscanorum, in quibus commemoratur, sancto quodam fratre in Ecclesia piè orante, dæmonem specie gliris per funem se demisisse in lampadem, & oleum ebibisse, vt illum vel mēte distraheret, vel ab oratione auocaret, sciens eum amantem paupertatis, nec damnum passurum. verum ille suspicatus, quod erat, nihil se commouit.

Agit præterea in phantasiam, commonēdo eas species, quib. vnumquemq; nouit magis

magis distrahi, vt refert S. Hieronymus in vita S. Macarii. Scribit enim illum oculis suis vidisse, quas species dæmon monachis suis in oratione obiecerit: nam aliis formas mulierum, aliis palatiorum, aliis aliarum rerum obiecit, nam postea rogati, quibus cogitationibus tentati essent, idem confessi sunt.

Cass. coll. 9. c. 6. Vtitur deniq; & ministerio passionum. Exemplum est in Cassiano de monacho qui tanto ardebat desiderio spelunculam suam laxandi, vt totum diem consumeret in ea excauanda. Vidit enim alius monachus astantem illi æthiopem, & brachium eius commouentem.

Greg. 28. mor. c. 9. Thren. 9. SECVNDA causa est Dominus Deus. Sed quis id credat? Ita asseuerat S. GREGORIVS in verba Ieremiæ. *Opposuisti nubem, ne trãsiret oratio, &c. menti nostræ terrenis voluptatibus assuetæ curarum suarum phantasmata iusto iudicio obiicis, quibus eam in ipsa orationis suæ intentione confundis, & quam desideriis infirmis deditam non ignoras, recte cæcatam ab intuẽdæ lucis tuæ perspicuitate reuerberas: & cum in te intenditur, ipso à te cogitationum suarum nubilo reflectatur, & quæ terrena, & assiduè cogitat, quia vult, hæc etiam in oratione toleret, cum nõ vult.* Vbi aduerte,

sanctum

sanctum illum supponere distractionem considerari posse, vel vt obnoxiam culpæ, quum sit actio deficiens à debita rectitudine, id est attentione: vel vt pœnam ex antegressa culpa secutam. Et hoc secundo modo ait S. Gregorius aliquando eius causam esse Deum, ad castigandum scilicet distractum. Postquam enim quis data opera totum diem impendit tractandis rebus terrenis & caducis, permittit DEVS, vt illi orationi vacanti vel inuito terrenæ occurrant cogitationes. Notanda autem est illa locutio, QVIA VVLT, hoc est, propria voluntate, & libidine, vt distinguatur ab iis religiosis, qui ex mandato superiorum de illis cogitant, ad quos pertinet illa Christi promissio. *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Et forte hanc doctrinam S. Gregorii voluit comminari figuratè Deus in persona Cain, quando ei maledicens dixit. *Eris vagus & profugus in terra.* hoc est, mens nostra in orationibus vaga erit, & errabunda, instar hominum profugorum qui nusquã sedem stabilem habent. Nec vellem te fastuoso spiritu respondere cum Cain. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear?* interrogantis forma, quasi miser, vt nõnulli volunt, lamentaretur Deum in se æquo seueriorem, *Mar. vlt.* *Gen. 4.*

riorem, temerè cogitando pœnam sibi inflictam esse grauiorem culpa. At potius malim te cum humili de te existimatione, agnoscendo lapsus tuos graui pœna dignissimos, dicere assertiuè, quanto te aduertis distractum, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* O dulcissime Domine, confiteor, tãtam cogitationum alienarum turbam, mihi merito cessisse in pœnam, sed longe inferiorem culpa tot vanitatum, & affectionum, quibus non solum quotidie, sed etiam quauis hora & momento anima mea immergitur.

De remediis contra causas internas Distractionum.

CAP. IV.

MEDICI duo remediorũ genera vsurpant contra morbos corporum. Alia enim sunt Præseruatiua, quæ dantur ante morbum, hoc est, ne aditus detur morbo futuro. Alia verò dicuntur Purgatiua, quia purgant & liberant hominem à morbo iam acquisito. Vtroq; genere remediorum vtemur & nos contra hoc pernicioſum distractionum malum.

QVOD igitur ad sensus attinet, eorum remedium præseruatiuũ est, vt bene custo-

diantur

diantur exemplo B. Iob. dicentis. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine.* Iob. 31. & Regis Dauidis, dicētis in psalmis. *Posui custodiam ori meo, vt non delinquam in lingua mea* Psal. 38. & iuxta consilium Ecclesiastici scribentis. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequem noli audire.* Eccles. 28. Idem faciendum de cæteris sensibus, imitando B Bernardū, qui contemplationi sic addictus erat, vt vix sensibus nisi ad officia pietatis vteretur. Et quoniam maximè offendimus oculis, cum per vias publicas eundū est, meminisse debes illius dicti B. Ephræm in sermone de vita spirituali. *Quando è cella egrederis munitos tene oculos, sic tecum ratiocinās Non tanquam pictor egressus es, vt formas hominum effingere, atq; exprimere discas.* Tom. 1. nu. 21. Quod consilium sedulò obseruauit bonus Pater noster Hieronymus Otellus, qui rogatus quomodo fieri posset, vt maneret ignarus viæ publicæ & quidem rectæ, nec ita longę quam crebrius transierat cōcionis habēdæ causa in Ecclesia Episcopali suæ vrbis, respondit, se occupatum esse melioribus rebus in capite suo recondendis, quā possit habere ex aspectu viarū Idem demū vitio oculorum laborare cœpit non exiguo, quod semper demissis in terram oculis, ac semiclausis incederet.

REDEAMVS nunc ad Phantasiam, quam diximus variis modis distrahi, vt cuiq; proprium antidotum tribuatur. Primum est, iam datum sensib Sicut enim si sub vesperam cito occludantur fenestræ, culices non inuolant in domum, nec dormiētibus sunt molesti, sic si bene custodiantur sensus, facile rerum futilium & impertinentium arcebuntur imagines: idq; eo studiosius faciendum est, quo aditu semel patefacto ægrius contra distractiones irruentes nos tueri possumus, sicut nec à mordacibus istis bestiolis, si fenestræ apertæ maneant. Quanquam has manu captas expellere tandem possumus, illas verò species vix possumus, quia manum in phantasiam immittere nō possumus. ALTERVM remedium est quamuis Auicenna doceat, naturalem esse phantasiæ continentem motum, in variis speciebus efformandis, fabricandisq; chymeris tamen B. Thomas addit, eam tam esse subordinatam rationi in homine, vt quodammodo sit capax habitus virtutis, & quod imaginatur, imaginetur ordinatè *Quamuis etiam*, inquit, *in ipsis interioribus viribus sensitiuis apprehensiuis possint poni aliqui habitus, secundum quos homo fit bene memorattiuus, vel cogitatiuus, vel imaginatiuus.* Re-

Auic. l. de prin. nat, Thom. 12. q. 50. a. 3.

medium

medium ergo idoneum erit, futilibus istis imaginibus aditum præcludere sedulo. hoc enim studio obtinebitur, vt non occurrant, nisi quando conueniens fuerit. Exemplum habemus in cane, qui latrat, saltat, insanit, quando alligandus est catenæ, sed procedente tempore hæc vincula molestè non fert. Imò quod mirabilius est, longa assuefactione fit, vt fera in retia adacta, licet vicinissimus, eiusq; dilacerãdæ cupidissimus, tamen non attingat illam, quia longa consuetudine doctus est non attingere: & tamen in cane phantasia magis bellua est, quam in nobis.

TERTIVM remedium est, etiamsi fatẽdum sit commune esse omnium occasione similium accidentium hominem facile dilabi ab vna cogitatione in aliam, tamen illud quoq; inficiandum non est, naturale non esse nisi hominibus incuriosis, & in seruitio diuino tepescentibus. Experimur siquidem, quàndo vehementer in considerationem alicuius rei intenti sumus, non facile adrepere alias cogitationes peregrinas, sed tantum quando aliquid de priori attentione remittimus. Pono huius rei exemplum. Riuulus aquæ, si lentius per terram decurrat, à quouis foramine vel rima

paulatim exsorbetur, donec totus tantum breui tempore deficiat, secus fit, si labatur cum impetu, & vi magna. Remedium ergo sit, attentè aggredi opus, & fortiter illi vni insistere. Quanquam verum est, sicut semper aquæ aliquid, licet vehementi impetu per vias defluat, remanet in occurrentibus rimis vel foueolis, ita etiam nobis accidere posse, nempe vt cum nos mente omnino defixos in rem quam præ manibus habemus, existimamus nonnunquam aliquibus distractionibus minutis aditum patefaciamus, maxime *cum nullum violentum*, vt dicitur, *sit perpetuum*.

Vnum adiungam remedium commune
Int. 2. omnibus, à S. Thoma alicubi traditum. Vt in mentem reuocemus aliquid vniuersale, vt mortem, iudicium, aliaq; eiusmodi. Vnde si molesta tibi sit passio iræ, & suggerat cupiditatem vindictæ, cogita te rationem strictissimam daturum supremo Iudici, & æternis flammis addicendum Nec dubium est hoc antidotum esse efficacissimum, ipsa experientia in multis à me probatum; modo illud adhibeatur in iracundiæ ortu primo, antequam transeat in furorem, conuenienter dicto Poetæ. Principiis obsta, sero medicina paratur.

Reme-

Remedia contra causas externas Distractionum.

CAP. V.

CONTRA Distractiones à dæmone profectas, optimum remedium est commendare se Deo, & sancto angelo custodi, cuius officium est nobis orantibus assistere. Contra distractiones à Deo ortas remedium subiicit B. Gregorius supra citatus, dum ait: QVIA VVLT, indicat enim nos meritò hac pœna multari, quia vltro ianuã patefacimus vanis multis cogitationibus. Remedium ergo erit, in posterum illis aditum præcludere. Proderit etiam, si humiliter lapsum tuum confiteare, ac dolens ex animo, & contritus dicas cum Daniele *Peccauimus enim, & iniquè egimus, recedentes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus, sicut præceperat nobis, vt bene nobis esset. Omnia ergo quæ induxisti super nos, & vniuersa quæ fecisti nobis in vero iudicio fecisti.* Dan. 9. Hæc sufficiant de remediis Præseruatiuis.

SVPEREST, vt remedia aliqua præscribamus iam actu in oratione distractis quæ dicuntur *Purgatiua*. PRIMVM est,

secundum quosdam, illico relabi retro per discursus factos, donec veniatur ad locum vbi filum meditationis desertum est. Exempli causa in distractione supra dicta in verba ECCE HOMO, dicunt, vbi Meditator aduerterit se distrahi, debere expendere, quomodo à modo adorationis venerit ad ipsam adorationem, deinde ad Cardinales adorantes, inde ad sacellum vbi fit adoratio, hinc ad colorem purpureũ, tum purpuram qua Christus amictus erat, vnde incepit distractio. Verum mihi nunquam placuit iste modus, eo quod non tam distractionem tollat, quam potius augeat, non sine iactura, si non meriti, saltem temporis. Laudo hanc diligentiam, si vsurpetur finita iam meditatione, vt exhortatur B. N.P. Ignatius in Exercitiorum libro: & ego de ea actarus sum in tractatu de Examine conscientiæ.

ALTERVM est, secundum alios. illicò dolere, & pœnitudine duci, quod diuinam maiestatem tanta irreuerẽtia affecerimus. Quem modum merito reprehendit B. Ephrem in sermone de ratione rectè viuendi. & dicit id facientem, similem esse ei, qui columbam per fenestrã fuga elapsam proiectione lapidum reuocare conatur, cum potius

Tom. 1. num. 35.

potius lõgius fugetur. Proprius autem modus reuocandi illam, inquit, est, si aliquot grana frumenti iuxta fenestram spargãtur, quibus ad reditum alliciatur. Hæc grana spiritalia vsurparunt varii excerpta ex passione Christi Domini. Nonnulli enim soliti sunt conficere alphabetum ex instrumentis Passionis, alii ex actionibus. Alii ex nominibus personarum præsentium.

ALII prouectiores ab ipsa distractione occasionem capiũt immediatè prosequendi meditationẽ. Exempli causa, ex illa distractione de Cardinali nata ex meditatione ECCE HOMO, dicunt, alloquendo Christum. Domine tu sis mihi Cardinalis, tecũ mihi res est, agere volo de mea salute, & sic deinceps persequuntur meditandi cursum.

ALII deniq; contenti sunt redire ad meditationem, quotiescunque distrahuntur, nulla alia consideratione habita: & sic semper faciunt. Qui modus forte est melior reliquis, quia facilior cuiq; hominum sorti, ac idcirco etiam vsitatior.

RESTAT sub finem huius capitis, monere te, quamuis distractiones nonnunquam incidant quamplurimç, non tamen ideò esse aut despondẽdum animum, aut nimium

2.2.q.39. a.2. contristandum, quia S. Thomas alicubi docet tristitiam immoderatam esse malam, quia transcendit regulam rationis. *Ompet* inquit, *passiones animi regulari debent secundum regulam rationis, quam transcendit immoderata tristitia.* Tunc autē mea opinione videtur tristitia transcendere rationem, quando vel è medio tollit, vel certe turbat consuetas hominis actiones, vti facit in præsenti materia.

TRACTATVS II.

DE ARIDITATE SPIRITVALI.

De causis internis Ariditatis spiritualis.

CAP. I.

NOMEN ariditatis, sicut & siccitatis ac sterilitatis, metaphoricè tribuitur Orationi, translatione sumpta ab agris, qui aridi & steriles dicuntur, quando post culturam & semen iniectum, nullum tamen fructum

fructum reddunt. Causas igitur sterilitatis spiritualis inuenerimus, si cognouerimus causas sterilitatis corporalis in agris. Hos autem dicimus steriles, vel quia nimium sicci sunt, vt si arenosi, vel saxosi sint, vel nimium humidi, vt si sint paludosi. Itaque sicut arenæ siccitas facit, vt semen in eam iactum non possit emolliri & putrefieri, *vt multum fructum afferat*, sic animæ ariditas facit, vt semen diuini verbi in eam coniectum *ipsum solum maneat*. Idem euenit terræ petrosæ, licet enim in ea semen quidem exoriatur, tamen ob humoris defectum non augescit, vnde Christus apud B. Lucam dixit. *Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Luc. 8.

Assimilare possumus solo sicco & arido eos homines, qui naturaliter tam hebeti & obtuso sunt ingenio, vt ex nullo argumento, quamuis perspicuo & copioso, possint haurire meditando aliquem conceptum theoricũ vel practicũ. Paludoso verò comparare ecõtra possumus eos, qui ob naturalem ingenii subtilitatẽ & promptitudinem de quouis argumẽto sublimes & varios texunt conceptus, sed nesciũt reuocare ad praxim, eo quod illis desit aqua deuotionis,

quam tanti facit S. Bernardus, consulitque vt sedulo ab omnibus quæratur. Vnde bene dixit Christus de semine nato inter petras, *natum aruit, quia non habebat humorem.* Inter hos annumerari quoq; possunt, qui olim quidem fuerunt fœcundi, sed sua culpa, eo quod nimium se dediderint rerum curiosarum contemplationi, steriles facti sunt, de quibus Dauid locutus videtur, dum

Psal. 106. ait: *Terram fructiferam in salsuginem à malitia habitantium in ea.*

Diximus, solum quoque sterile reddi, ex superuacaneo humore: propterea quod in eo semen vel suffocatur, vel langueſcit: cui merito comparãtur ii, qui plus æquo se addicunt huius seculi illecebris & recreatio-

Phil. 3. nibus, *& quorum Deus venter est*, vt loquitur Apostolus. In his enim semen diuinum

Gen. 6. extinguitur. vnde de talibus ipse Deus in Genesi dixit. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est* id est, carnalis, & in carnis voluptatibus sepultus.

De causis externis sterilitatis spiritualis.

CAP. II.

HAs quoque causas inuestigabimus ex causis sterilitatis temporalis. Et possunt reuocari ad tria capita principalia. Primum

mum est, mala cultura, secundum est, vitiosum semen. Tertium defectus influxionum cœlestium. Mala cultura soli in duobus cõsistit defectibus. Prior est, si negligenter aretur & subigatur. Posterior, si non impinguetur fimo De priore Salomon ita scribit. *Transiui per agrum pigri, & per vineam stulti, & ecce repleuerunt eam vrtica & spinæ* qua forma loquendi indicauit negligentiam culturæ, nam subiicit. *Irruet super eum egestas, sicut cursor, & super eum fames, sicut vir armatus.* hic enim est effectus ignaui agricolæ vt obruatur, dum minimè expectat, inopia. Hęc verissimè dici possunt etiam de pigro spirituali, quicunque enim in cursu Christianæ pietatis, vel vitæ religiosæ desesst, eum ex improuiso destituere solet & cupiditas meditandi de rebus cœlestibus, & desiderium omnis profectus spiritualis. Prou. 24.

Potest fieri vt delicatus aliquis agricola stercorandi agri sui laborem horreat, eo quod fœdum tetrumq; fimi odorem ferre nolit: haud secus nõnunquam euenit agricolæ spirituali, vt nempe multorũ operum bonorum, quoniam sensus parum oblectant, exercitationem deserat. De quo sic loquitur B. Bernardus. *Annon stercora sunt abominationes Ægyptiorũ, quas immolamus* Bern. ser. 2. de Petro & Paulo.

Deo nostro? Stercora planè vilia ad aspectum, sed ad fructũ vtilia. Non refugiat hanc fœditatem, qui fœcunditatẽ desiderat, non vilescat nobis vilitas pretiosa, sed pretiosius cũctu thesauris Ægypti Christi improperium. Nec ignoro fimum etiam esse verbum increpatorium verbum improperij, & quod, si non excusat necessitas, ipsum quoq; dedeceat proferentem.

VENIAMVS ad defectus ex parte seminis. Primus est, si non iaciatur in agro. Secundus si iactum, ilico tollatur ab auibus. De quo Matthæus, *Et volucres cæli comederunt illud.* Tertius, si nimis parum seminetur. Quartus, si vitiatũ sit semen foris pulchrum, intus corrosum vel vacuum, & ideo ad germinandum impotens. Quintus & vltimus sit, si semen noxium supraseminetur, vt zizania vel lolium. Quæ applicando ad institutum nostrum, dico, semen esse rerum diuinarum notitiam. Hanc autem in agrum animi nostri non coniicere, est non teneri studio comparandi illam. Comparare autem illam, sed mox obliuioni tradere, est perinde ac semen volucribus obiicere, vel seminare vitiatũ. Comparare autem ad captandam vanam gloriam est superbia. Ac deniq; superseminare zizania spiritalia, est in sermonẽ inferre nugas, fabel-

Matt. 13.

las, no-

las, noua curiosa, quæ dum orationis tempore vna cum piis cogitationibus germinant, & exoriuntur, omnem fructum impediunt. Ac notatu dignum est à Christo vocari INIMICVM, qui zizania seminauit, dicens. *Inimicus homo hoc fecit*, vt intelligamus pro inimicis habendos, qui vana & futilia, curiosaq; colloquia inducunt.

DENIQ. & ex defectu influxionum cœlestium, vt imbrium, frigoris, caloris ventorum agri boni, licet diligenter exculti, infœcundi & steriles efficiuntur. Influxiones hæ spiritaliter acceptæ sunt illustrationes diuinæ intellectus, & motiones voluntatis. Vbi notandum est influxus materiales cœlorum etiamsi ordinatiè pendeant, à Deo, aliquando ob demerita nostra, ac imprimis ob negligẽtem diuinorum mandatorum obseruationem, nobis subtrahi. Ita enim Deus ipse minatur in Leuitico. *Visitabo velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumet animas vestras, frustra seritis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur, daboq; vobis cælũ desuper ferreũ, & terrã æneam, consumetur in cassum labor vester, non proferet terra germen suum.* Quod autem hæc mala proueniant ex præuaricatione diuinę legis expressit Moyses Deu. 28. Leu. 26.

Quod

Quod si nolueris audire vocem Domini Dei tui, vt facias omnia mandata eius, sit cælum, quod super te est aneum, & terra, quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris. Vnde religiosi duo possunt accipere documenta. Primum est, quod cum habeant præter leges Dei omnibus fidelibus communes speciales quasdam à Fundatoribus suis aeceptas, si eas non obseruent, eos timere debere hanc sterilitatem orationis. Alterum est, obseruandas esse omnes leges & regulas æque paruas ac magnas, quia dicit OMNIA. Itaq; quoties religiosus deprehēdit se aridum in Meditationibus, sedulo examinare debet, an paruerit omnibus regulis: si enim non paruerit, nihil mirari debet se ariditatem pati.

De remediis præseruatiuis sterilitatis spiritualis.

CAP. III.

Luc. 16. S. LVCAS narrat Dominum laudasse *filicum iniquitatis, vel iniquum, eo quod prudenter fecisset,* & subiungit, quod est pro nobis, *quia filii huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua,* indicans homines se-

nes seculares non degere vitam inconsideratè, sed impendētibus necessitatibus multo ante prospicere. Iam si verum est, quod est verissimum, *quæcunq; scripta sunt, ad nostram vtilitatē scripta esse*, credere debemus Christum Dominum idcirco nobis proposuisse exemplum callidi illius villici, vt doceret nos vigilantes esse & prudētes in præcauendis necessitatibus antequam accidant, & remedia quædam præseruatiua vsurpemus, ne labamur in ariditatē aliquam spiritualem. Rom. 15.

PRIMVM remedium respondens primę ariditatis causæ est, nullo modo credere ob difficultatem quæ initio Meditationum solet incidere, eam esse vnam ex illis, ob quas hoc sanctum exercitiū tandem à quibusdam deseritur. nam vt experientia constat, nulla ars, scientia, vel exercitium est, cuius principia non videātur difficilia, quæ tamen vsu paulatim euadunt facilia. Omitto, te, esto quod ex illis fores, confidere nihilominus debere in Deo, quippe *qui potens sit*, vt idem B. Lucas habet, *de lapidibus suscitare filios Abraha*. hoc est cerebrum nostrum durum emollire ad meditandum, vt videmus in multis simplicibus & fœminis & rusticanis hominibus factum. Et S. Ioan- Luc. 4. Ioan 6.

nes

nes dicit. *Et erunt omnes docibiles* Dei. Cum ergo Deus sit magister noster, potest quemlibet licet idiotam, hanc diuinam scientiam docere. Immo S Thomas Aquinas docet in simplicibus & mulieribus deuotionem magis abundare, quam in doctis, eo quod illi minus quam hi confidant suis viribus. Quod & Dauid mystice prædixisse videtur, dum ait. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terrã sine aqua in exitus aquarum.* Et sequitur. *Et collocauit illic esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis, seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis*, id est, fructum ibi natum, & non aliunde importatum.

Tho. 22. q. 82. a. 3.

Psal, 106.

ALTERVM remedium pro ingeniosis tam ex primo, quam ex secundo genere, efficax erit, si norint facere bene, & curiositatis alas, aliarumque vanitatum demittere, ac se piis deuotisque contemplationibus dedere: sic enim impetrabunt non rorem modo, sed etiã imbres magnos cœlestis deuotionis, quib. irrigata anima sanctarum cogitationum multitudinem germinabit. Atq; id eo poterunt sperare securius, quo instãtius fores diuinas in suis precibus pulsabunt, sicut Elias exorauit pluuiam

uiam ingẽrem, qua terra perfusa fructuum copiã produxit. *Et rursum*, inquit S. Iacob. *orauit, & cœlum dedit pluuiã, & terra dedit fructum suum.* Nec debent despondere animum, si sterilitati suæ per siccas & aridas speculationes occasionem dederint: nam & Elias causa siccitatis materialis extitit. *Elias orauit*, inquit idem Apostolus, *vt non plueret super terram, & nõ pluit.* Neq; etiam fastidio esse debet, vitium idem ex diuturno usu vanarum curiosarumque cogitationum esse inueteratum, quia & siccitas illa Eliæ diuturna fuit, cum durarit annos tres & menses sex, cum videretur fieri non posse vt attractis è terra sicciſſima vaporibus effunderetur de cœlo pluuia. Sed nec ideò desperare possunt de emendatione, quod toto pectore quondam se dederint istis vanis speculationum secularium illecebris, quia & Elias toto pectore pro illa siccitate terræ Deum deprecatus est, vt geminatione illa significauit B. Iacobus, dicens. *Oratione orauit.* Nec denique suam imperfectionem prætexere debent, vel profiteri se indignos, qui exaudiantur, quia huic exceptioni diserte videtur occurrere voluisse Apostolus, cum ita præfatus est. *Elias homo erat similis nobis passibilis.* Iac. 5. 3. Reg. 17. & 18.

DENIQ.

Denique homines sensuales, & voluptatibus huius seculi addicti etiam antegressum remedium, si vitam emendare cogitét, vsurpare debent. Deus enim non solum exsiccauit flumina, sed etiam mare teste Dauide. *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.* Quanquam dubium non est postulari à Deo in hac re ipsorum quoq; industriam, & cooperationem, cum dicat Dauid ibidem. *Seminauerunt agros, & plantauerunt vineas.* Quæ cooperatio vicem subit fossarum & sulcorum, per quos aquæ decurrant in mare. Volo dicere, tui muneris esse omnes defugere recreationes, & noxiorum conuentuum occasiones. Nam sicut ciborum lautitiæ merito impediunt gustum rerum spiritualium. *Delicata enim* est inquit B Bernardus *diuina consolatio, & non datur admittenti alienam.* Sic immoderatior potus & cibus offuscat naturaliter intellectum, vt contemplationi rerum diuinarum se dedere non possit *Quotidiano enim*, ait B. Leo, *dilectissimi experimento probatur potus satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari.* Et mox hoc addit antidotum *Quamuis enim sine anima nihil caro desideret, & inde accipiat sensus, vnde sumit & motus, eiusdem tamen*

Psal. 106.

Leo serm. 8. de iiiiunio,

men

men est anima quadam sibi subdita negare substantia, & interiore iudicio ab inconuenientibus exteriora frenare, vt à corporeis cupiditatibus sapius libera in aula mentis possit diuina vacare sapientia, vbi omni strepitu terrenarum silente curarum in meditationibus sanctis, & in deliciis latetur aeternis.

De remediis contra causas externas sterilitatis spiritualis.

CAP. IV.

DIXIMVS negligentem soli culturam in duobus sitam, nempe, quod non araretur, & impinguaretur. Remedium ergò sumemus ex similitudine diligentis culturæ. Qui enim diligenter agrum colit, primum solet euellere spinas, & stirpes inutiles, deinde eiicere lapides, qui labores impediut, ac demum aratro proscindere. Vt igitur ad rem veniamus; id in primo remedio, & sequentibus agemus, vt varias virtutes monstremus homini spirituali necessarias ad rectè meditandum. Euulsio itaq; illa spinarũ ex agro, indicat mortificandas nobis esse animi perturbationes. Christus enim apud Matthæum declarauit amorem esse spinam

Matt. 13. semen diuinum suffocantem. *Aliud*, inquit, *cecidit inter spinas, & orta suffocauerunt illud.* Iectio autem lapidum docet nos, habitus prauos & inueteratos esse deponendos In aranda terra verò tria interueniunt notatione imitationeq; digna. Primum est, quod frustum terræ aratro prosciſſum, separetur à reliqua terra. Qua separatione indicatur, non posse fertilem reddi animæ nostræ campum per orationē, nisi ab amore rerum terrenarū sit auulsa. Alterum est, quod aratione superficies terræ superior fiat inferior, vt indicetur, proficere in virtute cupientem debere se totum tradere virtuti obedientiæ, sic vt superioris voluntas semper emineat, ipsius autē voluntas ordinariè sit inferior & subiecta. Tertium est, quod si post arationem frustū aliquod terræ æquo grandius supersit, id agricola comminuat, vt indicetur oranti procurandum, vt cor habeat contritum & humiliatū, secundum illud Psalmi. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et Ecclesiast. *Oratio humiliantis se penetrat cœlum.*

Psal. 50.
Eccle 35.

VENIAMVS ad stercorationem agri spiritualem, de qua sic loquitur B. Bernardus. *Stercora planè vilia ad aspectum, sed ad fructum vtilia. Non refugiat hāc fœditatem, qui*

Bern. ser. 2. de Petro & Paulo.

fœcun-

fœcunditatem desiderat siquidem ex deformi stercorum aceruo, qui portatur in agrum formosus surgit acerum manipulorum, qui reportabitur ex agro. propterea non vilescat bobus vilitas pretiosa, sed pretiosiorem cunctis thesauris Ægypti Christi paupertatem æstimate. Hæc de paupertate. Addit deinde de reprehensionibus. *An non impinguatur, qui increpatus benignè accipit, mansuetè respondet, libenter emendare conatur? Hæc sanè salubris & fœcunda impinguatio est, vt corripiat me iustus in misericordia.* Deinde pergit inuehi in ignauos & proteruos *Sed quid agimus*, inquiens, *quod hoc fimo videmus aliquos lapidari & indurari Hinc namq; scriptum est. de stercore boum lapidabitur piger.* Solent quoq; rustici impinguare terram stipulis post demessas segetes relictis, eas in terram defodiendo, quæ quia intus vacuæ sunt, significant nos vacuos esse debere cogitationibus & cupiditatibus rerum terrenarū, si velimus impinguare agrum animæ nostræ Imò cōsueuerūt & vtiles herbas eodē modo subigere in agris, vt fabarū, aliorumq; leguminū, qua re monemur etiā licita quædā aliquando abscindēda, vt rectè meditari possimus. Eccle. 22.

RESTAT vt transeamus ad remedia contra vitium seminis vsurpāda. Semen autem

diximus esse notitiam, quam habemus ex scientiis, naturali, morali, vel Theologica, vel acquirimus librorum spiritualium lectione, vel piorum sermonum, exhortationumue auscultatione, aliisque modis. De quibus omnibus dico primo. sicut dum sementis faciēda est, optimum quæritur frumentum, sic vitę spiritualis scopum esse debere, vt ad maximam eius perfectionem contendatur, & non cogitetur satis esse, in infimo eius gradu persistere. vel etiam conuenire, si indifferentium rerum notitiam non refugiamus, vt rerum bellicarū, digladiationum, venationum, aliarumq; id genus, cogitando, quod tandē & illa ad pium finem conuertere velimus. Qua ratione similes profecto essemus iis, qui licet allia & cœpas non comedunt nisi bene conditas & coctas, tamen postea tetrum odorem exhalant, hoc est, meditaremur quidem piè, sed non sine multis distractionibus. Secundo, seminis loco habere debemus tantum res merè spiritales, non permixtas vanis & curiosis, quæ sunt instar lolii. Tertiò, debet & scopus nobis propositus esse spiritualis ab omni vanitate alienus. Vnde B. Bernardus in Cantica ita scribit *Sunt qui scire volunt eo fine tantum, vt sciant, & turpis curiositas est, &*

Bern. ser. 38.

est, & sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Denique caue, tanquam ignem, ne rerum spiritalium exercitia pro ludicra & parui momenti habeas, aut ridiculè & iocosè de iis loquaris, id enim esset verbum Dei profanare, sanctaque exercitamenta pietatis non modo infructuosa, sed etiam animæ tuæ damnosa reddere.

POSTREMO pro remedio defectus cœlestium influxionum respondeo. Quemadmodum diximus causam defectionis esse, quod mandata Dei non præstentur, in religiosis verò quod regularum obseruatio negligatur, sic optimum remedium ad obtinendas diuinas inspirationes, & peculiaria auxilia, esse ipsam legum & diuinarum & humanarũ obseruationem. Ita enim Deus ore suo promisit in Leuitico *Dabo vobis pluuiam temporibus suis, & terra gignet germen suum & pomis arbores replebuntur.* hoc est, intellectus ornabitur cogitationibus cœlestibus, & voluntas sanctis desideriis. Vbi nota quæso fertilitatis magnitudinem. *Apprehendet,* inquit, *messium tritura vindemiam & vindemia occupabit sementem.* q. d. tantam fore copiam frumenti, vt messis duratura sit vsq; ad vindemiam, & vindemia vsq; ad sementem. Sed obseruãda sunt duo pacta, Leu. 26. Deut. 28.

Deu. 28. pacta, quæ DEVS ratione promissionum suarum nobiscum iniit. *Si mandata* inquit *mea custodieritis, & in præceptis meis ambulaueritis.* hoc est. promitto vobis meabundantiam illam vobis concessurum, si non solum meis legibus parere cœperitis, sed etiam in earum obseruatione perseueraueritis, & progressum feceritis, id enim significat verbum *ambulaueritis.*

Exercitia vsurpanda tempore aridit atis.

CAP. V.

PRIMVM est, crebrius vti inter meditandum applicatione sensuum. In ea enim breues discursus sufficiunt, & res sensibiles istæ viam aperiunt, & dirigunt ad illa pauca. Sed memineris, tunc id tibi licere tantum, quando omnes supradictos meditandi modos probaueris, qui nõ facile sunt deserendi.

SECVNDVM est, vsurpare Colloquia, & discursus varios, vt dictum est alibi, quia animum valde inflammare solent & excitare, ac inter cætera posses cum Dauide dicere, illud Psalmi 135. *Anima mea, sicut terra sine aqua,* & si quæ sunt similia, ab ipsa siccitate occasionem capiendo.

TER-

TERTIVM sit, non festinanter, sed cunctabundè legere pium aliquem librum, quem maximè probes, & cum occurrerit consideratio aliqua, gradum figere, donec arrideat: vbi cessarit, lectionem repetere. & dum gustus aliquis se offert, commorari tantisper, donec tempus meditandi effluxerit.

Quartum esse poterit, quod vsurpauit P. FRANCISCVS Borgia, sigillatim autem die omnibus Sanctis sacro in singulas horas. Nimirum imaginabere te conscendisse in cœlum, & inter visendū spiritus beatos, posces aliquam eleemozynam, principio facto à S. Trinitate, antequam cum senioribus in Apocalypsi prostratus adorationis causa ad quamq; personā oratiunculam aliquā institues, si scias, & si nescias, modo quo ipse poteris optimo postulare poteris gratiam pro præsenti tua necessitate ipsius attributis congruentē. Verbi causa à Patre æterno, vt compleat memoriam tuam piis conceptionib. ad meditationē locupletādā. A verbo æterno, vt instruat intellectum ad excogitandū res idoneas, & easdē penetrandum, sicut fecit Apostolis, quando, vt habet Lucas, *aperuit illis sensum, vt intelligerēt scripturas*. A Spiritu sancto verò, vt cor tuum

ſancto amore accendat quo ſemen diuinú bonarum cogitationum, ſanctorumq; deſideriorum in Meditatione ſuſceptum fouere poſſis, vt vberem fructum proferat.

Adire dehinc poteris thronum B. Virginis, Dei Matris, precariq; vt per ſuam fœcúditatem corporalem dignetur tibi impetrare fœcunditatem ſpiritualem. Orabis & *Seraphinos*, vt tibi impetrent inflammatum amorem in Deum.

Cherubinos, vt obtineant rerum diuinarum cognitionem.

Thronos, firmitudinem, vt ſis conſtans in obedientia.

Dominationes, vt te gubernent iuxta Domini voluntatem.

Principatus, vt te defendant.

Virtutes, vt doceant.

Poteſtates, vt à periculis liberent.

Archangelos, vt te adiuuent.

Angelos, vt te cuſtodiant.

Patriarchas, vt conſtãtiam, quam oſtenderunt in expectando Meſſia, impetrent, & ſtabilitatem in exercitatione bonorum operum.

Prophetas, vt lumen obtineas præcauendi omnia pericula.

Apoſto-

Apostolos, velut Pastores, vt tui, ouis suæ, curam gerant.

Martyres, vt impetrent fortitudinem animi in patiendo pro Christo.

Confessores, vt contemnere mundum, & carnem mortificare queas, sicut illi fecerunt.

Doctores, vt obtineas lumen cognoscendi legis suæ arcana, & robur ad eam obseruandam.

Virgines, deniq; & *Viduas*, vt impetrent puritatem cordis, & diligẽtiam qua dulcissimum suum sponsum Christum quæsierunt.

SEXTVM sit, vt tu econtra aliis eleemosynam porrigas in hunc modum.

Primo, percurres omnes status necessitate aliqua laborantium, incipiendo ab animabus Purgatorii Deinde transibis ad eos qui proximi sunt morti, vel in manibus infidelium. Tum ad existentes in peccato mortali, vel incarceratos Tum ad ægros, nauigantes, & alios id genus, orabisq; pro quolibet vnicam Dominicam orationem, & Salutationem angelicam, vel alias preces, prout libebit. Deinde excurres per ordines Ecclesiasticos, initio sumpto à Papa, per Cardinales, Episcopos, clerũ, & quamq;

religionem, optando illis abundantiã Spiritus sancti, vtq; primum ipsi in se sint sancti, tum verò sua sancta conuersatione, & prædicatione iuuent ad sanctificationem aliorum. Tertio idem poteris facere per Principes seculares, & Ecclesiam sanctam imitando primum Deo comendare Imperatorem, tum singulos Reges Christianos aliosq; Principes, Respublicas, Magistratus, Iustitiæ vindices, vnicuiq; optando quę officio eius conueniunt. Pro proprio autem Principe vel Domino peculiarem semper institues orationem.

SEPTIMVM sit, singillatim discurrere per Christi crucifixi membra, inchoando à capite, tum pergere ad oculos, aures, &c. Salutando illa, illis preculis, quarum meminit S. Bernardus, & S. Bonauentura, vel si earum gnarus non sis, vna oratione Dominica, agendo illis gratias pro bonis operibus per ea præstitis, afflictionibusque perpessis.

POSTREMVM sit, incumbere Orationi vocali cum sequentibus conditionibus. Prima, vt si memoria illam teneas, ores oculis in imaginem aliquam vel in cœlum defixis. Secundo, vt pronunties verba lentè, sic vt respiratio vna intercedat; v.c. postquam dixe-

dixeris, *Pater noster*, vna respiratione interiecta, dic, *Qui es in cœlis*. & sic deinceps comitante semper attentione intellectus ad verborum significatum. Quæ si cogitationibus alienis obrepentibus turbetur, conuenit ea tam clare proferre, vt ipse auribus percipias. Cum enim anima intẽta esse debeat & attentioni recitationis, & auditioni, fiat vt dictæ cogitationes dissipentur. Si verò orationes, quas es dicturus, memoriæ infixas non habeas, sed ex libro sint legendæ, eandem rationem & modum tenebis, vt si legas Horas Canonicas.

TRACTA-

TRACTATVS III.

DE CONSOLATIONIBVS SPIRITVALIBUS.

Tractationem de Consolationibus esse explicatu difficilem.

CAP. I.

DOCEBO in hoc tractatu primo, quemadmodum vicissim, nũc consolationes, nunc desolationes spirituales, quamdiu in hoc corpore mortali vitã ducimus, tam in actiuo quam contemplatiuo statu sentiamus, vti experientia ipsa monstrat, & excellẽter describit S. BERNHARD. in Canticis sub forma visitationis, quã anima velut sponsa recipit à sponso suo Deo. *Itur ergo*, inquit, *potest esse in hoc corpore de praesentia sponsi frequens laetitia, sed non copia: quia etsi visitatio laetificat, sed molestat vicissitudo: & hoc tamdiu necesse est pati dilectam*

doner,

donec semel posita corporea sarcina mole volet & ipsa leuata desideriorum liberè iter carpens per campos contemplationis, & mente sequatur expedita dilectum, quocunq; ierit.

Difficultas autem huius materiæ inde nascitur, tum quod non facile intelligentia percipi potest, quid ipsa sit, tum quod non intelligitur, nisi prius gustetur, vt affirmat Dauid, dum ait. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* primo enim posuit verbum *gustate*, deinde, *videte*. S. Bonauentura id explicat hac similitudine. Si quis poculum præstantis vini manibus teneat, & mirificè eius suauitatem prædicet, tu non poteris præstantiam eius vini certò cognoscere, nisi degustes, eo quod in huiusmodi rebus opus sit notitia experimentali. *In huiusmodi*, inquit S. Bernardus serm. 22. in Cantica, *non capit intelligentia, nisi quantum attingit experientia.* Immò tam difficile est exprimere, vt qui degustarunt, fateantur se non posse vel sermone, vel scripto consequi illius naturam. Inter quos meritò numeremus S. Bernardum in Cantica ita scribentem. *Istum autem gustum cum accipio, nullo corporis visu, nullo spiritus intellectu aduertere me sinit quid sit. Cum accepero, & ruminare volo, & diiudicare eius saporem, statim*

Psal. 33.

Serm. 74.

statim transit dulcor eius: deglutio quidem illud, quicquid est in spe vita aterna, sed operationis eius virtutem ruminando diu omnibus anima venis & medullis, quasi vitalem quendam succum optabam infundere, vt ab omnibus aliis affectibus desiperet, & illud solum saperet: sed festinat transire, & iam de inquisitione vel acceptione eius, vel visu formata quadam lineamenta memorie gestio arctius impressa committere, vel etiam memoriam labilem scripto iuuare experimento cogor dicere illud Euangelicum. Nescio vnde veniat, aut quo vadat.

Ioan. 3.

Quid ergo potero dicere ego, qui tam parum, tamque raro hanc rem degustaui? Contentus ergò ero tantum riuulis, quos sancti in suis libris reliquerunt, ex redundanti diuinarum Scripturarum fonte, vt de se fatetur B. Bernardus, delibatis. *Caterum*, inquit, *deriuentur inde aqua & in plateas meas me habere minus fateor, dum tamen nemo mihi molestus sit, aut ingratus, si de publico hausto, & propino.*

Serm. 23. in Cant.

Quid sit consolatio spiritualis.

CAP. II.

AD intelligendum nomen sciendum est, tertiã Appetitus sensitiui affectionem quæ

quæ dicitur, Delectatio, & in intellectiuo Gaudium, quando versatur circa res naturales, eandem vocati consolationem, vel Gustum spiritualem, quando versatur circa res spirituales Diuiditur autem in sensibilem & intellectualem.

De natura & essentia consolationis tantum dicam, quæ scripserunt S. Bonauentura, & B.P N Ignatius in Exercitiorũ libro, in quo breuissimè quidem, sed præclarè sane naturam illius attigit *Spiritualis*, inquit, *consolatio propriè tunc esse noscitur, quãdo per internam quandam sui motionem exardescit anima in amorem sui creatoris, nec iam creaturam vllã nisi propter illum potest diligere.* Adiungit deinde & aliud illius signũ *Quandoetiam lachrymæ funduntur amorem illum prouocantes siue ex dolore de peccatis profluãt, siue ex meditatione passionis Christi, siue alia ex causa qualibet in Dei cultum & honorem ordinata.* Addit & tertiũ. *Postremo quoq; consolatio dici potest fidei, spei & caritatis quodlibet augmentum.* Vbi nota augmentum illud non esse positum in rerum credẽdarum numero, sed in claritate, qua cognoscuntur. Deniq; subiicit & quartũ *Item latitia omnis, qua animũ ad cœlestiũ rerum meditationẽ, ad studium salutis, ad quietẽ & pacem cum Domino habendam erigit.* S. Bo-

S. BONAVENTVRA de Processu religionis parte 3 agens de hac consolatione, dicit primo, etiamsi propriè sit actus voluntatis, pertinere tamē etiam ad intellectum & Memoriam. *Ratio*, inquit, *illuminatur ad cognitionem Dei, Voluntas accenditur ad amorem boni. Memoria tranquillatur ad fruendum Vero bono.* Pergit deinde ad explicationem obiectorum cuiusq; potentiæ.

De Intellectu quidem ita loquitur. *Rationis ornatus est lucida intelligentia de Deo, & de his, quæ de Deo sunt, & ad Deum conducunt, Vt sunt Intellectus sacræ Scripturæ, rationes fidei & operum Dei, & intelligere quid placuit sic Deo. Et inter Vitia & Virtutes discernere, & naturas ipsorū cognoscere, & remedia Vitiorum, & Vias Virtutum, & scire Vtilitatē, & in operibus Dei admirari potentiam, sapientiam & bonitatem.* Deinde subiicit. *Voluntatis ornatus sunt, sanctæ actiones, & deuotæ ad Deū: feruor fidei fiducia spei, & dulcedo caritatis, bona Voluntatis alacritas, spes de remissione peccatorum, deuotio circa Christi humanitatem, & passionem, nec nō circa eius diuinitatem, desiderium regni cœlestis, confidentia de exauditione orationis, affectus diuina familiaritatis, & similia, quæ afficiunt hominem ad amorem Virtutum, ad odium*

Vitio-

titiorum, ad dilectionem proximorum, & ad studium bonorum operum.

De Memoria quoq; sic loquitur. *Memoria est ornatus sacrarum copia cogitationum, affluentia & tilium meditationum, stabilis memoria Dei, exclusio vagationum mentis, tranquilla adhæsio Dei, & corporalium imaginationum repulsio, perfecta omniũ mandatorum obliuio, & vnus Spiritus esse cum Deo.*

Immò dictus sanctus has consolationes putat etiam redundare in corpus, ita scribens. *Similiter quando corpus nostrũ ita subditum est Spiritui, & promptè ei obtemperet in non concupiscendo mala, non horrendo dura, & non fastidiendo bona.* Et concludẽdo demum dicit. *ista habere est consolationibus foueri.*

De Consolationum spiritualium causis, & quomodo se homo in illis gerere debeat.

CAP. III.

B. P. N. Ignatius de ea re ita scribit. *Proprium est Dei, & angeli cuiusq; boni veram infundere spiritualem latitiam animæ, quam mouent sublata tristitia, & pertubatione omni, quam ingessit dæmon.* Hoc au-

tem ſpeciatim facere ſolent proficientibus in virtute. *Spiritui autem bono proprium eſt, ac conſuetum, rectè agentibus animum ac vires addere, cõſolari, deuotionis lacrymas ciere, illuſtrare mentem, & tranquillitatẽ dare.* Deinde addit. *Id moris eſt ſpiritui maligno, vt in lucis angelũ transfigurans ſeſe cognitũ piæ animæ votis, primum obſecundet, mox inde ad peruerſa ſua deſideria illum alliciat. Simulat enim ab initio bonas, ſanctasq; cogitationes ſequi & fouere, ac deinde in occultas fallaciarũ ſuarum pedicas paulatim tractam illaqueat.*

Cap. 3. PRIMVM, quod conuenit facere affluente cõſolatione, eſt humiliare ſe, & reputare ea indignũ, ac dicere cũ B. Eliſabeth. *Vnde hoc mihi, vt veniat conſolatio Domini mei ad me?*

Secundum, ſibi perſuadere, quod tempore deſolationis ſit futurus timidiſſimus, niſi ſuppetat peculiare Dei auxilium. *Affluente cõſolatione*, inquit, *homo ſeipſum deprimat, & videat quantum poteſt, reputando ſecum, quam imbecillis, quamq; ignauus apparebit.* Teſtis huius luculentus eſt Dauid ita loquens. *Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.*

Pſal. 29.

Tertium ſic deſcribit. *Fruenti homini conſolatione proſpiciendum eſt, quo ſe pacto*

gerere

gerere poterit desolatione deinceps occurrente, & iam inde acrimoniam & robur animi matura comparet ad impetum eius reprimēdum. Qua in re exemplo sunt homines huius seculi, qui tempore pacis comparant se ad bellum: imo formicæ quæ æstate prospiciunt cibum hibernum. *Vade ad formicam ô piger*, ait sapiēs, *& considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* Prou. 6.

Quartum est, non existimare omnes instinctus, quibus mox post consolationem tangimur esse à Deo sine præuia causa naturali. Possunt enim oriri ab habitu, vel discursu proprio, iudicioue naturali adiuto. Fieri etiam potest vt sint ab angelo bono vel malo. Cum ergo certum non sit eas immediatè esse à Deo, *Solerti indigent discussione*, ait idem Pater, *priusquam recipiant assensum, vel in opus veniant.*

De modo discernendi bonas consolationes à malis.

CAP. IV.

QVAMVIS verum sit, vt docent sancti, difficillimū esse definire, de particulari

aliqua consolatione, sitnè bona an mala; nec fieri possit, vt ait S. Bernardus, nisi ab eo qui dono *Discretionis Spirituum* præditus est, tamen iidem nonnullas regulas communes tradiderunt de modo eas discernendi. Describam, quas B. P. N. Ignatius in libro Exerc. spirit. reliquit. Prima sit hæc. *Solius est Dei animam nulla præcedente consolationis causa consolari: cum sit hoc proprium creatoris, suam ingredi creaturam, & illum in amorem sui totam conuertere, trahere, & mutare. Causam verò præcedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, nec voluntati nostræ quicquam obiectum est, quod eiusmodi consolationem causare ex se possit.*

SECVNDA est, quod *quoties præcessit consolationis causa, auctor eius potest existere, tam malus angelus, quam bonus.* Exempli gratia, si post audita noua valde iucunda & grata, quis vacet orationi, & magna dulcedine in animo afficiatur. An enim dulcedo illa spiritualis à bono angelo profecta sit, coniicere poteris ex effectu, si dulcedo illa iuueris te ad meditationem rectius perficiendam, vel opus bonum exequendum: nam si seeus sit, à malo erit profecta. *Bonus enim angelus* inquit Pater, *hunc habet finem, vt anima in boni cognitionem, & operationem magis proficiat:*

ficiat: malus autẽ, vt malè agat illa, & pereat.

TERTIA est hæc. *Sedulo, & accuratè excutienda sunt cogitationes nostræ circa principium, medium & finem suum: quæ tria si recte se habeant, angeli boni argumẽtum est cogitationes illas suggerentis, sin autem per discursum mentis aliquid offertur vel sequitur, quod ex se malum sit, vel auocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quam anima prius quærendo sequi decreuisset, vel animam ipsam defatiget, angat, vel perturbet, sublata, quæ prius aderat, quiete, pace & tranquillitate, enidens tunc erit iudicium auctorem esse cogitationis huiusmodi Spiritum malignum, vtpote vtilitati & saluti nostræ semper aduersantem.*

QVARTA est, *Spiritui autem bono proprium consuetumq; est rectè agentibus animum ac vires addere, cõsolari, lachrymas ciere deuotionis, illustrare mentem, trãquillitatem dare sublatis omnibus impedimentis, vt expeditius alacriusq; per opera bona semper vltra tendãt.* Ratio huius est, quia diuina sua maiestas ideo delectationem apposuit rebus, vt ea illecti homines ad operandum inducerentur. Vnde quando homo conquiescit in ipsa consolatione ex mediis facit finem, diuinæ prouidentiæ ordinem peruertendo:

quod data opera angelus non bonus, sed malus procurat.

De Lachrymis spiritualibus.

Cap. V.

VT in tua deuotione non decipiaris, necesse est probè distinguas naturales lachrymas à spiritualibus; & ex spiritualibus bonas à malis Naturales voco, quæ oriuntur ex causa naturali, vt ex obitu parentum, iactura fortunarum, &c. Ad has lachrymas prompti sunt, quibus humidum est cerebrum, vt mulieres, pueri, corpulenti, & pituitosi. Secundo, qui in potu vel cibo excedunt, cum enim in illis multi vapores ascendant in caput, frigefacti inde instar pluuiæ in oculos delabuntur. Tertio, homines effœminati, eo q; ex quouis corporis dolore, vel animi mœrore diffluant in lacrymas. Quarto, melancholici. Atque ideo omnes hi si in meditatione multis lacrymis perfundantur, non statim debent credere eas prouenire ex singulari deuotione sua, sed potius metuere, ne tantum ex accidentali corporis affectione sint profectæ.

Spiritvales verò lachrymas appello quæ proueniunt à Spiritu qui si bonus sit, dicuntur bonæ, si malus, malæ. Quæ

à Spiri-

à Spiritu bono proueniunt, sunt triplices. Primæ, quæ ortum habẽt ex compunctione cordis per meditationem de peccatis excitata: quales fuerunt S. Petri, qui post graue erratum commissum in abnegando Christo, respectu eiusdem commotus *exiuit foras*, vt narrat B. Matthæus, *& fleuit amare.* Aut ortæ sunt ex consideratione peccatorum alienorum, quales fuere Christi Domini flentis super Hierosolymam. *Vident autem Iesu ciuitatem*, ait B. Lucas, *fleuit super eam.* id est, super eius peccata. Secundæ lachrymæ dicuntur compassionis, quæ funduntur ob aliorum calamitates; quo modo sanctæ mulieres, quæ comitabãtur Christum ad montẽ Caluariæ teste B Luca, *plangebant, & lamentabantur eum.* Primi generis lachrymę sunt incipientium, qui sunt in via purgatiua. Secundæ autem proficientium, qui sunt in via illuminatiua. Tertiæ denique lacrymæ sunt dulcedinis, & propriæ Perfectorum, qui sunt in via vnitiua. Omnibus his angeli procurant lacrymatum abundantiam, vt disertè docet B. P. N. Ignatius. *Hominibus*, inquit, *qui se à vitiis & peccatis purgandos curant sollicitè, & in obsequij diuini studio magis ac magis in dies promouent, spiritus*

Mat. 26.

Luc. 19.

Luc. 23.

bono proprium est deuotionis lacrymas ciere.

LACHRYMAS malas demũ vocamus, quas malus dæmon promouit. Primo, quia *arbor mala*, vt Christus loquitur apud B. Matthæum, *malos fructus facit* Secundo, quia illis semper conatur damno aliquo afficere, vel animam, vel corpus, vel vtrumq; Eaq; damna sunt multa & varia. Primum est, vt per copiam lacrymarum inducat dolorem capitis, copia enim illa exinanit & exsiccat cerebrum: vnde fit, vt oratio deinde deserenda sit, & homo mille tentationibus exponendus. Qua de re Cassianus in collationibus. *Quos*, inquit, *cum dæmones spirituali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præsidio ac munitione diuina nudatos facile vincendos audacter inuadunt.* Alterum malum est, vt prouocet ad vanam gloriam, maximè si ab aliis videãtur. Quod magnopere cauendum est, sicut etiam, ne tam clara trahantur suspiria, & singultus, vt facile exaudiantur. Quod si cor, vt fit, in ardenti meditatione aliquando exardescat, & ideo refrigeratione aliqua indigeat, sufficit aperire os, nullo vocali strepitu edito. Tertium est, vt impediat nos in salutari cognitione, quam in aliqua forte meditatione hausissemus, aut reuocet à bono aliquo propo-

Matt. 7.

Coll. 7. c. 24.

propositio, quod feciſſemus, ſi lacrymis obruti non fuiſſemus.

Memineris ergo tempus illud, non plorationi, ſed orationi deſtinatum. Etſi contemnendæ non ſunt tres vel quatuor lachrymulæ, quando ſponte oboriũtur, nam S. Eccleſia orationem peculiarem in Miſſali poſuit, *Pro petitione lachrymarum*. Verum noris potius intendendum proſequendæ meditationi. Excipio viros perfectos, quibus pænè continenter lacrymæ ſunt in oculis, vti accidit B. P. N. Ignatio, cui ſub vitæ finem à ſummo Pontifice facultas obtinenda fuit, ne teneretur horarum canonicarum perſoluere penſum, ob continuas lacrymas, quibus excæcandus videbatur.

De cauſis Deſolationis.

CAP. VI.

EXPONAM primò quid nomine Deſolationis ſecundum doctrinam B. P. Ignatii intelligam. *Deſolatio*, inquit, *vocari debet quæuis animæ obtenebratio, perturbatio, inſtigatio ad res infimas, ſeu terrenas, omnis deviq; inquietudo & agitatio, ſiue tentatio trahens in diffidentiam de ſalute, & ſpem caritatemq; expellens, vnde ſe anima triſtari, te-*

pescere & torpere sentit, & de Dei clementia prope desperare. Sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam quæ ab vtraq; oriuntur cogitationes, sunt inter se prorsus oppositæ. Cum verò Desolatio contraria sit consolationi, quicquid huic contrarium est, hoc illi proprium esse debet.

VENIO nunc ad eius causas, inter quas prima sit DEVS, qui immittere aliquando solet illas desolationes tribus de causis. Prima est, vt tepiditatem nostram quam in cultu diuino ostendimus, castiget. Altera est, vt faciat nos aduertere, num ex puro amore, an propter consolationes tantum suæ diuinæ maiestati seruiamus. Tertia, vt sciamus virium nostrarum non esse, vel acquirere, vel retinere feruorem deuotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrymarum, aut aliã quamq; internam consolationẽ: sed omnia hæc gratuita esse Dei dona. Quæ si vendicemus nobis vt propria, superbiæ & vanæ gloriæ crimen non sine salutis graui periculo incursuri sumus. Alibi verò adiungit & quartam. *Quamdiu*, inquit, *premimur desolatione, cogitandũ est nos interim relinqui à Domino nobis ipsis probationis causa, & vt per naturales quoq; vires insultibus inimici nostri obsistamus: id quod possumus haud*

haud dubiè assistente nobis præsidio diuino, quod semper manet, licet tunc nequaquã sentiatur, eo quod feruorem pristinum caritatis Dominus subtraxerit, relicta nihilominus gratia, qua ad bene operandum, & consequendum salutem satis esse queat.

Venit mihi hic in mentem admonere te, quando desolatus es, ne facile existimes Deum id facere ob dictam causam, sed ob primam. Vt enim nemo sapiens grãde onus imponit humeris pueri, sed hominis robusti: sic non est existimandũ Deum sapientissimum, clementissimumq; impositurũ humeris tuis tam graue onus, quale est diuturnarũ desolationũ, cũ in vita spiritali adhuc sis tyro & puer. Confirmat hanc doctrinam B Augustinus lib. 1. de serm. Domini in mõte, dum agit de leuitate præceptorũ veteris testamenti, respondentium spirituali pueritiæ Iudæorũ, & soliditati præceptorũ legis nouæ congruentiũ cum virili Spiritu Christianorũ. *Cum auẽ*, inquit, *minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo dãtur, qui solus nouit congruentẽ suis temporib. generi humano exhibere medicinam.* Verum quod Deus permittat adultis & perfectis, persuadet illud, quod factũ est in S. Paulo. Qui scribens ad Corinth. *Datus est*, inquit, *mihi stimulus* 2. Cor. 12.

carnis

carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Et nota fateri illum esse datum sibi stimulum pro medicina præseruatiua *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Qui tamē alias in tantam desolationem & afflictionem cum sociis venit, *vt taderet,* inquit, *nos*
2. Cor. 1. *viuere.* Quisquis ergò perfectus nō est, procul dubio potius censere debet, desolationes se ob tepiditatem punitum, & ita se ad nouum feruorem animi accendere, ac ilico subsidium aderit. *Nouit enim Dominus,* inquit B. Ambrosius, *mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.*

ALTERA causa desolationum potest esse Dæmon. *Euidens tunc erit,* inquit B. P. Ignatius *indicium auctorem cogitationis huiusmodi esse spiritum malignum vtpote vtilitati, & saluti nostræ semper aduersantem* Aduersatur autem aliquando palam, aliquando occultè. palam in incipiētibus, quia eorum profectus plurimum repugnat eius conatibus. *Eorum,* inquit, *qui promouent in bono salutis animis se insinuat malignus duriter, implacidè, & violenter cum strepitu quodam, sicut imber descendens in petram.* Et alio in loco. *Hominibus, qui se à vitiis purgandos curant solicitè, & in obsequij diuini studio magis in dies promouent, immittit spiritum*

mali-

malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, & alias id genus persecutiones, quibus profectum illum impediat. Occultè deinde procurat in Proficiētibus prætextu boni finis, non veri, sed apparentis. De qua re idem Pater sic scribit *Quoties cōtingit aliqua suggestione deprehendi hostem ex cauda sua serpentina, id est, fine malo, quem nobis semper insinuare studet, tunc plurimum iuuat reuoluere discursum totum, & notare, quid ab initio prætexuerit bōnæ cogitationis, & quomodo præcedentem spiritualu gustus suauitatem, animoq; serenitatem sensim amouere, ac venenum suum infundere tentarit.*

TERTIA causa desolationum est angelus bonus, maximè in hominibus peccatoribus, & malæ vitæ, *Illis*, inquit idem Pater, *qui facile peccant lethaliter, & peccatum peccato addunt, spiritus bonus conscientiam pungit assiduè, & per syndereſis rationis q; officiū à peccando deterret.*

De Desolationis effectis.

CAP. VII.

PRIMVS effectus Desolationis est, quem describit S. Bonauent. *Tentatio*, inquit, *deuotorum maximè tempore desolationis est hæsitare, quod gratia consolationis non sit à Deo,* Bon. de proc. vit. relig. c. 21.

Deo, sed à seipso naturalibus conatibus procedens, vel à dæmone ad illudendum immissa. Et addit. *Horum typum gerunt Apostoli, qui tempore passionis Christi adeò obscurati sunt fide, vt iam fere dissentirent ab his, quæ crediderant. Vnde qui ibant in Emaus dicebant. Nos sperabamus,* &c. *Solet autem,* vt habet B. P. Ignatius, *Sophisticis argumētis quibusdam veri speciem præ se ferentibus lætitiam illam in anima repertam impugnare.*

SECVNDVS effectus est excitare grauissimas quasq; tentationes, vt de fide, de blasphemia, de desperatione, quod à Deo non ametur, quod opera sua sint Deo ingrata, quod non poterit perseuerare in bonorum operū exercitatione, quod iam reprobus sit & damnatus. deinde inijcere cogitationes monstrosas. & horribiles, quales
Psal. 103. Dauid descripsse videtur, dum ait. *Posuisti tenebras, & facta est nox. in ipsa pertrāsibunt omnes bestiæ siluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quarant à Deo escam sibi.* Itaque videntur sibi videre omnes inferni dæmones catenis ferreis solutos vt ipsos desolatos deuorent.

SI quæras, vnde nascantur cogitationes tam monstrosæ & horrendæ? ab animone desolato, an à dæmone? Respondeo, nasci posse

posse ab vtrisq;. Quod enim à nobis nonnunquam oriantur, inde liquet, q̃ Christus apud Matthæū dixerit Pharisæis. *Quid cogitatis mala in cordib. vestris?* Quod verò à dæmone, patet ex cogitatione diabolica Iudæ de p̃dendo Christo: nã S. Ioannes dicit. *Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eũ Iudas.* Si rursũ sciscitaris, vnde dignosci queat, ab vtro profectæ sint? Respõdeo cum S. Bernardo, id admodum difficile esse cognitu, immo quasi impossibile, nisi ab eo qui Spiritus sancti dono, quod Apostolus vocat, *Discretionem spirituum*, præditus sit, *Quamlibet enim*, inquit, *quis omni custodia seruet cor suum, & omnia quæ intra se mouẽtur, vigilantissima intẽtione obseruet, etiamsi diuturnum forte in his habuerit exercitium, & frequens experimentum: non poterit tamen ad purum in se dignoscere, discernere ue ad inuicẽ malum innatum & malum seminatum.* Et concludit. *Nec multum refert nostra scire, vnde ineat nobis malum, dummodo ineat sciatur. Vigilandum potius, & orandum vnde cunq; sit, ne consentiamus.*

Matt. 9.

Ioan. 13.

1. Cor. 12.

De remediis contra Desolationem.

CAP. VIII.

REMEDIORVM duo genera adsignabo. vnum erit de rebus agendis, alterum de fugi-

fugiendis Quod ad primum attinet, *ille inquit* B. P. N Ignatius, *quem desolatio molestat, æstimare debet cum Dei gratia se posse plurimum, facileq; aduersarios suos omnes deiecturum esse, dummodo in Dei virtute collocet spem suam, & animum suum corroboret.* Sicut ad Philippenses dicit S. Paulus. *Omnia possum in eo, qui me confortat*, & Dauid psalmo 26. *Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo* Secundo debet se dedere consequendæ patientiæ *Hominem*, inquit idem, *tentatione pulsatum mirè iuuat patientia seruanda studium, & quæ vexationib. huiusmodi propriè apponitur, & è diametro resistit*, conformando se cum Iob, & dicendo, *Si bona suscepimus de manu Domini*, id est, consolationes: *mala cur non sustineamus*, id est desolationes, & audacter subiungere. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.*

Phil. 4.

Iob. 1.

TERTIO accersenda spes est & cogitatio *ad futura breui consolationis*, cum eodem Iob dicendo. *Rursum post tenebras spero lucem*, & cum Dauide. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerũt animam meam.* Ces-

Iob. 17.
Psal. 33.

saturos

saturas autem tentationes colligit B. Gregorius 27. moral. cap 17 ex verbo psalmi, PERTRANSIBVNT, quasi diceret, istæ tentationum bestiæ transibunt tantum, & postea euanescent.

Quarto, *expedit prouideri & augeri ea, quæ contra desolationis impulsum tendunt, qualia sunt, insistere orationi, & meditationi cum discussione sui, ac pœnitentia aliquid assumere.*

Quinto, nulla ratione oportet se hosti ostendere timidum & meticulosum: *consueuit enim dæmon animo & robore plane destitui, quoties spiritualem athletam corde imperterrito, ac fronte ardua tentationibus videt reluctari: sin autem trepidet ad primos impetus sustinendos, & quasi animum despondeat, tunc effrænatior, acrior, & pertinacior in hominem, vt cum pernicie nostra malignè obstinatéq; mentis suæ desiderium adimpleat.* Exemplum habemus in cane, qui nonnunquam, licet grandis sit, sed macilentus & æger, ad latratum vnius caniculi aufugit, fugientem verò similiter omnes alii caniculi vicini persequuntur. Si vero gradum figat, eisq; dentes suos, vt dicitur, monstret, mox conticescunt, & retrocedunt. Hunc imperterritum animum S. Gregorius col-

ligit ex duobus verbis dicti psalmi. Vnum
Psal. 103. est, CATVLI *Leonum*, indicando nobis esse leunculos quidem, qui rugiant, sed nõ posse nocere. Alterũ est, QVÆRANT *à Deo escam sibi*. quo innuitur, nõ posse eos nisi permit-
1. Cor. 10. tente Deo, aliquo nos malo afficere. Ex alia parte affirmat S. Paulus Deum non passurum *nos tentari supra id quod possumus*.

Sexto, auxilium diuinum per orationes
Psal. 119. inuocandum est, vt fecit Dauid. *Ad Dominum*, inquit, *cum tribularer clamaui, & exaudiuit me*. Sicut enim Deus exaudiuit ipsum, forte & exaudiet te. Si verò non liberet te, dicet saltẽ interius, quod dixit S. Pau-
2. Cor. 12. lo, cum ter Dominum rogasset. *Sufficit tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur*. Si dicas, tuas preces exigui esse momẽti, respondeo mendicos etiam mutos & balbos impetrare eleemosynam. Deinde implora patrocinium Beatiss. virginis, angeli Custodis, aliorumq; sanctorum, quibus es addictus. Quod si rursum excipias, te nec os aperire posse ad postulandum tale auxilium: ego contra vrgeo, te saltem imitari debere illos alios mendicos, qui ob vulnera & vlcera abiecti in terram ne vocem quidem edunt, & tamen extorquent eleemosynam. Aperi ergò Domino & tua vulnera

ac vlcera spiritualia, quæ vltro clamabunt illud Dauidicum. *Imperfectum meum viderunt oculi tui Domine.* Psal. 138.

Nihilominus non videtur vlla ratione hic tacendum, sed clarè dicendum, licet verum sit, quod diximus de cessatione, & alterna consolationum desolationumque vicissitudine, vt colligere est ex illo alio versiculo, *Ortus est sol, & congregata sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* tamen non ideo omnino extinguendas, aut excidendas, sed potius instar armentorum intra mandras suas cogendas, vt inde de nouo alia desolationum nocte egrediantur. Immò plus dico, bonum esse credere, plures fore desolationes, quam consolationes, secundum illud Iob. *Post tenebras spero lucem* vbi vides vocem TENEBRAS qua significantur desolationes esse pluralis numeri: LVCEM vero singularis, quæ designat consolationes: & subiungere cum ipso Dauide. *Omnia in sapientia fecisti* Domine, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* hoc est, ad duo paratum, & ad fruendum consolationibus à tua diuina maiestate oblatis, & ad perferendas desolationes ab eadem maiestate tua permissas. Psal. 103. Iob. 17. Psal 103.

TRACTATVS IIII.

DE MODO EXAMINANDI CONSCIENTIAM.

De Examinis Conscientiæ vtilitate.

CAP. I.

QVAMVIS per multa & varia capita potuissem explicare laudes huius nobilissimi exercitii de examinanda conscientia, tamen non sum facturus, quia existimo, me vt in tractatu de Meditatione, sermonem habere cum iis, qui magno desiderio tenentur vitæ piè sanctèq; instituendæ. Satis ergo erit de multis duas tantum exponere huius examinis vtilitates; easque cum materia Meditationum admodum conuenientes, nam altera directè seruit meditationi, altera indirecte, quia remouet magnum quoddam impedimentum.

PRIMA vtilitas est, quod concilier nobis mu-

bis munditiem cordis, cui à Deo apud S. Matthæum, promissa est Dei visio. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quæ visio à facie ad faciem est reseruata in alterã vitam, teste S. Paulo, dicente in priore epistola ad Corinthios. *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum* Modum autem cognitionis paulo ante declararat, dicendo. *Facie ad faciem.* Est quidem hæc cognitio concessa quoq; in hac vita, sed satis imperfecta, vt ibidem affirmat Apostolus. *Nunc cognosco ex parte.* Et. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Hoc speculum autem esse creaturas declarauit initio epist. ad Romanos, dum ait. *Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea qua facta sunt intellecta cõspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Qua sententia vides Apostolum declarasse, quod ex notitia harum rerum inferiorum, quam diximus meditationis beneficio obtineri, ascendamus ad notitiam Dei, rerumque cœlestium.

1. Cor. 13.

Rom. 1.

VT autem intelligamus, qua ratione Examen conscientiæ hunc effectum gignat, sciẽdum est, peccata venialia, si multa sint, ac fiant maximè cum quadam voluptate animi, eum effectum gignere in anima, quẽ multa vela licet subtilia, in oculo cor-

poreo Sicut enim vno eorum oculis impositō, oculi minus vident, & multo minus, si duo, tria, quatuor ordine imponantur, sic quo pluribus venialibus noxis anima inquinatur, hoc minus ad contemplandum valet. Loquor de venialibus tantum (nam lethalia prorsus excæcant.) Exemplo sit halitus humanus, quī licet tenuissimus sit, tamen ita obnubilat ocularia, vt nihil per ea videre possis. Itaque quemadmodum is, qui habet oculos velis obductos, ea remouere debet, si velit effigiem elegantem artificiosè & subtiliter pictam intueri: ita si nos velimus Dei mirabilia perspicere in creaturis, operam dare debemus, vt peccatorum venalium nubē ab anima remoueamus Huc videtur spectasse Dauid, cum di-
Psal. 118. ceret in psalmis. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Hæc leuia pec-
Act. 9. cata videtur & Dominus designasse, per squamas oculis D. Pauli, quando de cœlo conuersus est, impositas, quibus dilapsis mox visum recepit.

Adhæc sciendum est in oculis animæ perinde generari vela, ac pellicula quædam subinde gignitur supra oculos corporis, quæ prohibeat visum. Nam sicut hæc producitur ex humore initio subtili & cla-

to, postea autem calore naturali augetur & condensatur, vt tandem ex pellucida fiat opaca, sic peccati venialis velum initio exiguum est & leue, sed postea per concupiscentiæ calorem, aliasque circumstantias & adiuncta valde augescit: sic vt paulatim ad eum peccatoris statum, non animaduertens, perueniat, de quo vaticinatus est Iob, dicens. *Quæ nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Et idem fatetur S Augustinus in libris Confessionum, dum ait. *Quoties narrantes inania, primo quasi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter aduertimus.*

Iob. 6.

Aug. 10. confes. c. 35.

Denique sicut peritus medicus, qui non potest impedire dicti humoris defluxum in oculum, id laborat vnicè, vt congruentibus antidotis quamprimum eum tollat antequam condensetur, sic nobis faciendū est in præsenti negotio animæ. Faciemus autē officio nostro satis, si ad anditotū sacræ Cōfessionis defugiamus. Verum sicut idē Medicus conatur humorem totū in vnā oculi partē attrahere, vt eo facilius purgatiuo remedio illū extrahat: sic hui⁹ examinis beneficio, quasi scopis omnes peccatorū sordes in vnū locū colligūtur, cōueniēter illi dicto

Psal. 76. Psalmi *Scopebam Spiritum meum*. Nec volo desperare eum, qui ob nimiam anteactæ vitæ licentiam iam oculis animæ velum obduxit. Nam sicut caligine oculorum corporalium laboranti medici possunt succurrere restituendo lucem, sic poterit & iste sperare, eoq; confidentius, quo peritiorem habet medicum, nempe Deum: ad quem recurrebat Dauid, cum diceret *Reuela oculos meos*. &c. Quanquam negandum non est opus esse labore & sudore, sicut & in pellicula oculis corporalibus detrahenda.

Psal. 118.

RESTAT nunc vt ad alteram vtilitatem transeamus, quæ erat, quod Examinis conscientiæ beneficio ingēs quoddam impedimentum rectè meditari volenti tollatur, nempe aculeorum & scrupulorum animi, qui summam molestiam afferre solent in rerum diuinarum consideratione: sicut enim in lecto spinis repleto collocatus quiescere non potest, sed nunc in hanc, nunc in illam se volutat partem, sic qui scrupulis conscientiæ angitur, ab vna consideratione in aliam misere depellitur. At Spiritus deuotionis locum pacificum tanquam proprium sibi vendicat. *Et factus est*, inquit propheta Dauid, *in pace locus eius*. vnde & sponsa huius conditionis memor imitat

Psal. 75.

sponsum

sponsum suum his verbis. *Lectus noster floridus.* Dico itaq; vnumquemq; nostrum, vbi examina conscientiæ fecerit secundū modum iam subiiciendum, contētum esse debere confessionibus sacramentalibus iuxta ea institutis: nam cum omnem diligentiam moralem adhibuerit, fas non est, vt agitari se sinat importunis suspicionibus, num rectè confessus sit, an memoria aliqua exciderint, num expresserit omnes circumstantias, & similia. Cant. 1.

Et quoniam commodissima examinandæ conscientiæ ratio est, quam B. P. Ignatius præscribit in Exercit. spirit. libro quinq; nimirum punctis comprehensa, totum tractatum in his exponendis consumam.

PVNCTVM I.

Gratias agere Domino Deo, pro beneficiis tam generatim, quam speciatim maximè eo ipso die acceptis.

CAP. II.

HOc primum punctum, sicut & secundum sunt quasi præludia vel introductiones ad Examen, & conuenientissimè præmittuntur, vt in demonstrabo. Nam

quod ad primum attinet: gratias esse Deo agendas pro beneficiis, non modo ratio dictat, & inducit virtus ipsa, quæ dicitur Gratia, vel gratitudo; sed etiam suadet ingens eius vtilitas, quia dum gratias Deo agimus nouis mox ab eo ornamur beneficiis. Vnde Dauid sic loquebatur *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et respondet. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Si etgo ingrati simus, non est quod alia beneficia speremus. Nam vt recte affirmat S. Bernardus, ingratitudo exsiccat misericordiæ diuinæ fontem. Cum enim in vita spirituali prorsus pendeamus ex donorum cœlestium influxu, & plus quam in corporali ex aeris respiratione, nullo modo committendum est, vt gratias agere negligamus diuinæ maiestati, quippe à qua omnia bona dimanant. *Omne datum optimum* inquit B. Iacobus, *& omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum.*

Psal. 115.

Iac. 1.

VT vero, tu qui initium facere cœpisti spiritualis vitæ, recte gratias agas, describam tibi nonnulla beneficia, pro vnoquoque ordine ex tribus antenominatis. Primus ordo erat generalium beneficiorum in quo

quo primum locum obtinet Creatio. Secundum redemptio, mediante sua passione & morte. tertiũ iustificatio per sanctissima sacramẽta, qui par est primo Sicut. n. virtute nostra non potuimus nos ex nihilo illo extrahere (vt sic loquar) sic nec possumus ex profundissima peccati abysso: ex qua tamen ille sufficienter nos semel extraxit per passionẽ, & sæpius efficaciter per participationem sacramentorum. Imo docent sancti iustificationis beneficium quodammodo maius esse illo Creationis eo quod in hoc nullo modo repugnare potuerimus, in illo autem sæpe repugnemus. Vnde S. Stephanus Iudęis dicebat: *Vos semper Spiritui sancto* Act. 7. *restitistis.* Et Christus Dominus de iisdem Mat. 23. *Quoties volui cõgregare filios vestros, sicut gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluistis?* Quartum locum habet *Conservatio*, tam in esse naturali per Creationem, quã spirituali per regenerationem accepto.

Secvndvs ordo est particularium beneficiorum, in quo primum possunt reddi gratiæ pro statu in quo quisque à Deo est collocatus, vt religiosus pro statu religionis. Videmus enim huiusmodi statum à Deo paucis tantum cõcedi. *Non omnes*, inquit Christus apud B. Matthæum, *capiunt* Matt. 19.

Verbum

Verbum hoc sed quibus datum est à Patre meo. Similiter Ecclesiasticus pro statu cœlibatus. Et secularis, pro statu matrimonii, qui certè beneficium est, maximè si conferatur cum aliis statibus vitæ miserabilis: licet sit duobus prioribus inferior. Secundo possunt agi gratiæ pro integritate corporis, quandoquidem tot inueniuntur mutilati. Et si vnum aliquod tibi membrum desit, age gratias, quod non absint plura. Deinde pro sanitate mentis, cum tam multi sint vel stulti, vel furiosi, vel prorsus stupidi. Tertio, pro honore, cum multi viuant in perpetuo dedecore & infamia. Deniq; pro facultatibus quas possides quæ si exiguæ sint, cogita aliis esse tenuiores. Si vero totus sis mendicus, cogita tibi multos esse socios, & Christum te fuisse pauperiorem.

Tertius ordo erat beneficiorum, quæ quotidie recipimus. In quo gratiæ agi possunt, pro inspirationibus motibusq; diuinis in meditatione alioue exercitio deuotionis perceptis. Pro expugnata, vel exclusa aliqua graui tentatione, de lucro spirituali concionando, exhortando, vel colloquendo, apud proximos facto. Vnum autem hic mihi monēdum occurrit memoria dignissimum, de illusione & fraude, qua dæmon

se in

se in angelum lucis transfigurans quosdam circumuenire solet, vt videlicet dum examen facturi sunt, nimis diu hæreant in hoc præludio, hoc est in expendenda beneficiorum magnitudine, copia & varietate, ac tandem tempus non suppetat pro examine faciendo, in quo tamen consistit tota huius exercitii substãria, aut si suppetit, illud tam breue sit, vt cursim & perfunctoriè tantum perficiatur. Vnde deinde fit, quia defectus non satis accuratè sunt notati, & animaduersi, vt nulla seria emendatio sequatur sed in dies in eosdem relabantur. Quare satis foret, dicere. Domine ago tibi gratias pro omnibus beneficiis generalibus, quibus me affecisti, maxime si ita loquaris ex intimo corde & non tantum ore, nec texas longum eorum Catalogum more Iudæorum, quos apud Isaiam Dominus arguit, dicens. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Posset tamen quilibet agere gratias pro beneficiis aliquibus eius diei, si deuotio ad hoc stimularet. Isa. 19.

Longas enim considerationes de iis instituere poteris in Meditatione, vti alii faciunt.

PVN-

PVNCTVM II.

Postulare à Deo lumen & gratiam ad cognoscenda fugiendaq; peccata.

PECCATVM simile est sepiæ, vel loligini, sicut enim hi pisces, quando vident appropinquare piscem grandiorem, liquore atro repente imbuunt aquas, ne videri, ac proinde nec deuorari ab illo possint: sic peccatum, simulatque perpetratum est, animam quadam atra caligine inuoluit, vt agnosci non possit. Vnde Dauid dicebat. *Delicta quis intelligit?* q d. nemo. Quam doctrinam propheta tam consentaneam veritati putauit, vt subiiceret. *Et ab occultis meis munda me.* Supponens multa occulta restare, quæ non obseruarat, & ideo rogabat, vt illa sibi condonarentur. Immo id ita exploratum & certum est maximè apud incipientes, vt probare opus non sit hoc esse credibile. Quilibet enim reipsa experitur difficultatem, vnde omnes dicimus. Peccatorum affatim in me est, sed non possum omnia cognoscere. Petitur ergo lumen diuinum. Quemadmodum enim face illata in cubiculum obscurum, omnia

Psal. 18.

quæ

quæ in eo sunt se offerunt spectanda, sic quando lux cœlestis immissa est in animæ nostræ penetralia, conspicua redduntur omnia eius mala Quanquam verum est nos istam spiritualem animæ visionem haud secus comparare quàm naturalem corporis, quando quis interdiu locum aliquem concluſum ingreditur. Etenim sicut in primo ingressu nihil videt, sed si nonnihil hæreat, primum videt quæque grandiora, vt lectos, mensas, & inde minora, vt sedes, orbes, cultros, ac quo diutius hæserit plura etiam minima, sic quo crebrius vsurpamus examen conscientiæ, & diutius in eo inchoato cunctamur, hoc plura peccata deprehendimus. Exemplum habemus B. Augustini qui huius examinis beneficio detexit etiam munitissima, vt in sequentibus capitibus apparebit. Nullus ergo, multo minus autem tyro, ad primum oculorum mentis coniectum dicere debet. Nihil video, ergo nihil est. Sicut enim ille si ad primum ingressum loci obscuri dixisset, nihil ibi esse, fuisset deceptus, sic nobis quoque vsu venit cum nostra Conscientia.

Adiungitur deinde postulatio gratiæ ad fugienda peccata. Neque enim satis est

tantam

tantam habere notitiam peccatorum, imò etiam habete voluntatem non ea committēdi, vt de se testatur Apostolus Paulus dum

Rom. 7. ait. *Non quod volo bonū, hoc facio.* Sed necessarium est diuina gratia esse munitos, sine qua nihil possumus. *Sine me*, inquit Christus

Ioa 15. apud B Ioannem, *nihil potestis facere.* Ex alia verò parte diuina gratia iam ornatus quisque dicere potest cum eodem Paulo. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Iam cum & S.

Eph. 4. Iacobus exhortetur nos, vt petamus, adiuncta sponsione de obtinenda gratia. *Si quis,*

Iac. 1. inquiens, *indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*, restat vt confidenter id faciamus, vnde & idem subdit. *Postulet autem in fide, nihil hasitans in corde suo.*

PVNCTVM III.

Expendere, quemadmodum cogitatione, locutione, opere & omissione peccatum sit.

De Distinctionibus iuuantibus ad Examen rectè faciendum.

CAP. IV.

IMBECILLITAS visus nostri spiritualis ex vna parte, ex altera verò cordis nostri hebet-

hebetudo admodum difficile reddunt hoc exercitium. Veriſſimum ſiquidem eſt quod dicit Hieremias. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud?* Et quoniam veriſſimum eſt id à Deo cognoſci, vt ibidem ſubiicitur, *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes*, fit vt homo quoq; lumine illo diuino, ſupra nominato colluſtratus poſſit cognoſcere, & declarare verum eſſe, quod B. Paulus in priore ad Corinthios epiſtola ſic ſcribit. *Nemo ſcit, quid eſt in homine, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in eo.* Hanc tamen difficultatem multum imminuere poteſt, ordinis & diſtinctionis obſeruatio: hæc enim & multa occulta patefacit, & iuuat ad eadem inuenienda & intelligenda, ſicut teſtatur humani corporis anatomia, & quotidie experimur, ſi enim v.c. nobis in viridi prato excidat paruula gemma, conſtat eam facilius reperiri, ſi herba vna ab alia ſeparetur, quam ſi quis confusè tantum oculos in gramina coniiciat. Sed & ſi in pauimẽto domeſtico excidat, facilius deprehenditur, ſi propius obtutum conuertamus ad varia loca, quam ſi confusè tantum totum pauimentum aſpiciamus. Id forte præfigurare voluit, docereq; Dominus illo mãdato Ioſue dato, de inueniendo autore furti

Ier. 17.

1. Cor. 2.

commissi in euersione Iericho. *Accedetis*, inquit Iosuæ, *mane singuli per tribus vestras, & quamcumq; tribum sors inuenerit, accedet per cognationes suas, & cognatio per domos, domus q; per viros* Quo ordine & distinctione, inquit textus, autor furti deprehensus est, etiamsi in tanto exercitu vnicus tantum fuisset.

Ios. 7.

Confirmat hanc doctrinam experientia naturalis de cubiculo obscuro, sicut enim qui illud ingreditur primo aditu hac illac ue respiciens, nihil videt: si autem in vnam eius partem oculos firmius defigat, sensim videt vel lectum, vel mensam aliquam: sic nos, dum ingredimur conscientiæ nostræ recessus, si mentē generatim ad multa conuertamus, nihil admodū videbimus, si autem definitè in caput vel membrum aliquod ex iis quæ iam explicanda sunt, eam dirigamus, facilius aliquem actum, vel lapsum offendemus.

PRIMA ergo distinctio sit iam antenominata, cogitationum, verborum & operum. Secūda verò erit, videre an aliquo trium horum capitum deliqueris contra Deum, teipsum & proximum? Tertia erit, discurrere per horas, & occupationes illius diei, initio facto à matutina surrectione, expen-

expendereq; sitne illa lentè & cunctabundè, an celeriter & sedulo facta tum transire ad orationem, ad sacrum Missæ, ad studia vel labores. Quo enim distinctius procedetur, hoc citius faciliusq; errata cognoscentur. Atq; hac diligentia efficitur, vt diutius hęreatur intra conscientię penetralia, ipsaque mora clarius etiam minuti quidam lapsus notentur. Sicut qui diutius moratur in tenebroso conclaui prius notat conopæum lecti, tum aduertit esse rubeum, hinc sericum, denique ex panno damasceno, floscul is & foliis, aliisq; minutis rebus pertexto

Et quoniam vitia generatim sumpta, vastam quandam efficiunt syluam, ne quis in ea aberret, vel sine fructu eam circumeat, gratum me facturum puto, si omnia reuocem ad quinq; capita, quasi ad quinq; obscuras cordis nostri cauernas Quarum vnam quālibet ingressi, si aliquantulū commorati fuerimus, seruata dicta distinctione & ordine, spes non dubia affulgebit quæcūque in iis fuerint, parua æquè ac magna cognoscendi. Sunt autem hæc capita curiositas, malignitas, otiositas, sensualitas & Vanitas. Quæ singula singulis exponam capitibus, cuiusmodi sint, & quomodo iis deliquamus.

Pro Epilogo verò huius capitis, monitum te volo, me nihil tractaturum, de natura peccatorum, hoc est, quando actio rationem peccati habeat, vel non, quando sit peccatum mortale, vel veniale, sed omnia remittam ad eruditum, prudentem & pium Confessarium, & ideò quisq; debet confiteri, quod inuenerit, stabitq; in omnibus iudicio illius. Tu interim caue ne amor proprius te excæcet, inducatq; *ad excusandas excusationes in peccatis*, vti psalmista loquitur, sed omnia ipse expendas & examines cogitans te præ manibus habere inimicum tuum capitalem. Compositis itaque, vel à fronte, vel à tergo brachiis pro tua deuotione, atq; si ligata essent, imaginare te ceu captiuum produci ad seueri iudicis Christi tribunal, ibiq; quotquot crimina detexeris, esse tibi condonanda, & idcirco angelum custodem, quem ad dextram tibi assistere cogitabis, deprecabere, vt tibi omnia & singula suggerat. Contra vero non esse condonanda, quę tua culpa non inueneris, & ideo imaginabere tibi assistere ad sinistram dæmonem laborãtem ne illa diuulgentur, licet postea summo studio curaturus sit, vt à iudice puniantur, sicut per os Sophonię prophetę comminatus est *Scrutabor*

Psal.140.

Soph.c.1.

tabor Hierusalem in lucernis, id est, examinabo te.

De Curiositate.

CAP. V.

CVRIOSITAS est, quando inordinato desiderio & studio rei alicuius notitia expetitur. Quod primo fit, quando debitæ circūstantiæ loci, temporis, personæ, quantitatis, &c. desiderantur. vt si quis studeat tempore sacrę Missę. Secundo, quando mala aliqua circumstantia intercurrit. vt si cui in studio scopus propositus est superādi alios, & gloriam aucupandi, vt fecerant, de quibus scribit S. Augustinus in libro de moribus Eccleſiæ. *Sunt*, inquit, *qui desertis virtutibus, & nesciētes, quid sit Deus, & quāta sit maiestas semper eodem modo manentis naturæ magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissimeq; perquirant. Vnde etiam tanta superbia gignitur, vt in ipso cælo, de quo disputant, sibimet habitare videantur.* Eodem modo delinquitur, quando studium refertur ad rem aliquam quæ sine peccato non potest exerceri, vt ad beneficia, quibus corporis, & *Aug. c. 21.*

animarum salus è medio tollitur: Item ad discenda amphibologica dicta, quibus homines decipiantur, vt fecere quos arguit
Ier. 9. Ieremias propheta dicens. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium: vt iniquè agerent laborauerunt.* Tertio, quando studia, ad quæ ex obligatione quis tenetur, commutãtur cum inutilibus, & officio ac statui non congruentibus. vt si scholaris occupet se legendis rebus militaribus, vel tradat se aucupio & piscationi. Cum quo conuenit, quod S. Hieronymus scribit ad Damasum Papam de filio prodigo, *Sacerdotes dimissis Euangeliis & prophetis videmus comœdias legere, & amatoria Bucolicorum versuũ cantare.* Quarto quando res bonæ quidem ediscuntur, sed à quibus nõ licet, vt à dęmonibus, energumenis, magis, sagis, incantatoribus, aliisq; id genus vel quando quis optat per somnia cognoscere futura, vel res alterius vitæ, vt in quo statu sit talis vel talis anima Quam curiositatem B. Augustinus in libro de vera religione tribuit priscis
Aug. c. 4. philosophis, dicens *Nescio, an philosophi impedirentur à fide vitio curiositatis in percontandis dæmonibus.* Quinto, quando rerum creatarum notitia non refertur ad cognitionem Dei creatoris, aut in ea intentione

quis

quispiam sibi complaceret. *In consideratione*, inquit ibidem B. Augustinus, *creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda: sed gradus ad immortalia & semper manentia faciendus.* Sexto, quãdo quis sublimiora scrutari conatur, quam ingenii captus ferat: vt si muliercula, vel rusticus vellet rimari S. Trinitatis mysteria, coniicerent enim se in periculũ hęreseos. Vnde Ecclesiasticus. *Altiora te*, inquit, *ne quaseris, & fortiora te ne secutus fueris, & in pluribus operibus tuis ne fueris curiosus. Multos enim supplantauit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.* Quicquid hactenus dictum est, vt vides, pertinet directe ad primam cognitionem, quam ex rebus haurit Intellectus, quamuis secundum proportionem possit etiam intelligi illa, quã homo conatur recuperare beneficio Memoriæ, vel Phantasiæ. Restat nunc, vt exponamus curiositatem, quę potest esse in cognitione sensuum. c. 29. Eccle. 3.

Dico itaque hominem à Deo instructum sensibus. Primò, vt illi seruiant ad tolerandam vitam, & comparandum vitę necessaria, vt victum, vestitum, &c. deinde ad cauenda noxia, vt lapsus, verbera, & similia. Secundo, vt operam suam præbeant cogni-

ioni intellectus. Nihil enim penetrare potest ad arcem intellectus, quod non prius subierit portas sensuum. Tertio, vt quilibet exerceat naturalem sibi actionem, vt oculi visionem, aures auditionem, & sic de cæteris. Quoties ergo alio modo operantur, curiositatis vitium incurrunt. Idq; fieri potest primo, si occupent se in rebus inutilibus. Secundo, si à rebus bonis animum distrahant, quemadmodum fatetur sibi accidisse B. Augustinus lib. 10. Cõfessionum. *Canem currentem*, inquit, *post leporem iam non spectо, cum in circo fit. At verò in agro, si casu transeam auertit me fortassis ab aliqua cogitatione magna, atq; ad se conuertit illa venatio.* Tertio, quãdo actionem suam dirigunt ad aliquod malum, vt visus ad concupiscendũ. *Qui viderit mulierem*, inquit Christus, *ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Quarto, quando alieni mores obseruantur, & facta. Vnde Salomon, *Ne insidieris*, ait, *& quæras iniquitatem in domo iusti, neq; vastes requiem eius.* Excipe, quando illa obseruatio fit ad corrigendos malos. quo sensu omnes superiores tenentur obseruare suos subditos, vel alios sibi commissos. Vel quando fit ad capiendam inde ædificationem. Quo sensu dixit Apostolus

Aug. c. 35.

Mat. 5.

Prou. 24.

Hēb. 10.

Consi-

Considerantes vos invicem in provocationem caritatis, & bonorum operum.

VBI notandum est, in quolibet trium casuum, quibus licitè exercemus sensus, posse interuenire vitium curiositatis, si absit aliqua circumstantia. Exempli causa, si sacerdos assistens altari coniiceret oculos in crucifixum, ad ediscendum aliquem gestum vel ex voluptate attenderet ad concentum Musicum. Deinde noris curiositatem posse cadere in omnes sensus; quia per quemlibet sensum venimus in notitiā propriorum obiectorum. Itaq; contingere potest, vt vno actu duo committantur peccata, speciatim in Tactu & gustu. Nam si quis accensus desiderio probādi saporem pomi alicuius comederet die ieiunii, delinqueret tum gula violando Ecclesiasticum præceptum, tum curiositate, quod tempore vetito notitiam illam capere voluerit. Et nota hoc differre gulosum à curioso, quod ille se oblectet in vsu & esu pomi, hic verò in notitia saporis pomi acquisita. Immò, vt Augustinus obseruauit in libris Cōfessionum.

Ex hoc euidentius dignoscitur, quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus, quod voluptas pulchra, suauia, canora, sapida, levia sectatur: curiositas autem etiam his contraria Lib. 10. c. 35.

traria, tentandi causa, non ad subeundam molestiam, sed experiendi, noscendiq; libidinem. Itaque poteris & tu circa vnumquemque sensum explorare, quid per curiositatem, quid per voluptatem deliqueris.

22. q. 162. a. 2. AD hanc curiositatē, inquit S. Thomas, pertinet itio ad turpium comœdiarum, vel militarium digladiationum spectacula, aliaque huiusmodi, producitque testimonium Chrysostomi homilia 6. in Matthæum dicentis. *adulteros inuerecundos constituunt tales inspectiones.* Itaque etiamsi quis non sentiat se commoueri à materia repræsentata, sed tantum à repræsentatione, non est immunis à noxa, quia materia illa naturaliter oblectat. Et ideò, inquit, reprehensione digni sunt imprimis viri graues, vt Prælati, Cletici, religiosi, & alii similes, si talibus spectaculis intersint. Et addit, si quis vel fortuitò, vel coactus eo peruenisset, debere eum claudere oculos, & circumstantes commonefacere. Quanquam & ille periculo curiositatis expositus maneret, vt accidit Alipio, de quo sic Augustinus.

6. Confes. c. 8. *Quodam pugnæ casu cum clamor ingens populi vehementer Alipium pulsasset, curiositate victus aperuit oculos.*

De

De Sensualitate.

CAP. VI.

HOc caput diuidetur in duas partes. In priore agemus de sensualitate gustus, quæ vitio gulæ committitur. In posteriore de sensualitate Tactus. Quod ad priorem attinet. S. Thomas modos peccandi gula ad quinq; capita reuocat, hoc versu comprehensos,

Quid, quales, quomodo, quando, quantumque ciborum
Consumas.

Sed antequam ad declarationē accedamus pro fundamento totius discursus supponere debemus, Dominum Deum cibum & potum homini concessisse, vt vitam sustentaret: sicut enim si lampadem accensam retinere velimus, opus est, affundere oleum, vt flammæ, quæ continuo consumit humorem, non desit fomentum sic vt homo maneat in viuis, opus est, vt quotidie illi cibus potusque porrigatur, quo humidum radicale quod calore naturali indies consumitur, restituatur. Vnde Aristoteles mortem definit *esse extinctionem caloris in humido.* Qua ratione & lampadem mortuam dicere possu-

possumus, quando ob defectum olei flamma extincta est. Veniendo igitur ad rem, dico, etiamsi homo à natura impellatur ad sumendum cibum & potum, tamen quoniam ratione præditus est, modum in sumendo tenere debet, quem illa præscripserit. Peccabit autem, quoties modum illum fuerit præuaricatus. Incipiã à prima conditione id demõstrare, quę in versu est QVID.

QVID significat, quis cibus vel potus, si spectetur natura, sumatur. In hoc autem peccari potest, quando v. c. à paupere vel mẽdico sumeretur cibus vel potus eius statui minimè congruens, vt phasianus, vel capo. Secundo, si sumatur cibus vetitus, vt carnes tempore quadragesimæ. De vtroq; arguit B. Bernardus fratres de monte Dei, quoad potum vini, tum quod regula præscribat potum aquæ, tum quod pretiosiora vina, & quidem pura, sine vlla aquę mixtione biberent. Ad primum caput reuocari potest, si quis in mensa statim iniiciat manus in fercula præstantiora iis, quæ ante se habet, vel si quis viliores, crassioresq; cibos repudiet.

QVOMODO, id est, an æquo auidius cibus sumatur. Quod sequentib us signis cognosci potest, Primò si nimis festinanter

oti

ori ingeratur, & vix masticatus deglutiatur. Secũdo, si frusta nimis magna, vt buccæ ambæ inflentur, & vix respirationi sit locus. Tertio, si capite nimium in pasinas inflexo de quo dici verè potest. *Animus in patinis est.* Quarto, si nimis cito cibi diffringantur, vt parcatur tempori Idem de potu dici potest, in quo sumendo delinquitur, si quis labra, instar equi, in schyphum immergat, & cum sonitu hauriat vel contra, si quis cunctabundè quasi pitisset, quo maiorem capiat voluptatem, quem modum S. Bonauentura in hominibus spiritualibus vehementer improbat. Vbi nota etiam viliores cibos nimia auiditate posse sumi, vt fecit Esau cum sua lenticula: & obseruauit B. Augustinus Christum Dominum in deserto fuisse tentatum pane, non aliis eduliis pretiosis, & Dauid putauit se non fore expertem culpę, si biberet aquam ex cisterna Bethleemitica allatam. *Gen. 25. Matt. 4. 2. Reg. 23.*

QVALES, id est, qua ratione conditi. Delinqui enim potest, si etiam viles cibi & crassi nimis pretiosis, minusq; vsitatis condimentis parẽtur, aut si in parandis, nimis multum temporis & laboris impendatur. In qua re etiam supra mensam peccatur, vt si quis ex variis ferculis aliquantulum deliber,

bet, tantum ad oblectandum palatum: & si quis oliuam vel fæniculum ante potum mandat, vt voluptas maior ex hauſtu vini percipiatur. Nec tamen ideo communia & vſitata ciborum condimenta damnamus, vt quod acetum vel ſynapi, quibuſdam ferculis adhibeantur, ne ſint inſipida. De quo vitio S. Bernardus etiam reprehendit iam dictos fratres, quia melle vina condiebant, vt eſſent ſuauiora, & guſtatui gratiora; nec non variis aromatis, vt etiam afficerent odoratum.

QVANDO, deſignat tempus comedendi. Nam cibum nimis mane ſumptum ſapiens etiam reprehendit in Principibus.

Eccl. 10. *Væ terræ, cuius rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt.* S. Paulus quoq; arguit

1. Cor. 11. Corinthios de tempore cœnæ. *Vnuſquiſq; inquit, cœnam ſuam præſumit ad manducandum.* Secundariò etiam culpa non caret, qui ſæpius in die citra neceſſitatem comedit, vel ex praua conſuetudine, vel ex ingluuie, niſi legitima cauſa excuſet, qualis eſſe poteſt ſecundum S. Thomam, ciuilitas, ſi quis à graui perſona inuitaretur. Ratio huius eſt, quia non cõuenit nouum cibum ingerere, cum prior nondum eſt digeſtus: tunc enim frigeſcit ſtomachus, & digeſtio impe-

impeditur; vnde sequũtur cruditates & morbi. Idem de potu dicendum, de quo Medici proferunt exemplum olæ bullientis, in quam si frigida aqua infundatur caro nigrescit, & insipida crudiorue efficitur.

QVANTVM, id est, quantum cibi, potusue sumẽdum sit. De quo respondeo primo, non posse omnibus eandem quantitatem præscribi. Sicut enim lampadi, quæ crassius habet ellychniũ, opus est infundere plus olei, sic homines, in quibus abundat calor naturalis, opus habent copiosiore cibo. Eadem de causa potest aliquando quis plus cibi sumere, vel quia diuturno labore corpus exercuit, vel quia pridie ieiunauit. Ob has causas difficile est nõ transgredi debitam mensuram, vt confitetur B. Augustinus in libro 10. Confessionum c. 31. his verbis. *Et quis est Domine, qui nõ rapiatur aliquantulũ extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est ego autem non sum, quia homo peccator sum.* In qua sententia consideratione dignũ mihi videtur verbũ *aliquãtulum?* Videtur. n. exigui quoq; excessus rationem habuisse Deinde subiungit. *Sed dũ ad quietẽ satietatis ex indigentiæ molestia trãseo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus cõcupiscentiæ Ipse.n. trãsitus voluptas est: & nõ est alius,*

qua

qua transeatur, quam quo transire cogit necessitas. Deinde aperit fraudes. *Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adiungit sese tanquam pedissequa periculosa voluptas, & plerumq; præire conatur, vt eius causa, quod salutis causa me facere, vel dico, vel volo.* Et discrimen ostendit inter sanitatem & sensualitatem, dicens. *Nec idem modus vtriusq; est. nam quod saluti satis est, delectationi parum est, & sæpe incertum fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidiū petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat.* Exclamat deinde contra animam, quod de tali incertitudine gaudeat. *Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.* Ac vt ne cogites hoc negotiū esse puerile, virisque grauibus indignum, audi quid subiungat. *In his ergo tentationibus positum certo quotidie aduersus concupiscētiam manducandi & bibendi.* Vbi notādum puto voculam, QVOTIDIE, quia vt quotidie manducabat, ita quotidie certabat. Addit & quibus armis certauerit, à Deo acceptis, dicēs. *Hoc me docuisti, vt quemadmodū medicamēta, sic alimenta sumpturus accedam.* Quorum

rum verborum mihi videtur geminus esse sensus, conueniens extremis, quibus potest in quantitate peccari, hoc est, vel in quantitate ciborum, vel quantitate delectationis. Sicut enim medicinæ ad certam & definitam sumuntur mensuram, sic potus & cibus: & sicut in illis non quęruntur delicati sapores, sic nec in istis immoderata lautities. Dico lautos sapores non requirēdos, quia non delinquimus sentiendo aliquem saporem gratū in cibo & potu, (Deus enim ideo illis indidit saporem, vt appeterentur) sed tantum quando aut nimium sapores persequimur, aut cōtristamur facile, si præstantes sapores absint. Quod edisces, si animi tui motus obserues, sicut & quantitatem cibi potusue sufficientem facile notabis addendo, vel diminuendo, si obserues, vt affectus sis in corpore sub tempus cœnæ: multò autem magis, si auxilium diuinum implores, vti fecit S Augustinus, & Patris spiritualis consilium non negligas, qui tibi & alia monita hic suggerere poterit in rem præsentem; quæ ego, ne nimis minuta persequi videar, aut fastidiosus sim, prætermitto.

VENIO ad alteram capitis partem, hoc est, ad voluptatem Tactus, de qua tamen

directè agere non statui, quia etsi periculosior & pernicioſior ſit voluptate guſtus, tamen quia quiſque, qui non eſt omnino illius laqueis conſtrictus, ſponte eam deteſtatur & horret, tantum hic indicabo ſigna quædam, à S Bonauentura, in tractatu de puritate conſcientiæ commemorata, vt oſtendat hunc amorem illius generis eſſe, quo affici poſſumus erga quamcumq; perſonam, etiam religioſam. Primum eſt, teneri deſiderio illam videndi, alloquendi, & cum ea conuerſandi, & idcirco crebrò cogitare de illa, idq; tẽpore importuno, maximè orationis & meditationis. Alterum eſt, gaudere quando id contingit, vel contriſtari ſi contrarium eueniat, vt ſi vtatur cõſuetudine aliorum. Tertium mittere ad eam litteras, munera, nuncios frequentes, & ſalutationes. Quartum, eius ſæpe recordari, de ea loqui, & in phantaſia eius ſpecie, geſtus aliaq; reuoluere. Cap. 21.

Vbi notandum multa ex dictis patefacere, quando in amore eſt exceſſus, etſi finis & ſcopus ſit bonus, vt fit in religioſis, qui poſt amplexatum Chriſti conſilium de deſerendo patre, matre, &c. tamen inordinato amore parentes, fratres, & ſorores proſequuntur, cum nulla vel animi, vel corporis ipſorum neceſſitas vrget. De

De Malignitate.

CAP. VIII.

MALIGNITATIS nomine volui appellare ea quæ sunt in hoc capite tractanda, quia natura sua originem habét ab animo maligno & peruerso. Primum autem est DETRACTIO, quo bonum nomen alterius vel tollitur, vel extenuatur, & fit multis modis. Vno, falso illi imputando malũ. altero, occultum malum patefaciendo, tertio, publicum exaggerando: quarto bonum silendo. quinto, bonum ab aliis eidem attributum minuendo, vel inficiando; Sexto, frigidè illud fatendo, aut adiungendo SED, hoc est; aliud malum regerendo. Septimo, non defendendo, vt certè negligenter, quando calumniam patitur, maximè si ex officio illi incumbat, vt si sit superior, defendere: ac multo amplius si occasionem prębeat calũniæ, nam vt bene dicit S Bernardus, nullus esset detractor, si nullus esset detractorũ auditor. Ac scias, quantumuis animus tibi nõ fuerit alteri præcisè bonam famam adimere, si reipsa adempta est, perinde est ac si adimere præsumpsisses.

ALTERVM caput cõprehendit aliquas peccatorum species linguæ propriæ vt est blasphemia, periurium, mendacium am-

phibologia, vt cum sermoni varii sensus possunt esse subiecti; homonymia, vt cum aliud ore loquimur, aliud in corde sentimus: Contentiones, clamor, adulatio, garrulitas, rusticitas, vt cum circumstantium sermones importunè interpellamus, vel iis repugnamus, vel facetiis nugisq; aures obtundimus. Vnde dicit S. Bernardus in libris de Consideratione. *Nuga in ore secularium nugæ sunt, in ore verò religiosorum blasphemia.*

TERTIVM est IRA, quæ aliud non est, quam cupiditas vindicandæ iniuriæ illatæ. Primo autem peccari potest, si eam tantum foueamus interius in animo, quę nonnunquam degenerat in maniam. Secundo, si erumpat in minas, vel verba iniuriosa. Tertio, si in ludibria, cõtumelioſos gestus. Quarto, in verbera, & pugnas. Quinto, si diuturno tempore indignatio alatur, contra monitum Pauli. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Eph. 4.

QVARTVM sit ODIVM, quod duplex est. Vnum dicitur maleuolentia, qua optamus alicui malum, & si illatum sit, exultamus. Alterum, auersio, quo interius in animo quempiam abominamur, exterius verò declinamus. Quo in genere præter modos

dos supradictos, delinquere possumus. primò, si à consuetis colloquiis, salutionibus, & visitationibus abstineamus, vel si ita frigidè ista faciamus; vt potius contemptu, quã humanitate prosequi videamur. Quomodo faciebant fratres Ioseph, de quibus scriptum est. *Et non poterant ei quicquam pacifice loqui.* Si dum colloquimur, oculos coniiciamus non in frontem, sed in ea quæ sub fronte alterius sunt, si vultu toruo, si eo aduentante alio diuertamus, si ianuam in faciem occludamus, si doleamus nos debere eum videre vel audire loquentem, si exultemus in eius infortunio, aut aliorum de eo querelis. Gen. 37.

QVINTVM est INVIDIA, quæ est dolor quidam, & cruciatus animi de aliena felicitate, quam vellemus illi non contigisse, ac præterea eam putamus nostro nomini obesse. Felicitas autem illa consistere potest vel in bonis animi corporisue naturalibus, vel in supernaturalibus & gratuitis, atq; etiam in bonis externis. vt si quis doleat alterum euectum ad dignitatem magnam ob præstantiam ingenii vel doctrinę, sibiq; antelatum, opibus auctum,

SEXTVM sit iudicium temerariũ, quando bene ab aliis facta quis interpretatur in

deteriorem partem; vt si modestiam reputet hypocrisin, parsimoniam vocet auaritiam, liberalitatem appellet prodigalitatem. Deinde, si verba bona aut adiaphora in sensum peruersum trahat, vt si dicat se paratũ ad tolerandum iniurias, ille suspicetur id fieri ex pusillanimitate, vel etiã ex superbia, vt videatur sanctus & humilis. Tertio, si iudicet, qua intentione talia dicantur vel fiant. vt si alium ex simplicitate quippiam dicentem, vel facientem, affirmet ad alios mortificandos id fecisse. Si malum exaggeret, si commemoret aliquid de alio, quod non conueniat eius statui, & nomini bono. Plus autem delinquitur, quando iudicium internum foris, vel verbis, vel nutibus proditur & diuulgatur. Idem dicendum est de suspicionibus temerariis, quando non exsertè aliquid affirmatur, sed cũ dubitatione, & in vnam partem ita propendetur, vt tamen reformidetur, de cõtraria, vt quando coniecturæ, quibus nititur, non sunt admodum probabiles & manifestæ.

De Vanitate.

CAP. VIII.

HVIC capiti ideo hunc titulum præfixi, quod vana & inania sint, quæcunq; in eo tra-

eo tractantur. Prima sit superbia, quæ non est aliud quam appetitus inordinatus honoris & dignitatis, qua aliis hominib. quis anteponatur. Et nota posse eam reperiri nō solum in rebus magnis & sublimibus, sed etiam in vilibus & abiectis. Vnde bene annotauit Caietanus etiā in cocis eam regnare, dum ob coquendi peritiam se iactant. Potest autem aliquis delinquere per superbiam quatuor modis. Primus est, quando quis se iactat ob rem, quam non habet, vt ob nobilitatem, ingenium, eruditionem, quam non habet. Secundus est, quando quis iactat quidem se de re quam habet, sed æquo insolentius, vt si vēditet nobilitatem suam velut antiquam, cum sit recens & noua; & si aliquam scientiā philosophiæ consecutus sit, putet neminem sibi in ea parem. Tertius est, quando quis doctrinam, vel aliud quippiam alieno labore partū suæ tribuit industriæ & inuentioni. Quartus, si fateatur quidē se ab alio consecutum, sed suo merito interueniente, q̄ tamen falsum sit.

Secvnda sit Præsumptio, qua quis præsumit se negotium aliquod aggressurum vel perfecturum, quod tamen vires eius naturales, vel supernaturales, tam animi, quā corporis excedit, idq; ex superbia,

quo magnam nominis sui famam apud homines colligat vt si latine spondeat se p.roraturum, cum Grammaticæ ignarus sit, se de mysterio S. Trinitatis vel Eucharistiæ concionaturum, cum Theologiam non audierit. Similiter si vix initio facto bene orandi; vel commentandi de rebus diuinis velit conscendere montẽ Contemplationis, nullis antegressis passionum animi mortificationibus, variisue meditationum gradibus.

TERTIA est Ambitio, quę est inordinata quædam cupiditas Magistratuum, politici vel Ecclesiastici, aliorumq; honorificorum officiorum, vt quis frui possit honore illis deferri consueto, ac vt eorum beneficio possit aliis multis anteferri. Vnde & filia est superbiæ, sicut præsumptio. Et noris hanc ambitionem etiam inueniri in inferioribus officiis, vt opificum, qui suos habent magistros; vt sodalitatum, quę habent suos Præfectos, Decuriones, Imperatores. Tunc autem peccatum hoc propriè committitur, quando ab indignis appetitur dignitas, vt Episcopatus ab indocto, vel qui non est Doctor Vel si appetatur dignitas maior, ab eo qui tantum dignus est minore; præmium primi, qui dignus est tantum

secundo,

secundo, vel tertio, quia eo ipso contra veritatem se ostendit doctiorem primo. Similiter si ab vno aliquo plures dignitates ambiantur, quando non desunt plures æquè digni. Item si dignus aspiret ad eas per vias illicitas, eo ipso enim prodit se vitiosum ac proinde indignum. cum honor non nisi virtuti debeatur. Rursum si idem dignus, nimis anxiè ad honores anhelet: superuacanea siquidē affectio illa declarat animum esse inordinatum. Secundo ambitione delinquitur, quando quis definito consilio & & voluntate decreuisset non fungi officiis honori ad iuuandum proximum adiunctis, cum secundum S. Thomam Dominus Deus qui est omnium bonorum dator, nullum honorem impertiat, nisi ad iuuādum alios. Quare ambitiosus esset & concionator, qui non tam fructum animarum suis concionibus quæreret, quam nominis celebritatem ex magno populi concursu.

QVARTA est Iactantia, quæ consistit in laudatione sui, suorum, suarumque rerum, verbi causa, donorum naturalium corporis, animi, vel externorum, vt generis, opum, formæ, & similium. deinde & supernaturalium Potest autem delinqui, primo si quis plus æquo iactet se de donis & bonis, qui-

bus caret, aut certe non habet tam prętantia, quam existimat. Secundo, si glorietur de malis verè vel falsò commissis, de quibus Salomon scribit. *Lætãtur, cum malè fecerint, & exultant in rebus peßimis.* Vbi adnerte, non solum peccari, quando quis se extollit cum damno & contemptu proximi, vti fecit phariſæus, sic in templo orans. *Ago tibi gratias Domine, quod non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus.* Sed etiam quando tantum suam quærit in iactatione voluptatem: sicut multi sunt, qui sola gloriatione & pompa verborum efferuntur, aut summopere gaudent, si videant se placere auditoribus. Tertio, peccatur, quando quis etiam si vera proferat, tamen ea profert, quæ circumstantium fidem superant, & si ob finem non bonum fiat, propriè dicitur ostentatio, qualis fuit Assueri regis in historia Hesther. Quod si nullus malus finis propositus sit, tamen modus ille agendi ingratus est hominibus feruentibus, & veræ perfectionis studiosis, vt bene obseruauit S. Paulus in altera ad Corinthios epistola dicens. *Parce autem, ne quis existimet me supra id quod videt in me, aut audit ex me.* Promanat autem hoc vitium, primò ex voluptate

Prou. 2.

Luc. 18.

2. Cor. 12.

quam

quam quis capit ex ostentatione, qua præ aliis se extollit Secūdo, ex lucro, vel opum, quoniam putat se eas ita & conseruare & augere posse, vel gloriæ & famæ apud homines. Tertio ex fastu, quo censet se esse hominem non vulgarem, & vnum ex illis, de quibus Iob ait *Conceptum sermonem tenere quis potest?* Debet itaque quilibet explorare causam, eamque è medio tollere, quia valde repugnat humilitati, totius spiritualis ædificii fundamento & basi: deinde quia apud sapientes habetur ludibrio, & vulgari prouerbio dicitur *Laus propria sordet.* Quanquam fieri potest, vt necessitas nonnunquam cogat aliquem ob finem bonum, suas prædicare laudes, sicut fecit in epistola ante citata Apostolus. *Si gloriari, inquit, oportet, &c. Scio hominem raptum vsq; ad tertium cœlum, & quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, &c.* Vbi tria sunt notanda. Primum, quod coacte ita gloriatus sit. Si gloriari, inquit, OPORTET. Secundo, quod verè, vnde addit. *Veritatem enim dicam.* tertio, quod summa moderatione vtatur, loquendo de se in tertia persona. *Scio hominem.*

Iob. 4.

2. Cor. 12.

VLTIMA est verecundia. Loquor hic de vitio-

vitiosa & culpabili, quæ est immoderata tristitia de malo commisso, propter reprehensiones, contemptum & infamiam inde secuturam: itaq; facile vides, eam oriri ex superbia. Quemadmodum enim hæc lætatur & exultat honoribus, & euectione ad majora: sic illa cruciatur humiliatione, cõtemptu, & dedecore. Quare etiam cuique speciei superbiæ, sua propria respondet Verecundia.

Ac prima quidem est, quando quis suopte motu considerans, vilitatem suam, & defectus pudore suffunditur. Consideratio autẽ illa primo potest esse de defectib. corporalibus, vt de vitiato membro, vel à primo ortu, vel fortuito casu: tum de spiritualibus, vt tarditate ingenii, memoria labili, & similibus. Tertio, de inopia bonorum fortunæ, vt quod sit natus pauperibus parentibus, humili loco, vt in villa vel pago vili. Nam etsi dedecus & vilitas propriè nõ sequatur nisi mala culpæ, & contra honor sequatur tantum virtutem, tamen ordinariè ad omnia defectuum genera se porrigit, vt paupertatem, seruitutẽ, & id genus alia; sicut honor extendit se ad quamuis excellentiam & dignitatem, vt nobilitatem, opes magnas, eruditionem raram.

ALTERA oppoſita eſt Præſumptioni circa adminiſtrationes, & actiones dum homo pudore afficitur, quod in opera ſua præſtanda longè fuerit inferior ſociis. Secundo, quod operam non locarit in iis rebus quæ maximè eius ſtatui conueniebant, & maximè ſi vel ab æqualibus, vel etiam ab inferioribus ſit ſuperatus. Tertio, ſi viliora, abiectioraq; ipſi officia commiſſa ſint, quã æqualibus. ſiue ſpectetur miniſteriorum qualitas in iis, ſiue ordo & diſpoſitio. Quarto & vltimo, ſi miniſterium, qualecumque illud fuerit, infeliciter perfecerit, vt ſi concionantem memoria fefellerit, ſi errorem in colloquendo, cantando, &c. non vulgarem commiſerit.

TERTIA oppoſita eſt Ambitioni, vt ſi quis pudore ſuffundatur, quod non euectus ſit ad dignitatem, quam arbitrabatur ſibi deberi, & ſi ea æqualibus ſuis delata ſit. Secundo, quod obtinuerit quidem dignitatem, quæ aliorum etiam iudicio illi deberi viſa ſit, ſed poſtea totius populi arbitrio ab iiſdem importunè illi adempta ſit.

QVARTA & poſtrema opponitur vanę gloriæ. vt ſi quis erubeſcat, quod non laudetur, vel non tantus honor illi publicè deferatur, quantus meritò deberet. Secundo,

quod

quod in præsentia multorum contemnatur, & exsibiletur.

INDICIA manifesta vitiosæ verecundiæ sunt, primo, quando quis post malum aliquod commissum, cauendi dedecoris causa, non reformidat præuaricari legem diuinam, vt confingere mendacium, quod solet contingere imperfectis, aut ætate, vt pueris: aut virtute, vt sunt tyrones, & tepidi. Secundo, quando quis opus aliquod virtutis, vt auditionem Missæ in festis prætermitteret, ne notetur esse malè vestitus, aut exercitium deuotionis consuetum desereret, ne irrideatur, vel pro adulatore habeatur.

RESTAT nunc, vt exponam verecundiam, quæ timetur in actionibus obligatoriis, quæ proprio & speciali nomine dicitur *Erubescentia*, quod originem suam habet à rubore, qui in vultu verecundantis ob concursum sanguinis apparet, conatur enim natura illo quasi velo dolorem obtegere. Quisquis igitur opus virtutis lege præceptum omittit, reformidans, vel quod non recte præstabit, vel cum summo suo pudore, peccat in erubescentia. Vbi aduertendum quoq; est, quam magna tunc temporis sit verecundia vel erubescentia; nonnun-

quam

quam enim tanta est, vt hominem reddat attonitum, similemq; iis qui de potestate mentis exierunt. Quanquam multos natura ad id impellit, vt timidos, & melancholicos.

Ex altera parte obseruare potes (quamuis id vsuuenire non solet in spiritualis vitæ cultoribus, sed potius in peccatoribus) an aliquãdo huiusmodi tuo statu indignos actus exercueris, & opera aliqua virtutis, quæ facere tenebaris, nullo inde oborto rubore, neglexeris. Quod in rebus leuibus etiam potest contingere tyronibus ad sanctiorem vitam recens conuersis. antiquis quoq; nonnullis qui incuria sua in seruitio diuino oblanguerunt.

De Otiositate.

CAP. IX.

QVONIAM bonum quod homo facit nõ bene, habetur pro infecto, & otiosus is dicitur, qui nihil facit, nomine otiositatis comprehẽdam tam eos qui nihil boni operantur, quã qui bonum quod agũt, operantur imperfectè Ad primum membrum pertinet imprimis *Imprudentia*, quæ sicut prudentia per omnes virtutes, ita per omnia

omnia vitia vagatur. & ſicut illa conflatur ex multis particularibus virtutibus. ita hæc ex particularib. vitiis. Inter quæ vitia principem locum tenet *Præcipitatio*, qua homo opus aliq; ſubito aggreditur, nulla antegreſſa præmeditatione, qua ratione & via, quibuſq; mediis id rectè perfici queat, & idcirco perperā fit. Huius proximum eſt *Temeritas*, qua etiam cōtemnit præmeditari, & conſilia omnia reſpuit. Secundum eſt, *Inconſideratio*, qua homo negligenter attendit ad media idonea, quæ conſilio rationis ſuggeruntnr, ad rem perficiendā. Tertium eſt *Inconſtantia*, qua homo anceps hæret, & licet media idonea inuenerit, tamen non imperat voluntati vt opus bonum exequatur. Voluntas etiam velut eneruis à perturbatione victa in diuerſum inclinat. Quod autem quieſcat & quaſi obdormiat interius, oritur à *Negligentia*, exterius verò non exequatur, naſcitur à *Pigritia*, vel ſi exequi conetur, ſed cunctabundè, à *Torpore*.

POST imprudentiam ſequitur INOBEDIENTIA, quæ etſi videatur religioſorum propria, eſt tamen communis omnibus Chriſtianis, non ſolum erga Deum, & Papam eius in terra Vicarium, ſed etiam erga Principes ſeculares, & multo magis erga Epiſco-

Episcopos Deinde est filiorum erga parentes, vxorum erga maritos, seruorum in Dominos, militum erga Capitaneos, discipulorum erga magistros, & cuiuslibet erga suum superiorem, cui aliquo modo est subiectus. Debet ergo subditus primo expendere, si imperata fecerit, si regulam suam seruarit in ordine, vel statu proprio prescriptam; vel si seruarit quidem, sed cum multa imperfectione, vt si mēte improbarit mandatum superioris, si eum de nimia seueritate, indiscretione, exigua caritate accusarit, si questus sit sibi potius quam aliis imperatum hoc vel illud. Deinde si voluntate restiterit, vel ægrè mandata præstiterit, si verbis se purgarit, murmurarit, obstrepuerit. Si deniq; tardè exequi cœperit, tardius prosecutus fuerit & imperfecte absoluerit.

TERTIA est *Iniustitia negatiua*, qua homo negligit dare cuiq;, quod iure debetur. Vt si curam aliorum gerat aliquo modorum iam dictorum, examinet num omnes satis instrui curauerit de iis quæ pertinent ad salutem, & multo magis, quæ ad proprium officium, & exercitium. Secundo, num subditos correxerit, & quidē conuenienter ad eorum emendationem. Tertio, an debitas pœnas, & quidem pro noxæ

grauitate ab eis exerit. Ex alia parte si ipse sit subditus, examinet, an instructionē suo muneri necessariam acceptarit? an æqui boniq; consuluerit admonitiones? an pœnam iniunctam repudiarit, & si non, an libenti animo, vel totā, vel partē complerit?

QVARTA sit *Ingratitudo*, quæ primò in eo consistit, quod beneficium acceptum non agnoscatur pro beneficio, sed pro debito. Secundo, quod silentio supprimatur, tertio, quod nullo studio vel cura recolatur. quarto, q̄ extenuetur, vel quoad quantitatem, vel qualitatem, vel modum, vel etiam intentionem conferentis. quinto, q̄ quis male loquatur de illo, vel eius auctore. Sexto, quod omnium deterrimum est, si damno donator afficiatur, vel in persona, vel existimatione, vel facultatibus.

Amplius, potest expendere tentationes, an illis restiterit, vel nihil, vel parum, vel languidè; & si grauis fuit, an auxilium diurnum in oratione implorarit? an ieiuniis, ciliciis, disciplinis corpus suum exemplo D. Pauli castigarit? An demiq; remediis his vsurpatis mox, cessante tentatione, ea deseruerit? 2. Cor. 9.

De aliis deuotionis actionibus, inquiri potest, an aliquando sint intermissę, an suis

tem-

temporibus repetitæ, idq; debita industria & solicitudine, an eas ad fines à superiorib. & regula destinatos applicarit?

ATQVE vt finem tandem faciamus in hac instructione pro Examine, moneo, si quis in conscientia sua, alia defectuum genera hic non annotata, deprehenderit, agat Deo gratias pro lumine sibi concesso, & indies maiores faciat progressus, vt fecit S. Augustinus in libris Confessionum, dicēs. *Quid cum me domi sedentem stellio muscas captans, vel aranea retibus suis irruentes implicans, sæpe intentum facit.* Verum, quia data opera nolui plura hic adiūgere, ne æquo longius excurrat Tractatus, tantum monitos cupio tyrones, ne existiment horum omnium defectuum examen ad se pertinere, sed eorum tantum, qui sunt sui status proprii. Nec debent angi consuetis scrupulis, an consensum in hunc vel illum defectum præstiterint, sed omnia patefacient Confessario, illiusq; definitioni parebunt, sicut & initio dixi. De reliquis duobus punctis (vt de quarto, in quo poscenda est venia pro lapsibus deprehensis, & de quinto, in quo proponenda est emendatio,) nihil dicendum occurrit, quia clara sunt, & intellectu facilia.

Lib. 10. c. 35.

De aliis duobus Examinum generibus.

CAP. X.

VNVM Examen est, quod consulitur tyronibus in Meditandi exercitatione, nempe vt in fine cuiusque meditationis illud instituant breuiter, eo modo quo iam dicam. Nam ex reflexione in seipsum, quisque aduertere potest, bene ne an malè meditatio processerit: si enim malè aliquot diebus succedat, cogitat de apponendo antidoto. Vt ergo recte eam instituat, obseruare debet, à qua radice pullulent distractiones supra descriptæ, quas patitur, vt eas possit exstirpare. Quod facile efficiet beneficio examinis sequentis. Exemplum damus huiusmodi. Inter meditandum veniat alicui in mentem, quam præclaro præmio sit pro suis laboribus ornatus, tum quanto omnium applausu sit exceptus, deinde in animo exultet, ob victoriam ex hoste relatam, mox optet illud vbiq; diuulgari, aut alias similes agitet cogitationes: is inquam, persuadere sibi debet, hæc omnia nata esse ex superbia, & vana gloria. Deinde ex eadem natum etiam eius cõtrarium; vt si timeret se non obtenturum tale præmium; vel tristaretur se non obtinuisse, aut dole-

doleret competitori obtigisse, aliasue similes cogitationes versaret. Idem faciendum circa ariditatem, desolationesq;, quæ similia sunt impedimenta.

Expendendum quoque est, dum oratio non processit ex voto, an seruatæ sint Præparationes vicinæ & immediatæ. Si non sint, existimet hāc esse causam infelicis exitus, & ideo in posterum prouideat Quod si ex voto processit, videat, quomodo se gesserit, & eundem deinceps modum retineat.

QVOD ad vsum alterius Examinis attinet. Dico primo, hominem ardētem suæq; perfectionis cupidum, non esse contentum sola agnitione suorum defectuum, nisi porrò progrediatur ad eorundem extirpationem, & magno erectoq; animo quasi indicto bello dicat cum Dauide *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos: & comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos* Secundo dico, quod ponere debeas ob oculos defectum quemcunque volueris, & primo diluculo parare te ad pugnam ineūdam cum illo, implorato diuino auxilio his verbis. Psal. 17.

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Adiutus enim ab illo, securè quoq, dicere poteris. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me pralium, in hoc ego sperabo.*

Quod verò ad examen particulare attinet (quod omnino deberet esse distinctum à communi. (Dicitur autem particulare, quia in eo vnum tantum peculiare vitium expenditur) instituendum videtur vel aliquantulum à prandio, vel ante cœnam, in eoque excuties, quoties in illud particulare vitium fis relapsus. Numerum autē lapsuum in charta, quæ notatos habeat totius hebdomadæ dies annotabis, vel cyphra, vel lineola, vel globulis Rosarii adnumerabis. Hebdomade finita longiorem lineam duces, & proxime adiunges lineolas lapsuum insequentis hebdomadæ, atque ita deinceps perges, conferendo diem præsentem cum præterito, & hebdomadem cum hebdomade, sicut liquet ex subiecto typo.

Hoc

III	IIIII	—Dom. 9.	8
IIII	II	—Lun. 7.	8.
III	IIII	—Mar. 8	6
I	III	—Merc. 5.	7.
III	IIII	—Iouis. 6	6
II	II	—Ven. 7	5
I		—Sabb. 7.	4

Hoc autem fit ad cognoscendam promptius emendationem. Quæ si facta sit, gratias ages Deo: si secus, operam dabis vt sis diligentior Ad vberiorem autem huius rei fructum, facilioremq; vsum notanda sunt sequentia.

Primum est, vt quoties aduertis te in defectum relapsum, manum pectori admoueas, & de lapsu doleas; quod etiam fieri potest, advertente nemine Idque seruiet ad retinendum numerum pro tempore examinis, & ad excitandum in animo dolorem, voluntatemq; abstinendi de cætero.

ALTERVM est, quod vnum tantum vitium ob oculos ponendum sit: experientia enim docet, verum esse versiculum,

Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Et nosti quendam integrum fasciculũ virgarum simul colligatarum nõ potuisse disfringere, diffregisse tamen singulas, vbi solutæ fuissent. Et mihi semper visa est illusio diabolica in plures defectus oculos mentis intendere, quia virtus eius, simulatq; distrahitur, languescit, & victoria amittitur Imò iudico, si vitium aliquod multos habeat ramos, singulos separatim esse excutiendos.

TERTIVM est, cum omnium vitiorum, sicut & virtutum, actus alii sint interni in animo, alii externi in corpore, sequendo ductum humanæ nostræ naturæ ordinarium, te debere inchoare examen ab externis, vtpote nobis magis notis. Vnde & omnis cognitio nostra ortum habet à sensu. Hunc
22. q. procedendi modum traditS Thomas dum
161. a. 6. disputat de modo acquirẽdi humilitatem. *Homo*, inquiens, *ad humilitatem peruenit per duo. Primò quidem, & principaliter per gratia donum, & quantum ad hoc, interiora præcedunt exteriora. Aliud autem est humanum studium, per quod homo prius exteriora cohibet, postmodum pertingit ad extirpandum interiorem radicem.* Accipe huius rei exemplum Qui cholericus est, & natura iracundus secundum hoc examen primo deberet cohi-

cohibere impetum iniiciendi manus in eum a quo iniuria afficitur, si id facere consueuit, deinde abstinere etiam à verbis contumeliosis tertio & à nutibus atq; signis, denique; supra hęc, etiam motus animi internos comprimere. Si quæras, quid agendum sit de aliis ramis, dum hæret in vno, nempe in primo Respondeo, non debere esse prę-cipitē, sed si aduertat, satis fore si abstineat.

QVARTVM sit, rationem optimam cognoscendi suum profectum, esse, obseruare seipsum. Si enim deprehenderit cholericus in simili casu se non esse amplius grauiter commotum, aut cito commotionem euanuisse, certo credere potest se multum in mansuetudine profeciisse, eoq; plus, quo occasiones succensendi extiterint maiores & crebriores. Quare & progredi poterit ad alia vitia.

QVINTVM est, vt initium fiat à vitiis quibus sæpius impugnamur, vel maiore damno afficimur in vita spiritali. Vbi enim ab eorum infestatione liberati fuerimus, alacriores, fortioresq; ad cætera expugnanda erimus, plusque ex adeptis victoriis animati & incensi.

SEXTVM sit, hoc Examen quoq; posse institui ad cōparandas virtutes, hoc modo.

Ponat homo ob oculos virtutem, quam voluerit, & arbitratur salubriorem, tum statuat, quot illius actus quotidie velit exercere, quaq; hora vel tempore exigere à se velit rationem Si proposito fecerit satis, gaudeat & Deo gratias agat: si non fecerit, doleat, & numerum lapsuum annotet modo superius dicto, & ita progrediatur.

SEPTIMVM est, omni industria laborandum esse, vt hoc exercitium cum omni alacritate fiat, occasionesq; omnes defugiendas, quę tædium afferant. Dici enim non potest, quanto conatu dæmon illud impedire studeat Primo curando, vt memoria excidat: vel occupatione aliqua interueniente impediatur, tum persuadendo, quam exiguum ex eo collegerit fructum Totum autem hoc facit malignus ille quia nouit, quam facilè hac via homo ab eius tyrannide liberetur & ad perfectionem perueniat. Conueniens ergo erit definire horam certiorem, & commodiorem, & speciatim à Domino etiam atq; etiã postulare donum perseuerantiæ, dicendo cum Dauide. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in me.* Psal. 38.

TOTVM hoc caput, librumq; concludam, si vnum hoc te monuero, cum hęc animæ nostræ terra, post maledictionem ab Ada-

Adamo acceptam, non aliud producat ex se, quam spinas & tribulos, operam des, vt quamprimum diuinæ gratiæ, huiusq; examinis beneficio virtutes aliquas in ea plantaueris, non statim curam omnem abiicias; tum quia facile à dictis vitiorum spinis possunt suffocari, tum quia, si cultus diligens absit, procliue est, vt paulatim exarescant, & pereant. Volo dicere, opus esse, vt ab actionibus vitiosis abstineatur, & sedulo crebroq; virtutes exerceantur, donec semel confecto huius vitæ curriculo, ad regnum cœlorum, vbi terra est harum plantarum propria, conscendamus. Id quod nobis diuina Maiestas per suam immensam misericordiam largiatur.

AMEN.

FINIS.

Laus Deo Deiparæq.

EXERCITIVM DIVINVM DE PRÆSENTIA DEI.

AVCTORE.

R. P. FRANSCISCO ARIAS SOCIETATIS Iesu Theologo.


EX IDIOMATE ITALICO IN Latinum traductum.



PSAL. XV.

Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: à dextris est mihi, ne commouear.

MOGVNTIÆ.



AVCTORIS IN EXERCITIVM DE PRÆSENTIA Dei.

QVEMADMODVM *Dominus aliquis accuratam omnium facultatũ ſuarum rationem ſubducturus, primum eas in varias partes, æſtimato, conſcriptoq; ſingularum pretio, diuidit, deinde verò omnes ſimul collectas ad vnam ſummam reuocat: Sic nos, cum hactenus aliquot diſtinctis tractatibus, multa variaq; ad progreſſum in vita ſpirituali faciendum media atq; exercitia copiosè præſcripſerimus, cogitamus ea omnia hoc libello, ad vnum aliquod exercitium velut omniũ caput, ſummam & compendium contrahere. Hoc autem exercitium in eo vno vertitur, vt in omnibus ſtudiis, actio-*

actionibus & negotiis nostris Deum O.M. quasi oculis mentis præsentem, nostraq; omnia etiam cogitata intuentem & spectantem cernamus, ac toto cordis affectu in eundem feramur. Nam cum in hac vita mortali nobis copia non sit, & potestas clarè, atq; à facie ad faciem videndi Deum, quod proprium est beatorum cum Christo regnantium, id saltē conniti debemus, vt oculis diuinæ fidei, sanctæq; cōtemplationis eum quasi præsentem, cum reuera, licet inuisibiliter, præsens sit, aspiciamus, ac quoties licet, syncero eum amore complectamur. Egimus quidē de hoc sancto Exercitio in Tractatu de oratione, cum exponeremus, quid sit præsentem sibi sistere Deum, quamq; præstans & efficax hoc sit medium ad colligendum animum, diuinarumq;

Tract. 5. p. 1. c. 3.

narumque rerum Meditationem cum fructu instituendum: verum in hoc opusculo paulo accuratius fusiusq; de eodem argumento agemus, quatenus valet ad eximiũ profectum in omni virtutum genere faciendum, donec ad earum fastigium, hoc est, perfectam & omnibus numeris absolutam cum Deo vnionem perueniatur.

Quam nobile & salutare exercitium sit, Deum in actionibus suis præsentem sistere.

CAP. I.

PERMVLTA quidem prętantissima, iuxta ac vtilissima suppetunt media & exercitia ad perfectas virtutes consequendas, nullum tamen meo iudicio præstantius vtiliusue est hoc ipso de quo agimus, si quẽadmodum conuenit instituatur Quicquid enim boni aliis inest, in hoc vno quadantenus continetur: quicquid cæterorum be-

neficia in vita spiritali efficitur, huius quoque opera obtineri potest. Hoc vnum seruum Dei & incitat, & excitat, & inflammat, vt reliqua omnia media reipsa exerceat, vt subsidia ad veras solidasque virtutes comparandas necessaria vel salutaria præsto sint, vt lumen diuinum, ad illustrandam mentem, & robur ad impellendam voluntatem à præsente diuina maiestate assiduè impetretur. Atque hac ratione fit, quod diximus, vt hoc exercitium sit cæterorum omnium quasi summa & anacephalæosis. Si ergo seruus Dei, sui profectus spiritualis cupidus reformidet, ne forte obliuiscatur tot salutarium mediorum, quæ ad parandam vitę spiritualis perfectionem necessaria esse, vel à viris piis audiuit, vel in libellis siue meis, siue aliorum lectitauit, meminerit saltem huius, & reipsa exerceat; hoc enim studio efficiet, vt reliqua omnia, quæ obliuione sepulta videbantur, in mentem recurrant, cum opus fuerit. Rursum, si quis desiderio ardens placendi Deo, eiusque diuinæ voluntati in omnibus obsequendi, post perlecta in spiritualibus libris, tot documenta, monita, & media ad vitam sanctam religiosamque ducendam congruentia, animo

deiiciatur, quasi impossibile sit tam multas, tamque varias exercitationes vsurpare, is animo sit forti & erecto. ecce vno antidoto omnem difficultatem absterſam. Vni huic exercitationi, qua de loquimur, opitulante diuina gratia se serio dedat, ac deprehendet sic cor suum amore cœlesti accendi, & cum diuina voluntate conformari, vt omnia illico media & remedia, tum ad quasuis virtutes exercendas, tum ad vitia, tentationesq;, licet graues, expugnandas, prout occasio eas obtulerit, vltro diuinitus sint occursura. Deus si quidem quem præsentem contuetur, & in quem omnem cordis sui fiduciam coniicit, auxiliumque implorat, opportune suo tempore & loco, quid facto opus sit suggerit, lumenque & efficacitatem ad exercenda necessaria media subministrat nunquam enim Deus cœlestis suæ gratiæ opportuno præsidio eos destituit, qui in suæ diuinæ maiestatis conspectu & præsentia, quemadmodum conuenit, vitam traducunt.

Quantopere in diuinis litteris, Patrumq; sanctorum scriptis commendatum sit hoc exercitium, quamq; singulare studium in eo ponere debeat Dei seruus sui progressus cupidus.

CAP. II.

EX dictis facile colligere potest Dei seruus, sicut cura, studioque opus est in omnibus exercitiis, mediisq; sanctis ad comparandas virtutes idoneis, ita longe maiore, ardentioreq; opus esse in hoc medio de præsentia Dei ante oculos mentis ponenda, exercitando, eo quod inter cætera obtineat principatum, vt sapienter alicubi annotauit B. Dionysius Rickeli[a], Inter omnia, inquit, exercitia sancta, hæc præcipua tua cura sit, in eo omnes animi vires extende, vt continenter, id est, sæpe cor tuum ad Deum, rerumq; diuinarum contemplationem & amorem subleues. Vis assequi animæ tuæ puritatem? semper habe exaltatum cor tuum ad Deum Hęc vna causa est, tam paucos peruenire ad perfectionem, quod consumendo tempus in aliis exercitiis mediisque minus vtilibus obliuiscuntur principalium.

Cõtra in ord. cordis. art. 29 & 30.

lium. Et addit. Stude animam tuam coniungere cum Deo, eumq; semper habe fixum in memoria, ad illum tua desideria, totumq; affectum cordis attolle, & quamuis centies vna hora mente distraharis, non ideo deiiciaris animo, sed semper ad institutum redi. Moueant te ad frequentādum hoc exercitium dicta sanctorum & Venerabilium Patrum, qui omnes cōmuni consensu, quasi ab vno edocti Magistro, videlicet Spiritu sancto nos ad hoc studium exhortantur. Hucusq; Dionysius Hanc autem doctrinam sancti Patres ex diuinę scripturæ fontibus hauserūt, in quibus crebro, magnaq; verborum maiestate hoc exercitium commendatur. Atq; vt rectius intelligeremus eius necessitatē, nobilitatemq;, altiusq; nostris infigeretur pectoribus, variis formis modisq; loquēdi, quibus tamen vna eademq; subiecta sit sententia, ad illud nos S. scripturæ incitat & inflāmat. vt cum Dauid ita loquitur. *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.* Facies, inquit ibi Augustinus est eius præsentia. Itaque semper quærere faciem Domini, est versari in eius præsentia, cordisq; amorem & desideria ad eum conuertere. Et alibi idem. *Oculi mei semper ad Dominum.* Oculi

Psal. 104. Augustin. ibid.

Psal. 24.

animæ sunt, intellectus & memoria, qui cogitantes assiduè, & recolentes Deum, affectum cordis secum pertrahunt. Et hinc colligit, Deum talem quoq; expedire à dęmonis laqueis, hoc est, vires subministrare quo minus tentationibus succumbat nam mox addit. *Et ipse euellet de laqueo pedes meos* Atq; hoc est quod per sapientem ab omnibus postulat Spiritus sanctus *In omnibus viis tuis*, inquiens, *cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos* In *viis*, id est, omnibus actionibus internis, æquè ac externis. *Gressus tuos*, hoc est omnes affectiones & desideria animi, omniaq; exercitia corporis dirigit in beatum suæ gloriæ finem, illustrando te & mouēdo, vt in omnibus voluntatem tuam coformes diuinæ. Nam vt illa verba exponit Dionysius supra citatus, hanc tam mirabilem Dei directionem promeretur is, qui in omnibus operibus suis præsentem Deum contemplatur.

Hoc item nobilissimum exercitium, teste S Bernardo, B. Paulus commēdauit suo discipulo Timotheo dicens *Exerce teipsum ad pietatem Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est* Hanc enim pietatem vult esse continuam Dei memoriam, & assiduam animæ dire-

Bern. ad frat. de vitę Dei.

directionem ad intelligendam illius voluntatem, eundemque amandum & diligendum. Exercitationem corporalem, vt multi sancti affirmant, Apostolus hic vocat mortificationes & pœnitentias externas, quibus corpus ad conciliandū vel promerendum Deum affligitur. Quāuis enim hæ quoq; actiones sint præstantes & salutares, tamen si conferantur cum exercitio diuinæ præsentiæ ante oculos sistendæ, dici potest fructū earum esse perexiguum. ac vt certis quibusdam hominibus sint vtiles, tamen non omnib. sunt, ac nonnullis etiā aliquando noxiæ. Possunt esse vtiles, si ad finē salutarem colliment, at si secus fiat, potius impediunt: ac ideò sæpe consultū eas nunc moderari, nunc omnino non vsurpare, vti fusè declarauim⁹ in tractatu sexto de mortificatione. At hoc diuinum exercitium, cuiuis hominum generi est vtilissimum, tum quia spirituale est & animæ inhærens, tum quia in eo vera pietas, h. e Dei cultus exercetur, qui præcipue consistit in actib. internis fidei, spei, & caritatis. Nam quid aliud est, Deum præsentem contemplari, quam cor nostrum ad illum eleuare, credere in ipsum, sperare, eum concupiscere, amare, ac cum gemitu ad eum suspirare?

Bern. in apol. ad Vilhel. Ansel. in commen.

Hoc, inquam, Exercitium sanctum vbique sacræ litterę inculcant iis locis, quibus commendant, vt oremus semper, & sine intermissione, vtq; vigilemus in orationibus. Cogitationes siquidem & desideria, sunt voces & verba quibus anima loquitur, & idcirco, quoties præsentem Deum contemplantes, cogitationes nostras & vota attollimus ad Deum, vere dici potest nos orare, & si persæpe id faciamus, vel sępissime, rectissimè dicitur, nos orare semper, & sine intermissione. Quāuis enim in diuina scriptura nobis quoq; commendata sit oratio vocalis, ac Ecclesiæ quidē ministris insuper mandata & præcepta; tamen in locis citatis præcipuè nobis commēdatur oratio mentalis, quæ tantum fit corde Oratio vocalis habet tempora, horasq; certas ab Ecclesia definitas, quibus habeatur. Mentalis non item, sed omne tempus, & locum complectitur, semper enim & vbiq; præsentem possumus habere Deum, nostraq; desideria & vota in eum referre Quod enim homo creberrime, & quasi ordinariè facit, communi loquendi consuetudine dicitur semper facere Et hoc sensu sancti, hominesq; perfecti illi consilio vel præcepto de orando sine intermissione satisfecerunt.

Eccle. 18. Luc. 21. 1. ad Thes. 5.

NEQ.

NEQVE hæc attentio ad Deum impedit in seruis Dei externorum operum functiones, immo magnopere promouet, vt diligenter & perfecte fiant, propter ardorem & zelum quem Deus huiusmodi hominibus in conspectu suo versantibus communicat: immò pro immensa sua misericordia nonnullis tam admiranda & eximia suæ gratiæ dona impertit, vt non modo sine labore & difficultate, verũ etiam ingenti suauitate & facilitate cor suum habeant cum Deo intimè coniunctum & vnitum.

SVRIVS describens vitam cuiusdam religiosissimi viri Rusbruchii, commemorat, eum in omnibus actionibus, exercitiisque semper mentem in Deum sublatam habuisse: & verò peculiarem hanc à Deo obtinuisse gratiam, vt quoties vellet, nulla difficultate possit mentem immergere in suauissimam diuinitatis contemplationem, Deoque se arctissimè coniungere, siue solus foret, cubiculo inclusus, siue in media sociorum turba, quibus cum cõuersabatur & loquebatur. Beatus quoque Rutgerus exordine D. Francisci vt est in eorum Chronicis idem beneficium diuinitus erat consecutus, vt nempe præsentem sibi fingeret diuinam maiestatẽ, & cum eadem in cordis

præfixæ est Rusbr. operibus.

p. 2. l. 4. c. 52.

penetralibus familiariter tractaret, siue in choro cantaret, siue in triclinio cibum sumeret, siue cum aliis colloqueretur. Vnde & obseruabatur ab aliis, nunc oculos piè coniicere in cœlum, nunc suspiria amoris plena ad Deum emittere.

Magno animo & alacri quisque debet se huic sancto exercitio dedere, ac deprehendet facilè, quam Deus promptus sit ad sistendum se nobis præsentem, quoties collibuerit vt eum spectemus, alloquamur, & familiariter cum eo tractemus. Vnde & tanta offert præsidia, auxiliaque, vt quod naturæ viribus videtur arduum, imò impossibile reddatur cuique facillimum & suauissimum. Vt aliquis aditum habeat ad Regem terrenum, cumque eo colloquatur & tractet, admodum difficile est, nec potest obtineri nisi fauore & gratia multorum, immò multis opus est multorum annorum labore & seruitute, antequam ad familiarem cum rege consuetudinem perueniant: at Deus infinita licet præditus maiestate & gloria semper paratus est quacunque hora & momento nos in conspectum suum admittere, vt oculos mentis in ipsum coniicere possimus, contemplari pulchritudinem & magnitudinem, desidera-

rare gloriam, amare bonitatem, deguſtare ſuauitatem familiariter cum eodem conuerſando, & gratiam aliquam poſtulando. Neque ſolum paratus eſt Deus ad hoc, verum etiam optat, & inuitat maximis gratiæ gloriæque præmiis propoſitis, vt ita faciamus: nec ſolum inuitat paucos, eosq; ſanctitate præſtantes, vt fuerunt multi veteres ſancti, qui totos ſe noctu diuque diuino cultui dediderunt, ſed omnes fideles quotquot ſyncero corde Dei honorem, ſuamque ſalutem quærunt. O quàm piè & ſancte ſuo officio funguntur, qui tantum bonum expetunt, & ſtudiosè quærunt, qui tam honorificum exercitium non negligunt, vt Deum ſemper præſentem quaſi gerant, & eius conſuetudine iugiter fruantur. Verendum certè eſt eis, qui hoc tam diuino beneficio in hac vita vti detrectant, in hora mortis occluſum iri portam velut ingratis, & negligentibus, ad claram præſentis Dei viſionem & contemplationem, quæ ſolis tunc patebit iuſtis & beatis.

De

De eximiis fructibus huius diuini exercitij, atq; imprimis de fructu puritatis mentis.

CAP. III.

QVo vehementius accendamur ad frequẽtandum hoc sanctum exercitium, patefaciemus deinceps aliquos effectus, quos in anima efficit, ac vt menti firmius inhæreant, exempla quædam adiungemus. Inter omnes autem virtutes, Deique dona, quæ à veris Dei seruis in maximo pretio habentur, iure Principem locum vendicat, puritas cordis, vt quæ pulcherrimam, iucundissimamque diuinæ maiestati præbeat habitationem. Vnde vulgo dicitur. Qui amat puritatem cordis, habebit amicum Regem, nempe Deum regem æternum cœli & terræ. Hanc puritatem & consequi, & conseruare possumus, si oculis mentis Deũ præsentem contemplemur. Si enim secus fiat, & homo Dei obliuiscatur, nec cõsideret se ab eo videri, illum corã se esse, viuere & operari, proximum est, vt quasi freno solutus labatur in peccatum, & in eo perseueret, secundum illud psalmistæ. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt vie illius in omni*

Psal. 9.

omni tempore. Nam vt cogitatio, ita cupiditas inordinata rerum terrenarum est, quę animam per peccata contaminat, Deumq; ex ea expellit In hoc autem exercitio, quia homo omnes suas cogitationes coniicit in Deum, cogitationibusque proximè succedunt affectiones piæ in eundem, fit vt anima paulatim ab amore rerum terrenarum diuellatur, totaque expurgetur & renouetur. Id B. Bernardus in seipso expertus est, quemadmodum humiliter ad ædificationem aliorum ex inspiratione diuina quodam in loco confitetur; dicens *Quaris, cum ita sint omnino inuestigabiles viæ Dei, vnde adesse norim? Vivum & efficax est, moxq; vt intus venit, expergefecit dormitantem animam meam, mouit & molliuit, & vulnerauit cor meum, quoniam durum, lapideumq; erat, & male sanum. Cœpit quoq; euellere, & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non & mittere praua in directa, & aspera in vias planas, ita vt benedicet anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Hæc omnia Bernardus, quibus testatur quæ mirabilia Deus in anima sua operatus sit, quando oculis mentis præsentem eum cernebat. Ser. 74. in Cant.

NEQ.

NEQVE solum in seruis Dei id efficit diuina præsentia, sed etiam in magnis peccatoribus, vt eorum corda expurgẽtur à peccatorum noxis: quia dum admoniti nonnihil attollunt caput è lecto peccati, & cœlesti lumine porro adiuti considerant se in conspectu Dei sui, iudicis viuorum & mortuorum versari, qui præsens aspiciat, quoties delinquant, ingenti pudore & horrore peccati consternati non audent amplius illud committere, miranturq; suæ superioris vitæ cæcitatem, quod tam temerè & impudenter, haud secus ac si nullus Deus vel iudex esset, in omnia scelera sint prolapsi.

In Vitis patr. Anton. p. 2. hist. t. 15. c. 10. §. 3.

PRORSVS id euenit famosæ meretrici Thaidi, quæ cum S. Paphnutio Abbati ad eam in locum secretum & abditum ingresso dixisset, non posse se videri nisi a solo Deo, vel dæmone, Abbas verò respondisset. Age si Deus te videt, qua fronte tu in conspectu eius te purissimis oculis intuentis audebis peccare? illico cœlestis luminis radius mentem eius collustrauit, tantoque pudore suffusa est, ac tam capitali odio superioris vitæ scelera prosecuta est, vt in media vrbe Alexandrina flammis absumpserit, quicquid corporis sui prostitutione lucrata erat, & se angustissimæ cellæ, asperrima

acta

acta pœnitentia triennio donec spiritum Deo redderet, se incluserit.

IDEM accidit S Ephræm cum alia fœmina peccatrice, quam cum adiisset, rogasset q; , an auderet consueta sua peccata in medio vrbis Edessenæ committere; ipsa autem respondisset , non audere , quia pudor nimius prohiberet in conspectu hominum talia patrare scelera, subiecit B Ephræm. Tu scias etiamsi in loco occultissimo, & ab hominibus remotissimo pecces, te conspici a Deo vbique præsente. Si itaque te à peccando deterret pudor vel metus hominum, multo æquius deterrere te debet metus Dei, qui eiusmodi scelera æternis multat suppliciis inferni. Quæ admonitio sic perterruit fœminam, vt dolore peccatorum summo tacta in corde intrinsecus in monasterium pœnitentiæ agendæ causa se abdiderit.

Metaph. in eius vita. Surius in Febru.

HI sunt eximii præsentiæ diuinæ effectus, quando homo serio eam ob oculos defigit. Qua enim fronte audeat homo rem tam peruersam & sordidam, qualis est peccatum lethale coram Deo, committere, si seriò sibi persuadeat se in conspectu eius, qui infinita bonitate præditus est, & infinitè execratur peccatũ tale, consi-ste-

consistere? Qua ratione offensæ æternis dignæ cruciatibus obstringere, si consideret se astare ei, cuius iustitia est infinita? quem nouit nullum peccatum impunitum, siue in hac, siue in altera vita relinquere? quem scit esse iustissimum iudicem, & iustè, etiam eum, qui vnicum tantum temporis momentum in peccando consumpserit, sempiternis addicere flammis? Hæc considerans B. Augustinus *Domine*, inquit, *quando perpendo, quod gressus meos, semitasq; consideras, & die noctuq; super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligēter notans, speculator perpetuus, velut si totius creaturæ tuæ cœli & terræ oblitus tantum me solum considerares, & nihil sit tibi curæ de aliis, Deus meus terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas iustè rectèq; vivendi, qui cuncta faciamus ante oculos iudicis cuncta cernentis.* Hucusque Augustinus. Vnde intelligimus, quantam vim & efficaciam ad cauenda peccata posuerit in consideratione diuinæ præsentiæ,

Solil. c. 14.

Hac

Hac præsentiæ diuinæ cõtemplatione vinci tentationes, & virtutem perseuerantiæ obtineri.

CAP. IV.

CONTEMPLATIO diuinæ præsentiæ facit vt non solum à peccatis commissis resipiscamus, verum etiam vt in illa, antequam fiant, non labamur: dum enim Deum nobis quasi præsentem cõspicimus, & cor nostrum in eum attollimus, accènditur in animis nostris quædam cupiditas omnes spirituales hostes debellandi, nec deest diuinitus fauor & auxilium. Insultarant quondam impii Israelis senes innoxiæ Susannæ, comminantes lapidibus obruendam, nisi libidini suæ faciat satis. Videamus, qua via & ratione tantam tentationem expugnarit. Considerabat nimirum se stare in conspectu Dei, Deumque in se oculos defigere. vnde tanto terrore pudoreque peccati correpta est, tantaq; vi & robore aduersus peccandi tentationem erigere animum cœpit, vt nulla interposita mora decreuerit potius honoris & vitæ, cum totius familiæ suæ dedecore iacturã facere, quam consentire peccato. Sic enim respondit.

Dan. 13. *Angustia sunt mihi vndiq;: Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* O sententiam dignissimam, quæ in omni tentatione dæmonis, vel mundi vsurpetur. Potius vitæ discrimen adiero, quam vt in conspectu Dei delinquam.

MILES strenuus, quãdo in bellico conflictu animaduertit Imperatoris, vel Ducis belli oculos in se intentos, longe ardentius pugnat, quia scit in eius potestate esse, post partam victoriam spolia, vel officia militaria in bene meritos distribuere. quid ergo non faciat miles Christi, dum in quotidiana sua, cum dæmone, mundo, & carne dimicatione videt in se oculos diuinę maiestatis coniectos? dum æterna meminit sibi decreta præmia? dum scit in ipso ardore pugnæ sibi affuturas diuinarũ manuum suppetias? Veritatem huius rei quotidiana confirmat experientia. Si enim contingat seruum aliquem Dei, oblata succendẽdi vel indignandi, verbi causa, occasione, immemorem esse superni numinis, nec ordinariè cor suum in Deum eleuare, videmus eum facile prolabi in verba impatiẽtiæ, vel certe

in ani-

in animo peruersas agitare cogitationes: si autem cor habeat erectũ in Deum, omniaque sua pia desideria in eum referat, obrepentibus similibus tentationib. facile conquiescit, nec sinit animum suum perturbatione aliqua concitari vel succumbere

PALLADIVS in historia sua Lausiaca commemorat se, cum aliquando adiuncto comite monachum quendam religiosissimum, rerumque diuinarum peritissimum, nomine Dioclem, inuiseret, inter alia hoc documentum ab eo accepisse, hominem pium, quamprimum à contemplatione diuinæ præsentiæ cessarit, continuo fieri, vel dæmonẽ vel bestiam: bestiã quidem si succumbat tẽtationibus carnis, & illecebrarũ carnalium: dæmonem verò, si iracũdiæ, arrogantiæ & similium. Cumq; Palladius cum percunctaretur, qua ratione posset anima, nulla quiete vel cessatione interposita, defixam mentem habere in Deo? Respõdit, quotiescunq; mens nostra occupata sit in consideratione pia & salutari, quæ ad Deum diducat, tum defixã esse in cõsideratione Dei. Cum autẽ sanctus ille, tantopere in reb. piis exercitatus dixit, hominẽ simulatq; Dei oblitus fuerit fieri dæmonem vel bestiam, non intellexit id fieri solo lapsu in

cap. 98.

noxam lethalem, cum non facilè is contingat seruis Dei, sed etiam lapsu leuiori immoderatæ cupiditatis, qua aliquo modo similis vel dęmoni, vel bestię reddatur. Quocirca nullo modo conuenit seruum Dei, vt aliquando negligat præsentem contueri Deum, impendente tentatione, & dum se occasiones offerunt iræ, impatiētiæ, superbiæ, vel tristitiæ mūdanæ, aliæq; indomitæ perturbationes, diuinæ obliuiſci prędentiæ: tunc enim celerrimè, magnaq; cum vigilantia cor eleuandum est ad Deum, eiusq; auxilium implorandum. Nam vt docuit S. Antonius, vnicum antidotum ad vincēdas omnes dæmonis tentationes præsentissimum est, continuam Dei, cum spiritali gaudio, retinere memoriā: ea omnes illius laqueos & dolos ilico dirumpi, & in fumos euanescere. Quod autem & ipsum spiritale gaudium nascatur ex contemplatione Dei præsentis, iam iam ostendemus.

Exercitio diuinæ præsentiæ acquiri stabilitatem cordis, omnium virtutum perfectionem, & exteriorem munditiam.

CAP. V.

INTER præstantissima bona, quæ sancta hac

hac exercitatione comparantur, merito numerari quoq; potest, firmitas & stabilitas nostri cordis. Imprimis constat hominem eo fine conditum, vt in hac vita Deo firmissime coniungeretur per contemplationem & amorem, in altera verò cœlesti per claram visionem. Postquam autem per peccatum se à Deo separauit; & ad creaturas conuertit, quietem suam quærere cœpit in ipsis, nec tamen vnquam inuenit, quia propter illas conditus non fuit, sed nec earum vlla cupiditatem eius explere potuit. Vnde factum est, vt cogitationes suas & desideria, nunc in hanc, nunc in illam transferens lapsus sit in magnam cordis instabilitatem, quam deplorat propheta Ieremias, dicens. *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est*, errans ab vno loco in alium: ac in anima quidem variis rerum terrenarum cupiditatibus, in corpore crebris exiliis, & incarcerationibus diuexata. Atq; hinc mox consecuta est cordis diuisio. tot enim eius diuisiones sunt, quot res sunt caducæ ad quas cogitationes & studia sua conuertit: & quoniam diuisione res destruuntur & consumuntur, factum est, vt cor tandem extingui debuerit morte culpæ & pœnæ æternæ, vt testatur Ozeas pro-

Thren. 1.

propheta dicens. *Diuisum est cor eorum, nũc interibunt.* In hunc calamitosum statum in-
Ose. 10. cidunt præcipue illi, qui in lethale peccatum sunt prolapsi: hi enim prorsus sunt diuulsi à Dei amore, & in anima mortui sunt morte culpæ, & pœnæ æternæ impendentis. incidunt quoq; suo modo multi serui Dei, qui quoniam plus æquo addicti sunt amori rerum terrenarũ, ita tamẽ vt ad grauitatem peccati mortalis non perueniant, in precibus aliisq; actionib. mente distracti sunt, inquieti, mutabiles, inconstantes, & proximi periculo lethaliter delinquendi.

Hæc mala, damnaq; nullo efficaciore antidoto auerti possunt, quam hoc sancto præsentiæ diuinę exercitio. Cum enim animus noster crebro cogitationes suas, ac desideria attollit in Deum, conuersando cum illo, & quasi familiaritatem ineundo, sensim stabilitur & confirmatur, eo quod abstractus sit à rebus creatis mutationi & instabilitati obnoxiis, coniunctus verò personæ diuinæ incommutabili & immortali. Quando enim nauis in mari vi ventorum, fluctuumq; hinc inde tam vehementer iactatur, vt periculum sit, ne vel in scopulum impingat, vel submergatur, præsentissimum remedium est, vt fortissimæ alicui

anchoræ

anchoræ alligetur, ne loco moueri amplius possit. Sic quando mens nostra in huius mundi Oceano variis & periculosis cogitationum, cupiditatumq; procellis cum discrimine damnationis æternæ exagitatur, saluberrimum antidotum est, eam applicare & alligare ad anchoram diuinæ præsentiæ, atque ita paulatim ad stabilitatem & constantiam cordis tanti à sanctis & iustis æstimatam, Deoque gratissimam aspirabit. Quam ob rem in verum seruum Dei optimè quadrat illud Ecclesiastici. *Homo sanctus manet in sapientia sua sicut sol: stultus autem vt luna mutatur.* c. 27.

S. Catharina Senensis, solitudinis & secessus amans, cum à parentibus continuis laboribus noctu diuq; occuparetur, à Deo docta contra animi distractiones hoc vsa remedio est, vt cor suum loco cubiculi haberet, in quo præsentem Deum assiduè cerneret, & cũ eo colloquia misceret: sic enim obtinuit firmam & stabilem cum illo vnionem, vt nullo externo labore vel fatigatione distrahi mente posset. Idem consilium postea & verbis & scriptis communicauit aliis religiosis fœminis, affirmans in cordis cella esse verè regnum Dei per gratiam, ibi Christum cum suis inspirationibus cœle- *Raimundus in vita.*

cœlestibus fixisse sedem. Felix profecto ille qui cum hac sollicitudine vitam traducit vt tam intus, quam foris præsentem sibi Deum contempletur, in eum omnes cogitationes suas, vota & desideria referat: nec enim fieri potest; quin anima illius omnium virtutum, donorumq; cœlestium copia circumfluat. Quotiescunque enim seruus Dei hoc modo ad Deum cor suum eleuat & nouo afficitur beneficio, & gratiam ampliorem promeretur, & propius se adiungit Deo, ac proinde & efficacius de eius lumine, bonitate, fortitudine, ceteriſque diuinis perfectionibus haurit.

Dorotheus in vita.

In vita Dosithei narratur, ei inter cætera documenta spiritualia hoc fuisse à magistro suo S. Dorotheo traditum. *Nunquam in corde tuo memoriam Dei depone, cogita illum semper stare coram te, & te coram illo.* ipsum autem deinceps omne studium adhibuisse, vt obseruaret, & ideò nunquam memoriam eius, siue sanum, siue ægrum deposuisse, sæpeq; in intimo cordis orationibus iaculatoriis eius opem imploraſſe. Nonnunquam enim sic breuiter precabatur. Domine Iesu Christe miserere mei. Alias sic. Fili Dei adiuua me. alias aliter. atq; hac sancta exercitatione intra quinquennium,

nium, ex adoleſcente quondam milite flagitioſo, in virum perfectum euaſit, dignusque tandem habitus eſt, qui adſcriberetur in numerum ſanctorum cum Deo in cœlis regnantium.

IAM verò hæc Dei memoria, hic diuinus intuitus, non ſolum componit & moderatur hominem interiorē ſoli Deo conſpicuum, verum etiam exteriorem hominibus notum. Quemadmodum enim honorarius aliquis Principis famulus nulla alia re commodius in officio continetur, vt honeſtè, compoſite & modeſtè ſe gerat, quam ſi intelligat ſe à Domino ſuo videri, ac ſedulo etiam obſeruari: ſic nullo alio monito ſeruus Dei efficacius in conſuetis pietatis functionibus retineri poterit, quam ſi meminerit ſe in conſpectu Dei verſari. Sicut aſtra cœleſtia à ſole præſente, in quem obuerſa ſunt, omnem ſplendorem mutuātur, quo in ſe fulgeant, & aliis fulgorem ſubminiſtrent, atq; adeo in terris ſuum effectum habeant. Sic homines iuſti & pii, qui inſtar ſtellarum in Eccleſia Dei collucent, ex continuo Dei, quem præſentem oculis mentis cernunt, conſpectu lumine diuino illuſtrantur, omniumq; virtutum verarum ſolidarumq; ſplendorem etiam com-

municat aliis. Quare meritò dixit Sapiens.

Eccle. 14. *Beatus vir, qui in Sapientia morabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.*

Quod exercitio præsentiæ diuinæ, lætitia & consolatio spiritualis obtineatur.

CAP. VI.

Tract. 5. p. 2. c. 13. & 14.

AD continuandum vitæ spiritualis cursum non exiguum momentum habet, gaudiū spirituale, vt alibi fusius docuimus: quod ab omnibus Dei seruis maiorem in modum expetitur, & in summo pretio habetur. Hoc verò tam salutare & spiritale bonum imprimis sancto diuinæ præsentiæ exercitio & comparatur & conseruatur. Quemadmodum enim quimagnū aliquod discrimen fortunarum, vitæue adiit, vehementer recreatur, si spectandum se offerat illi quispiam, à quo tanto discrimine eximi possit. similiter, sicut, qui audit & cognoscit vocem magni amici, quem annis multis non viderit, magna lætitia perfunditur, si eum coram videre queat; sic anima serui Dei,

Dei, dum cogitat, quãtis in hoc exilio circumsepta sit periculis atq; ærumnis vbi oculos mentis conuerterit in Deum immẽsa bonitate prẽditum, animaduerteritq; eum sibi præsentẽ assistere, paratissimũ ad porrigendum auxiliũ, vt ex suis ærumnis emergat, mirificè lætatur, & exultat, & magna cõsolatione per sanctas diuinæ inspirationis voces cor suum affici sentit.

Rex Iosias, quoniam populum Dei multis beneficiis affecerat, & cultum diuinum impensè promouerat, iucundissimam nominis sui apud posteros reliquit memoriam. *Memoria Iosiæ*, inquit Ecclesiasticus, *in compositione odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.* S. Bernardus de se confitetur, cum primum in religionem esset ingressus, se vel solo conspectu magnorum virorum spiritalium, vel etiam recordatione eorundem, si forte longius abfuissent, vel vita defuncti essent tantopere exultasse, vt mens quidem omni deuotionis suauitate compleretur, oculi verò à lacrymis se continere non possent. Si igitur aspectus vel memoria hominis iusti tanto gaudio aliquem perfundit,

c. 49.

Serm. 14. in Cant.

eo quod videatur sibi videre virtutes, & dona cœlestia, quibus ille fuit à Deo ornatus, quid non faciet spiritalis intuitus, & recordatio Dei, qua anima contemplatur in eo infinitam bonitatem & pulchritudinem, aliasq; perfectiones? Quod non gaudium, quam non consolationem, & intimam deuotionis suauitatem seruiDei anima plenis buccis hauriret?

Commemorat Simeon Metaphrastes, S. Gregorium Episcopum Agrigentinum in Sicilia, dum esset adolescens, profectum Hierosolymam vt veneraretur loca sancta, ac tempore Quadragesimæ secessisse in quoddam Palestinæ monasterium, ibique vidisse monachos rara in Deum religione præditos, quorum alii in diuinarum rerum commentatione à terra in altum attollerentur, alii fontes lacrymarum inter precandum effunderent, atque in vitæ puritatæ, morumq; honestate viderentur angeli. Quibus exemplis iuuenis permotus cœpit pudore ingenti suffundi, abiicere se & amare superioris vitę suę errata deplorare. Prę-fectus monasterio Pater animaduertens ex vultu eiusdem mœrorem, existimansque id euenisse, quod longius à patria, amicisq; abesset, adiuncto sibi alio monacho remo-

tis ab-

tis arbitris sic affari cœpit dictum Gregorium. Fili, ne animum nimio mœrore obruas, confide in Deo, breui patebit reditus in solum natale. Sed respondit adolescens. Non ea causa mei mœroris est, quod longè absim à conspectu meorum: sola enim præsentis vbiq; Dei contemplatio ad illum remouendum mihi satis est: dum enim cogito me continuo in eius versari conspectu, satis solatii accipio: id verò vnum me contristat, quod hactenus non instituerim vitam homine Christiano & verè pio dignam. Hoc responso accepto Patres, ab eo digressi sunt, arbitrati non indigere eum sua consolatione, quandoquidem tali exercitationi deditus tã perfectus sit, vt possit etiam solari alios.

IVDAS Machabęus, rei bellicæ gloria clarus cum milite suo prælium initurus, quoniam Deum præsentem contemplabatur, tanto cum gaudio & alacritate in hostem ruebat, vt quamuis pauci, quamplurimos opprimerent. Vnde S. Scriptura sic loquitur. Iudas, & qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes prostrauerũt non minus triginta quinq; millia, præsentia Dei magnifice delectati. 2. *Mach.* 15.

Hæc

Hæc & alia præstantissima sunt huius diuini exercitii emolumenta, hi sunt admirandi fructus, quos in animis producit viua numinis diuini præsentis consideratio. Conetur ergo seruus Dei hoc exercitium vsurpare quouis tempore & loco. Quoties & noctu euigilabit illico animæ oculos sustollat ad contemplandam præsentem diuinam maiestatem, versetur cum illa tanquam amantissimo parente. Idem faciat cum mane è lecto surrexerit. Quod si per publicas vias incedendum, oculos corporales modestè in terram demissos teneat, spiritales verò animi in Deum erigat. Quotics colloquia instituet, vel negotia tractabit cum hominib vnum considerationis oculum defigat in res de quibus loquitur, alterum verò coniiciat in Deum, & eius fauorem imploret. Si in morbum incidat grauem, vt consuetum orationum pensum persoluere nequeat, ne angatur, sed earum loco crebrius cor suum ad Deum eleuet, inuocando illum, & desideria sua illi exponendo, atq; hoc vnico labore, sit contentus & quietus: sic enim supplebit omnium Meditationum longiorum, aliorumque operum bonorum, quæ requirũt integras corporis vires,

defe-

defectum Sic faciebat sanctus ille propheta cum diceret *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio anima. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Isa. 26.

In hoc sancto exercitio voluntatis affectum iungendum esse cum consideratione intellectus.

CAP. VII.

IN hoc sacro, diuinoque exercitio, non solum intellectus occupandus est in contemplanda diuina præsentia, verum etiam voluntas, vt affectu in eam feratur, eamq; quasi complectatur. Et quoniam voluntatis actiones in hoc exercitio principem locum tenent, speciatim declarabimus, cuiusmodi actiones sint, & quomodo exerceri debeant. Nam, vt ait S. Bonauentura, sunt quasi motus, & inflammata cordis desideria, quibus anima anhelat ad perfectam in amore cum DEO vnionem, igniti mentis affectus, viua interioris hominis suspiria, quibus inuocat, prouocat, commouetque diuinam maiestatem; vt se ad consum-

In epist. 25. memorab. c. 22. Et myst. theol. via tertia.

matam

matam illam amoris sui coniunctionem admittere velit: sunt deniq; pia quædam incitamenta, & affectiones voluntatis, quibus anima nostra velut alis spiritualibus euolat, & attollit se sursum, vt Deo appropinquet.

Hæc vehementia desideria, affectusque ardentes cordis vocantur aspirationes, quibus anima è terra se attollit in cœlum, hoc est, aspirat in Deum: nam, vt idem Bonauentura loquitur, quemadmodum respirando nulla interueniente deliberatione trahimus anhelitum ex intimis corporis visceribus: sic celerrimè, & nulla quasi deliberatione antegressa aspirando ad Deum, trahimus inflammata quædam desideria ex intimis cordis penetralibus, vt Deo intimè coniungamur.

Has aspirationes, vel affectus inflammatos cordis homo imprimis declarat breuibus oratiunculis, quas vocamus iaculatorias: sunt enim quasi tela vel sagittæ ignitæ ex imo pectore profectæ, deinde & succinctis quibusdam colloquiis, quas anima cum Deo quasi præsente instituit Dicuntur autem colloquia, quia sicut anima alloquitur Deum per dicta desideria, sic Deus viciſſim loquitur cum ipsa anima, radiis qui-

quibuſdam diuinis illam colluſtrando, & inſpirationes ſanctas ei communicando, vt magis magiſq, affectus voluntatis incendantur. Neq, verò homo debet interna illa ſuſpiria, inflammataque deſideria vi aliqua intrinſecus vel extrinſecus adhibita concitare, ſed potius à diuina gratia, moderata aliquo ſtudio adhibito, expectare: Quamuis enim homo cooperando cum Deo facere debeat, quod in ſe eſt, tamen præcipuè pendere debet ab ope diuina. pieq; & humiliter orando impetrare, quod ex parte ſua deſiderari poſſet.

Etenim, vt alibi docuimus, in ſeruito diuino tres ſunt viæ, vel tria Exercitiorum genera. Vna eſt, pertinens ad incipientes, dicta Purgatiua. Altera, ad proficientes, dicta Illuminatiua. Tertia vnitiua, pertinens ad perfectos. Haud ſecus ſunt quędam aſpirationes, quæ valent ad purgandam à vitiis affectionibusque terrenis animam, & ſunt viæ purgatiuæ. Aliæ valent ad conſequendas virtutes, & ſunt viæ illuminatiuæ. Aliæ ad impetrandam perfectam vnionem animæ cum Deo, & ſunt viæ perfectiuæ. Qua de cauſa hoc loco commemorabimus tria aſpirationum, & iaculatoriarum orationum genera, ex S Auguſtini, aliorumque

Sanctorum libris excerpta, vt vnusquisque conuenienter suæ dispositioni ad manum habeat orationes, quibus in hoc sancto exercitio diuinæ præsentiæ queat ad Deum, aspirare. Neq; idcirco volo, vt his tantum vtatur, poterit enim vti quibuslibet aliis similibus: sed id tantum moneo præstantiores efficacioresq; eas esse quas quisque à Deo motus ex corde suo exprimit, etiamsi non sint compositæ, sicut hæ. Nec item volo vsurpari omnes, liberum enim cuiq; est vsurpare quas velit. Et quamuis non sit nisi vna pro qualibet via, tamen, si crebrius magno affectu iteretur, sufficiet ad capiendum huius sancti exercitii fructum. Facile autem poterunt è memoria recitari, si sæpius perlegantur & repetantur.

De aspirationibus, orationibusq; iaculatoriis attinentibus ad viam Purgatiuam.

CAP. VIII.

ASPIRATIONES conuenientes viæ purgatiuæ sunt hæ. Domine Iesu Christe, Deus meus & Saluator meus, qui ad saluandos peccatores in mundum, venisti,

ignо-

ignoſce mihi, & ſalua me. O Deus meus, quid agam? quid dicã? peccaui coram te, & cõtra te benigniſſime creator, & dulciſſime redemptor, miſerere mei Domine. Agnoſco Domine ſcelera mea, ea tibi confiteor, condona illa. Deſtitutus ſum, Domine, omni pietate, viliſſimus & infirmiſſimus peccator ſum, nihil ſum, nihil ex me valeo, adiuua me Domine, & miſerere mei. Vtinam, Domine, nunquam te offendiſſem. Vtinam nunquam ad iram prouocaſſem. Vtinam, Deus ſemper voluntati tuæ obediuiſſem, & ſanctis tuis inſpirationibus ſatisfeciſſem. Remoue à me, Domine, quicquid tibi diſplicet in me, & mihi nocet. Propono Domine, me adiuuante tua gratia te non amplius offenſurum, occaſionesq; delinquendi vitaturum. O piiſſime Ieſu miſerere mei miſeri & abominandi peccatoris Indignus ſum à terra ſuſtentari, & me ſuſcipe per tuam miſericordiam ac ſanctiſſimæ vitæ, paſſionisq; tuæ merita, nec non ob benedictæ matris tuæ ſanctorumq; omnium interceſſiones. Omnia ſcelera, & negligentias vitæ meæ, quæ ſunt innumerabiles, & grauiſſimæ coniicio in tui immenſi amoris flammas, & infinitam miſericordiæ tuæ abyſſum, in ſacratiſſima tua vulnera,

vt in iis consumantur, mihique pœnitentiam iniungo. Laua me Domine tuo pretiosissimo sanguine; quia vna gutta illius sufficit ad saluandum totum mundum. Sana me ab omnibus plagis meis, quia tu es fons salutis. Sanctifica me auctor sanctitatis. Deus meus largire mihi sanctum iudiciorum tuorum timorem. Concede mihi bone IESV dolorem & odium grande de meis peccatis. Da mihi odium mei ipsius. Da dulcissime mi Saluator roburad mortificandas meas passiones. Da mihi, vt rectum iudicium de me feram. Da, vt seuerè à me exigam pœnas, ad satisfaciendum iustitiæ tuæ. Da mihi Saluator, vt quamcumque pœnam, tribulationem, contemptum libenter recipiam in satisfactionem pro meis delictis. Da, vt potius eligam mori, quam peccare. Da, vt non modo timeam, fugiamque peccata grauia, sed etiam leuia. Da mihi firmissimum propositum non amplius peccandi. Da mihi gratiam perseuerãdi, & pœnitentiam tota vita mea agendi.

De aspirationibus pertinentibus ad viam illuminatiuam pro iis qui in cultu diuino proficiunt.

CAP.

CAP. IX.

ASPIRATIONES ad hanc secundam viam pertinétes,& seruire queunt proficientibus, sunt hæ Adoro te Deus meus & Saluator meus Iesu Christe pro omnibus beneficiis tuis. Te laudo, benedico & glorifico pro omnibus tuis misericordiis. Gratias tibi ago, quod me elegeris ab æterno, quod è nihilo creaueris, quod hucusque me conseruaris. Quod cum esses verus Dei viui filius me amasti, pro mea salute homo factus, & passus. Gratias ago, quod captiuum redemeris, quod perditum vocaueris, & saluaueris, quod fidei lumine, tuorumque sacramentorum thesauro ditaueris. Gratias refero pro omnibus sanctissimæ vitæ tuæ, passionisq; mysteriis. (Possunt autem hæ gratiæ ambulando cantari, & quidem particulatim pro singulis mysteriis in sancto Rosario comprehensis.) Gratias ago pro particularibus omnibus beneficiis mihi præstitis. Et hæc quoque ambulando potes expendere, distinctè de singulis gratias agendo, & dicendo. IESV nostra redemptio, amor & desiderium. &c. Adoro crucem tuam sanctissimam, eamq; toto cordis mei desiderio amplector, & quanto valeo honore prosequor. Saluete

benedicta vulnera, quæ tu pro me recepisti, quibusq; me tuo cordi impressisti. Saluto cor tuum vulneratũ & pro me patefactum. Absconde me Domine in tuis vulneribus, vt in illis saluare me queam & ab omni malo liberare. In tuo corde reconde me, & in illo contra omnes inimicos me tuere. Scribe in anima mea Domine omnes tuas pœnas & dolores, vt totis visceribus tibi condoleam. Imprime plagas tuas pectori meo, vt totus sim tuo amore sauciatus. Detege Domine omnes virtutes, quæ in tua sacratissima vita passioneque relucent, vt in illis omnibus te imiter, & in omnibus perfectè me tibi conformem. O dulcissime IESV, vt possim te imitari, da mihi profundam humilitatem, & perfectam obedientiam. Concede mihi viscera misericordiæ. Pone Domine linguæ meæ frænum, omnibusq; sensibus meis. Porrige Domine lumen intellectui, puritatem cordi, spiritum meum corrobora, pacifica, tranquillã, & omnia animæ meæ interiora exhilara. Exaudi me Domine, & postulatis meis annue, nec enim cupio mihi concedi; quæ congruunt propensioni meæ, sed quæ salutem meam & gloriam tuam rectius promoueant.

VERVM

VERVM quia Orationis Dominicæ petitiones spectant quoq; ad viam illuminatiuam, summam earum hoc loco quoque ex Sanctorum libris describemus. *O Pater,* qui diuina tua gratia gignis filios spirituales, me quoque fac verum filium tuum. Da mihi gratiam, vt in omnibus tibi obsequar, & te tanquam filius syncero amore complectar. O pater, qui omnibus tuam bonitatem communicas, & in omnes clementiæ tuæ dona summa liberalitate effundis, sicut omnes nos è nihilo condidisti, ita omnes digneris adoptare in filios gratiæ. Da mihi, vt omnes amem velut fratres, eosdemque vera caritate & misericordia complectar. O Pater, *qui es in cœlis.* licet enim vbique sis, tamen peculiariter in corporibus cœlestibus tuam potentiam, sapientiam & bonitatem manifestas: in cœlis verò spiritualibus, hoc est, in sanctis omnib. alio modo magis speciali habitas. O si anima mea, tuæ gratiæ beneficio niteret, fulgeretque instar cœli, & virtutibus ornata esset, quasi stellis: tunc enim sedem oculis tuis gratissimam in ea reperires. O Pater sanctissime, vtinam nomen tuum, potentia, maiestas, bonitas, sapientia vera fide ab omnibus nationibus

Bonau. in myst. theol.

Pater.

Qui es in cœlis.

Sanctificetur nomen tuũ.

agnoſceretur,& religione,cultuque ſancto coleretur & glorificaretur, perfectaq; caritate adamaretur. Vtinam, inquam, quod ſupra omnia eſt,haberere ab omnibus ſanctus, & ſecundum infinitam bonitatem tuam diligereris ab omnibus. Nullam ſiquidem perfectionem, æquè ac bonitatem in myſterio redemptionis, quod maximè ad te amandum nos obligat,patefeciſti.

Adueniat regnũ tuum.

O Pater clementiſſimè,non regnet amplius in nobis amor mundi, non dominetur caro, non imperet dęmon, ſed tu ſolus regna in animabus noſtris,tu ſolus ſis lumen noſtri intellectus, & dux voluntatis. nihil ſit in nobis, quod à te non moueatur, & dirigatur.

Fiat voluntas tua.

O dulciſſime Pater, vtinam in omnibus poſſem tuam ſanctiſſimam voluntatẽ perficere. O vtinam omnes indigenæ huius terræ,conformarent ſe incolis cœli.

Panem quotidianum da.

O Pater clementiſſime, præbe animæ noſtræ ſpiritualem cibum, id eſt,tuum ſanctum amorem. Huius cibi mirabilis eſt ſubſtantia, hoc quotidie opus habemus. hoc corroborantur animæ noſtræ, paſcunturque donec veniamus ad æterna tabernacula. Sed nec neceſſaria nobis deſunt pro toleranda vita corporali, vt tanto ardentius

tius tibi per amorem adhæreamus.

O pater misericodiarum dimitte nobis peccata nostra, ob quæ rei facti sumus pœnæ æternæ. quandoquidem scimus te velle ea dimittere, & nos inuitare, vt petamus eorum condonationem. Condona igitur Domine nobis non solum peccata grauia, sed etiam leuia, quibus te quotidie offendimus. testimoniumq; huius condonationis nobis trade, quod soles tradere tuis filiis, diuinum scilicet amorem. *Et dimitte nobis.*

Domine, postulas à nobis vt diligamus inimicos nostros, sicut tu eos diligis, & omnem iniuriam nobis illatã remittamus, vt nobis etiam nostra delicta remittantur. Id præstant, Domine, viua tuæ Ecclesiæ membra, & fac vt omnes ita faciamus, vt omnes tecum in gratiam redeant. *Sicut & nos dimitt.*

O potentissime Pater, præbe mihi contra omnes animæ meæ inimicos, omnesq; tentationes victoriam, vt per amorem semper tibi adhæream. *Et ne nos inducas.*

O benignissime Pater, libera me ab omni malo pœnæ animæ meæ noxio, ac ab omni re quæ in hac vita impedire post perfectam mei cum tua diuina bonitate vnionem, in altera verò claram faciei tuæ visionem & contemplationem. Tanta caritate *Sed libera.*

me locupleta, vt immunis esse queam, non solum à cruciatib. æternis inferni, verum etiam temporalibus Purgatorii, non quod reformidem ob tui amorem aliquid pati, sed vt anima mea ab omni noxa purior, sit quoq; tuis oculis carior, & quando ex hoc corporis ergastulo euolabit, nulla interposita mora perfruatur conspectu possessioneq; infiniti boni, quod tantopere desiderauit.

De aspirationibus pertinentibus ad viam vnitiuam.

CAP. X.

ASPIRATIONES, & orationes iaculatoriæ ordinatæ ad vnionem perfectam animæ cum Deo, quæ exercentur in hac via vnitiua hæ sunt. Dulcis IESV, Deus meus amor infinitus, imple totum cor meum tuo diuino, & fortissimo amore. Inflamma animam tui amoris igne, qui nunquam extinguatur, vt totus amore ardeam. Occupa omnes animæ meæ facultates, tua dulcedine, tuique amoris efficacia, donec nulla res eam moueat, nisi amor. O DEVS meus, amatum principium, & creator meus, o purissima, æternaque esse-

essentia, ac fons infinitus omnis esse. O bonum infinitè amabile, o fons infinitus omnis boni, o infinitæ suauitatis abyssus. O pelagus immensum gaudiorum ineffabilium. O Deus meus, in te omnia inueniuntur, quib. ego indigeo, & quicquid desiderare queo, quia alia omnia à te manant & proueniunt. Te solum specto, te vnum quæro, quia alia omnia per te optari & quæri debent. Aperi mihi, quia ego te voco; attrahe me, quia te desidero. Fac vt per amorem vnum tecum efficiar. O Deus cordis mei, quando ego te inueniam, qualem desidero? quando perfectè me tibi coniungam? quando per gratiam & amorem supernaturalem me in te transformabo? O Deus meus, vita & gloria mea, quando moriar omnibus mundi rebus, vt perfectè viuam in te? Quando renunciabo omnibus rebus, vt resignatus sim omnino voluntati tuæ? Deus meus rex meus, exigis à me, vt toto corde te amem, da mihi quæso gratiam, vt perfecte, quicquid imperaris, compleam.

O bone IESV, o spes mea, o refugium meum, o cordis mei amor, ò sponse floride, & animæ meæ dulcedo, o vita mea, ò requies mea, o gaudium & consolatio mea,

mea. Præpara, Deus, animam meam, munda, & ab omnibus vitiis eam expurga, passionesque omnes in ea mortifica. Adorna eam omnibus tuis virtutibus, amore tuo vulnera, dignam eam fac habitatione tua, vt in ea deliciis illis frui possis, quas desideras habere cum filiis hominum. O altissima & beatissima Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus, tres personæ, & vnus solus Deus verus, Doce me, adiuua me, vt te diligam; rege me, vt omnia tuo amore faciam. O Pater æterne per tuam immensam potentiam, adimple sanctis considerationibus meam memoriam, vt semper sit in te firma & fixa. O Fili Dei viui per tuam æternam sapientiam meum intellectum tuo diuino lumine illustra, ac perfectam tuæ veritatis, meæque vilitatis notitiam subministra. O Spiritus consolator, amor Patris & filii per tuam inexhaustam bonitatem incende totam animam meam perpetuo tuæ caritatis ardore, vt semper & in omnibus rebus quæram tuam gloriam, & tuæ sanctissimæ voluntati me conformem. O clementissime IESV, Deus meus, caritas infinita, qui vis nos diligere proximum sicut nosipsos, largire gratiam vt omnes plenè ex tuo amore diligam. Adiuua Eccle-

siam

siam tuam, & fac eam in omni virtute & sanctitate efflorescere. Miserere omnium, quos tuo sanguine redemisti. Purifica, illumina & perfice animas omnium seruorum tuorum. Conuerte miseros peccatores. Reuoca ad vnionem cum tua Ecclesia, & gratia omnes hæreticos, & schismaticos. Doce omnes ignorantes veritatem. Trahe ad fidei lucem infideles omnes. Succurre afflictis in omnibus suis necessitatibus. Conforta omnes mœstos, omnibus Purgatorii animabus remitte pœnam, & gloriam tribue sempiternam. Pro me, & omnibus illis tuum pretiosissimum sanguinem offero, & quicquid feci sti, vel perpessus in hoc mundo pro salute nostra fuisti, offero & B. Virginis, tuæ glorisissimæ matris, omnium que electorum tuorum merita. Amen.

Quibus mediis possit comparari hoc donũ, Deum præsentem in actionibus habendi.

CAP. XI.

HACTENVS exposuimus admirandos huius diuini exercitii fructus, docuimusque quemadmodum practicè vsurpandum sit; nunc supereſt, vt declaremus quibus

bus mediis hoc donum acquiri possit. E quibus primum sit, vt illud postulemus à Deo, quia donum diuinum est, descendens à Patre luminum, à quo omne bonum & donum perfectum proficiscitur. Sicut enim à Christo Deo & Saluatore nostro omnia alia subsidia ad salutem opportuna & necessaria expetimus, sic & hoc donum humiliter nobis concedi per suam infinitam misericordiam, passionisque suæ merita flagitamus, quo semper eius recordemur, semper cor nostrum in ipsum erectum habeamus, semper denique quoad diuinitatem præsentem contemplemur, inuocemus, desideremus & diligamus. Hoc donum si obtinuerimus, cum eo facile omnia reliqua, pro adiumento & profectu nostro spirituali consequemur. Nec dubium illud concessum iri, si magna cum fiducia, viuoque desiderio ad illud aspiremus. Neque vllus, cuiuscunque status vel conditionis sit, potest iure se excusare, quod hoc beneficium à Deo postulare non possit, quia vt propter occupationes & negotia aliquis eo non perueniat, vt semper Deum sibi præsentem sistat, tamen poterit aliquoties in die amorem suum in Deum attollere.

ALIVD medium ad habendum Deum præsentem esse potest, si signis nonnullis vtamur, quorum conspectu, tactuue Dei recurrat memoria; vt si dictũ aliquod muris eius loci, in quo ordinarie versamur, inscriptum sit. cuiusmodi esse possunt: Noli peccare, quia Deus videt. Vel illud Sapientis. *In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Prou. 15. Vel illud Dauidis regis. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Psal. 15. Vel *in omnibus vijs tuis cogita Deum.* Prou. 3. Vel illud Tobiæ ad filium. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Tob. 4. Possumus & signi loco filum alligare brachio, vel digito. nam & annulos in iis gerimus, ne temporalium quorundam negotiorum memoria excidat. Sonum quoque campanę signi vice accipere ipsi possumus, statuereque illum nobis fore loco cœlestis vocis, vt recordemur Dei. In veteri lege præcepit Deus filiis Israhel, vt in vestium fimbriis vittas gestarent hyacinthinas, quibus conspectis recordarentur mandatorum Domini, sancti essent coram Deo. placebit ergo maximè DEO, si quis simili signo memoriam excitet præsentię diuinæ, sic enim facilius Deum inuocabimus, & amore eius inflammabimur ad perfectam Num. 15. Deu. 22.

præce-

præceptorum ſuorum obſeruationem.

Legimus S. Edmundum Cantuarienſem Archiepiſcopum, cum adoleſcens operam litteris daret, hoc ſanctum exercitium vſurpaſſe, hoc eſt, mẽtem eleuaſſe in Deum, eamque ob rem in cubiculo ſuo effigiem quandam D. Virginis, cum myſteriis Chriſti circum illam depictis, affixiſſe, vt ea inſpecta ad Deum, Deiq; matrem facilius recurreret. Atque hoc medium inter optima, quibus in hoc ſancto exercitio vti poſſemus, cenſetur, vt ſi conſuetudo confirmet hoc exercitium, adiuuante diuina gratia, efficaciſſimum ſit ad habẽdam ſemper præ oculis diuinam maieſtatem.

De aliis mediis, vt De Examine particulari, & ſolicitudine & amore cordis.

CAP. XII.

ALIVD medium valde vtile ad retinendam præſentiæ diuinæ memoriam eſt Examen particulare, vt ſcilicet cum circa meridiem, aut veſperi rationem expoſcimus à nobis conſcientiæ, id quoque exeutiamus, an præſentem toto die Deum in actionibus noſtris habuerimus, & ſi factum, ſit

sit, sedulo gratias agamus Deo, quia singulare Dei donum est; ac proponamus nos idem accuratius obseruaturos diebus insequentibus. Si verò secus acciderit, doleamus, & emendatione proposita, pœna aliqua culpam expiemus. Hæc enim pœna & memoriam illi in posterum renouabit dicti exercitii, & valebit ad impetrandam Dei beneuolentiam, vt negligentia corrigatur, & maior progressus in hac virtute fiat. Solicitudo inest alicui, exempli causa, ingens ædificandi domum: hæc ipsa excitat eius memoriam quocunque vadat, vt illius non obliuiscatur, hæc facit illum somniare de illa, immò somnum tollit, tollit & cibum. Idem facit cura augendarum opum, educandorum liberorum, sanitatis conseruandæ, quando toto pectore eam suscipit. Haud secus, si quis ex animo solicitus sit de obtinenda illa collectione animi, vt Deum sibi statuat præsentem, tanquam admodum opportuna & efficaci ad salutem, & profectum spiritualem, multo plus, quam externis signis, vel examine particulari, iuuari poterit ad consequendum hoc spirituale beneficium, vt nunquam facile è memoria præsentiam illam deponat. Supra omnia autem media & remedia quæ præcipue ad

hoc sanctum exercitium adiumento esse queunt, est verus Dei amor. Hic enim, vbi in serui Dei corde radices egerit continenter illum vrgebit & excitabit, vt cogitationes suas, piaque desideria in Deum præsentem coniiciat, & cum illo assiduè conuersetur. Hæc siquidem amoris natura est, si ardens sit, vt magno pondere animam transportet in rem amatam, quo vniatur cum illa, ac vnum quiddam cum ea efficiatur. Et quoniam anima suis est instructa facultatibus, hinc fit vt semper quoque rei amatæ recordetur, semper de ea cogitet, semper eam expetat & complectatur. Qua de causa dixit Christus. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Matt. 6.

Hinc sequitur totam huius Exercitii difficultatem & laborem esse in principiis, donec anima peruenerit ad magnum Dei amorem: simulatque enim amor possederit cor, facile & suaue est meminisse Dei, cogitationesq; omnes & affectus in eum attollere. Atq; reuera in primis initiis, quibus homo serio incipit seruire Deo, solet Deus tantam promptitudinem, & guſtum spiritualem in hoc exercitio subministrare, vt etiam nouus tyro miretur, cur non omnes homines continenter cogitent de Deo, S. Bonau. in myst. Theol.

Deo & amore in illum ferantur, ac non excurrant in vias publicas, moneantq; ignaros & recordentur Dei, quādoquidem tam facile illa diuinæ præsentiæ suauitas deguſtari possit. In hac coniunctione periculum quidem esse videtur ne tyro ille bonus præsumat de se, se in virtute longe profectum, suisque laboribus & meritis hoc beneficio ornatum, sed non est, cum sit particularis quædam Dei dispensatio, & suauissimum diuinæ prouidentiæ artificium. vt enim tyroni Deus adimat rerum terrenarum amorem, & difficultates omnes fortius vincat, quæ solent occurrere in diuini seruitii primordiis, hanc facilitatem, & dulcedinem præsentiæ diuinæ solet illi communicare. Nam postea, cum animaduerterit eū mundi amorem exuisse, ac fortiorem robustioremque in diuino seruitio factum, subtrahit illam promptitudinem & suauitatem quæ in diuinæ præsentiæ consideratione erat, vt adiuuante diuina virtute deinceps conetur etiam cum suo labore & difficultate comparare gratiam, quam initio nullo fere labore erat consecutus.

Atque hoc tempore admodum conueniens est seruum Dei non terreri, aut ab hoc exercitio desistere, sed magno animo susci-

pere in se labores, quos Deus ab ipso postulat Nec dubium est, si persistat, cum beneficio hoc positurum cum maiore perfectione & constantia, quam in principio nullo labore consecutus fuerit. Nam dum cum sudore perseuerat, & difficultate, radices agit humilitatis, & accessionem facit in amore Dei, Vnde fit, vt excellétiori quodam modo diuinæ præsentiæ donum mereatur, maioriq; securitate & firmitudine possideat, quoniam didicit submittere se sibiq; diffidere: idemque maiori facilitate, & voluptate exercet propter gratiæ copiam, & amoris in Deum magnitudinem, quo cor suum obfirmauit, & perfectius Deo coniunxit.

O felices & millies beati illi, qui constanter perseuerant, donec hoc dono locupletentur. O quantum virtutum meritorumq; thesaurum tales inuenere in hoc exilio. O in qualem delitiarum spiritualium thesaurum inciderunt in hac lacrymarum valle? Diuina Scriptura asserit vniuersam terram optasse intueri vultum sa-
3. Reg. 10. pientis Regis Salomonis, multosque è remotissimis à Ierusalem prouinciis aduenisse cum multo labore & difficultate, vt viderent eum, audirentq; eius sapientiam.

Quam

Quam cum percepisset Regina Saba, non dubitauit in hæc verba exclamare. *Beati viri tui, & serui tui hi, qui stant corã te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quanto æquius, & rectius faciunt fideles omnes, qui anhelant ad cernendum vultum Dei, etiamsi nonnullo labore opus sit. Multo enim beatiores serui erunt, qui hoc donum consecuti fuerint, quam illi Salomonis, vtpote qui sermones coram cum diuina maiestate conferant, qui in intellectu suo diuinæ sapientiæ radios, in voluntate verò amoris cœlestis flammas percipiant.

Vocabat Christus beatos pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes & sitientes iustitiam, misericordes, mundos corde, pacificos, patienter ferentes persecutiones. atqui has omnes beatitudines solo diuinæ præsentiæ exercitio consequimur. Hoc fideles fiunt humiles, & sui contemptores, omniumque rerum temporalium, hoc exercent mansuetudinem cõtra iniurias, hoc in se excitant odium in peccara, & amorem rerum cœlestium, hoc excitantur lacrymæ laudabiles contritionis & deuotionis Hoc procreat perpetuum & viuum desiderium fruendi Dei, diuinorumque bonorum, hoc promouet ad exhibendam omnibus mise- *Matt. 5.*

ricordiam Hoc expurgantur corda ab omnibus vitiis & passionibus. Hoc pax magna & tranquillitas mentis obtinetur & vnio cum proximis impetratur Hoc omnes efficiuntur fortes, constantesque pro toleranda cum patientia qualicunq; persecutione. Hoc deniq; in hac vita consequũtur gratiam & amorem perfectum, in altera verò gloriam, & fœlicitatem infinitam. AMEN.

Lib. Coll. Soc.tis Iesu Paderborn. an. 1610

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN